8

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — E
42

L
III
32

HOMILIÆ IN EVANGELIA DOMINICALIA A PASCHATE VSQVE AD ADVENTVM, AD populum diuerſis temporibus declamatæ, partim Gandaui, partim Bruxellæ & Louanij, partim etiam Antuerpiæ.

Auctore F. PETRO BACHERIO Gandenſi, Dominicano, S. Theologiæ Profeſſore.

~~in Duos Tomos diuisae~~ T 2°



LOVANII,
Apud Rutgerum Velpium, Biblio. Iurat. Sub Caſtro Angelico.
Anno 1578.

Cum Gratia & Priuilegio.

BIBL. VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Capuccinorum Romae.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, F. PAVLO Coyæo, S. Theolog. Profeſſori eruditiſsimo, atque Ordinis D. Dominici per Inferam Germaniam Priori Prouinciali vigilantiſsimo

S. D. P.

EA eſt tua humanitas, is animi candor, ea denique erga omnes blanda, & facilis comitas, R. M. Prouincialis, vt quoſlibet in tui amorem, etiam ſi ferrum, aut ſilicem in præcordijs geſtent, pellicere, imò & Thracum (vt canit ille) pectora mollire poſſes. Vnde non errant (opinor) illi, qui naſcenti Gratias tibi arriſiſſe, humanitatem vbera admouiſſe, benignitatem educauiſſe autumant. Nam tametſi à ſeueritate improbitatis idonea caſtigatrice (vbi res poſtulet) non omnino abhorreas, ad comitatem tamen quandam, ac hylariorem indolem totus à natura fictus cōpoſitus mihi videris: Quapropter cùm iam aliquot menſibus, quaſi geminas quaſdam ex toto Euangeliorum corpore conceptas parturirem,

opera me precium facturum iudicaui, ſi tibi vni (qui per omnem ætatem clementior ſemper fuiſti quàm ſeuerior: quique dulcibus magis quàm aſperis ac acribus caperis) dedicarem. Gemmas (ſi neſcis) Euangelia illa à Paſcha vſque ad Pentecoſten legi ſolita appello. Quæ ſi quis penitius inſpexerit, inſpecta expen-
Leuit. 11. *derit, expenſa (quod animalium dumtaxat mundorum eſt) ſecum die noctúque ruminauerit, diſperеam, niſi gemmas mecum diuinæ benignitatis rore perfuſas eſſe, ſit dicturus. Quapropter in hæc ipſa Euangelia Bacherij tui commentaria gratiſſima tibi fore cõfido, in quibus Redemptoris ac generis noſtri reparatoris IESV declaratam perſpicies philanthropiam, ac iuuandi miſeros omnes ſingulare ſtudium, obuiámque quibuſlibet humanitatem. Imò in mellitiſſimis his Chriſti ſermonibus quoque veluti in ſpeculo mundiſſimo teipſum cernes, te leges, te cognoſces: Hic, inquam, mi Pater, tuum genium, ſeu indolem, tuámque veluti cum lacte materno hauſtam, imbibitámque reperies benignitatem: breuiter vel tuum, vel tibi affine erit, quicquid hic offenderis, ita Deus amat, (vt Homerus canit) ſimile ſemper adiungere ſimili,* ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον. *Quã ob rationem hæc opella tuo nomini*

conſe-

conſecranda fuit. Dedicentur triſtia triſtibus, aſpera aſperis & tetricis: homini verò gratijs & amicitiæ nato ſimilia, & indoli eius quam maximè cognata offerre decet: alioqui extra choreā bene ſaltare videbimur, & nequaquam ſeruare decorum. Sunt verò omnia à Paſcha vſque ad Pentecoſten plena gemmarum, plena fauorum, verùm Euangelium illud diei Pentecoſtes, quot habet ſententias, tot eiaculatur viuæ, veræq́; charitatis ſcintillas. Neque mirum hoc, cùm eo die ſe Apoſtolicis ieiunio prius & multa prece maceratis pectoribus ſeſe inſinuauerit, infuderitq́; S. ſanctus. Sed hic dixerit quiſpiā, qui te non norit propius, quid opus eſt eximio Prouinciali, homini negotiorum vndique aſſurgentibus vndis, ferè merſo, hæc legenda obtrudere, ac præclaris rebus occupatiorem veluti interpellare? Huic ego, non tu (nam ad me reſpicis) ita reſpondebo: Non negamus, ò bone, grauibus illum negotijs diſtineri ſolere, tamen ſomno temporis furi, ſeu (vt Ariſton ſcripſit) publicano, portionem aliquam deducere, quam Muſis, ijſque ferè ſacris conſecret. Hanc nactus fœtus noſter opportunitatem, conſpiciendus, ac in ſinu ſaltem fouendus, accedet. Si impius ille Imperator Iulianus noctem diſpartiri in quietem, Reipublicæ curam, Muſaſq́; ſit ſolitus, quid vetat pium Prouincialem Iuliani Imperatoris ſtudium ac diligentia.

 ſomno

ſomno, Reipublicæ, & ſtudijs honeſtis vna, eadémque nocte ſe viciſsim dedere? At vergente, inquiet ille, in ſenium iam eſt ætate. Sed id nihil eſt, cùm pleriſque ſuaue olim fuerit etiam ſtudijs immori. Scitum eſt Diogenis illud, qui cùm moneretur iam ſenex, vt quieſceret à laboribus: reſpondit, In ſtudiorum ſtadio currentem, non oportere metæ iam propinquum, curſum remittere, ſed potius intendere. Quod & te Reuerend. Pater, & legiſſe ſcio (quid enim non legiſti?) & facere video, vtpote qui laboris (ita cruda tibi, viridíſque ſenectus eſt) patientiſsimus es, ſemper libris, quorum ſupellex tibi chariſsima, affixus. Quod ſi ab his grauia, ac maximè ſeria ſeuocent, abducántque negotia, quãquam triſtiſsimum huiuſmodi tibi ſit diuortium, in pera in hunc vſum parata, elegantiores ac vtiliores aliquot libellos circumferre ſoles, vel cantillans ſemper aliquid, vel legens, quod faciat ad eruditionem, atque honeſtam hominéque dignam voluptatem. Quod non ſcriberem, niſi ipſe aliquoties eſſem expertus. Senex erat Socrates, ac capulo proximus, cùm fidibus operam daret. Tam auidè Cato nobilis Romanus, Græcas literas iam ſexagenarius didicit, vt manum de tabula (quod dicere ſolent) tollere nollet. Creſcit in ſenibus pecuniæ, aurique ſtudium: quid

Egregium Diogenis verbum.

vetat

vetat creſcere & ſcientiæ, quæ infinitis partibus auro, argento, gemmiſq́ue eſt præſtantior? Alijs alij capiuntur, tu libris nihil eſſe prius, nihil præſtabilius, nihil denique putas eſſe antiquius.: At te etiam nocturnis iuuat impalleſcere chartis. Vſqueadeo illud M. Antonini laudatiſsimi Imperatoris verbum tibi vſurpare poſſes: Alij equorum, alij auium, alij ferarum ſtudio tenentur, mihi etiam à teneris librorum poſſeſsio cara fuit. Age igitur, **M. Antonini Imperatoris cognomento Philoſophi erga libros amor.** *accipe R. T. nuncupatum chartaceum munuſculum, lege conciones meas, imo iam tuas, & veluti mæcenas & patronus, contra vitilitigatorum, Zoilorúmque viroſos morſus (nam reperies hac tempeſtate non parum multos, qui dentem figere, quàm tenellis fœtibus oſculum porrigere malint) quæſo defendas. Non quòd vitia, ſi quæ obrepſerint, diſsimulata velim, ſed quòd candidè moneri cupiam. Non recuſo medicum, ſed horreo tortorem, & plagoſos iſtos impudentiſsimoſq́; ſycophantas, qui quicquid non intelligunt, reprehendunt, vſque adeo, vt nec teneris, vixq́; iam ab vberibus, ac lacte auulſis fœtibus parcant. Quod ne mihi eueniat, ad tuæ clementiæ ſinum hanc opellam noſtram deſtinare volui. Et quoniam (vt ait Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromat.)* **Clemēs li. 1. ſtromat.** *nulla ſcriptura tam fortunata eſt, vt non quiſ-*

piam illi contradicat, ſat meam lucubrationem fœlicem fortunatámque iudicabo, ſi nemo iure contradicat. Neque enim idcirco libri noſtri ſuggillantur, quòd reprehenſione alicuius perſtringuntur, ſed quòd iure notantur, & malè audiunt. Tuam verò limam, cùm merum ſudet amorem, tantum abeſt, vt formidem, vt etiam obnixè te precer, quò admouere digneris. Vale in Chriſto IESV Pater mihi ſemper obſeruande.

Gandaui prima Iunij 1577.

F. Petrus Bacherius

Tuis votis obſequentiſs.

IN DIE SANCTO PASCHÆ EVANGELIVM.

Marci Capite 16.

CVM tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalenæ, Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM.

Mirum in modum religioſarum iſtarum mulierum ſtudium nobis hîc commendatur, quæ nequaquam cum morte IESV animum deſponderunt, aut amorem longo iam vſu intra medullas, & viſcera etiam, receptum, exuere potuerunt. Inſigne eſt Ariſtotelis verbũ; Non eſt amicus, qui non ſemper diligit. Quòd ſi hic amor vulgaris fuiſſet, non equidem tam conſtantes, & intrepidæ iuxta morientem Magiſtrum inter tot ludibria, ſannas, amaraque Iudæorum ſcommata, veluti Caluariarum monti affixæ, perſtitiſſent: vbi tam vehemens inhorruit, ingruitque tempeſtas, vt vel maſculum robur, fortitudinemque terga dare coëgiſſet. Omni tempore diligit, qui amicus eſt, *Prouer. 17* & frater in anguſtijs comprobatur. Neque turbo quamlibet violentus, & vehemens, neque proſperitatis aura quamlibet blandiens, illum auertit, aut mutat. Fucati verò amici, ac minimè fidi, amorem ferè venalem habent, illiſque cum fortuna ſtatque caditque fides. Vti

aurum igni, ita quoque aduerſitate amicum explorare potes.

Martialis. *Non quem menſa tibi, quem cœna parauit amicum,*
Eſſe putes fidæ pectus amicitiæ.
Aprum amat, & mullos, & ſumen, & oſtrea, non te,
Tam bene ſi cœnet, noſter amicus erit.

Conſtantis, & fidę amicitiæ ſpecimen olim prębuit Ethai Gethæus, vir integritate, opibuſque conſpicuus, qui regem Dauidem tanto regno à paricida filio exutum iuuit commeatu, (2.Reg.16.) cùm pleraque amicorum turba illum fœdè, atque indignè deſtituiſſet. Sic nimirum & teneri, molleſque flores ad ſolis lætioris radios ſeſe latè diducere, aperireque ſolent: ad triſtiores verò flatus, nebulaſque, ſe totas occludunt, ac veluti intra frondes, foliaque ſua latitant. Non aliter ſanè mercennarius, & paraſiticus amor, vbi res lœtæ ſunt, ac floridæ, totis remis, veliſq; in amici cõmoda procurrit: vbi verò verſa fortuna contingunt triſtia, non amplius lateri hęret amici, ſed confeſtim turgida vela contrahit, deſtituitq;, veluti in medijs fluctibus naufragantem amicum. Sed mulieres iſtas nec horrida flagra, nec ſpinæ pũgentes, nec crucis tormentum, nec phariſæorum ſcommata, & ſannæ, nec carnificum minæ, à Magiſtro iam extrema patienti auertere potuerunt. Quod cùm multo ſit veriſsimum, mirabitur quiſpiam, ſi quæ poſtremæ perſtiterunt apud crucifixum, primæ quærãt à morte reducem ac rediuiuum? Nihil formidoloſius, nihil infirmius hoc ſexu, cùm nonnunquam vel ad momentaneum, ac ſubitum ferri, gladiíue inane fulgur trepidet,

horreat,

horreat, conſternetur, ac tantū nō exanimetur: ſed crucifixi, reſurgentiſque Chriſti ſanguis ita eas accēdit, vt concitæ ac properę currerēt ante lucem ad ſepulchrū. Neque verò vacuis manibus, aut adωrę venerūt, ſed magno impendio ſelectiſsima cōparauerunt aromata, quibus odoratiſsima ſui Magiſtri mēbra perlinirent. Quod ſi quiſpiā hęc aromata ad myſticū ducere ſenſum voluerit, Deo gratas affectiones, atque in animo generoſa propoſita intelliget, quibus, ſi qua re alia, maximè placemus patri cœleſti. Quid enim Deo gratius, quā propenſa, & prōpta voluntas, quæ odoratas etiam herbas longè ſuperat, cynnamo, myrra, gariophyllo, floribus, herbiſque omnibus gratiorē ſpirans, ſpargenſq; odorē? Sic reditū meditabatur filius ille nepos & ganeo: Surgam (ait) & ibo ad patrē. *Lucæ 15.* Deſeram ſiliquarum inutilium lintrem, deſpuam porcorum fœdam, & homine ingenuo indignam, pudendamque alimoniam: ac gratiſsimo patris conſpectui me offeram: quot enim ibi ſunt mercennarij, qui, me fortiter hîc eſuriente, panis, & eduliorum copia implentur? Sic & Abſalon moliebatur reditum, quādo accercito Ioab de patre ſibi placando, & reconciliando mentionē facit, ac ſerio auxilium poſtulat. *2. Reg. 14.* Quis verò dubitet, quin vehementer Deo placuerit reſipiſcentis ſponſę ſtudiū, dum pertæſa amorum, & procorum, quos antè deperibat, priorum, nouo igne calere cepit, ex animo dixit: Vadam, & reuertar ad virū meum priorē, quia melius tunc mihi erat, quàm nunc? Quotieſcumque igitur peccator ſic ſecum cogitat,

gitat,quid ego miſer tantopere ſcelerum ſordibus capior & oblector,cùm paternæ mēſæ delitijs frui poſſem ,cur pro margarito vitrū, pro auro cœnū , pro veritate vmbrā ambabus manibus complector?Quid tantopere iuuat fœda, & indigna ſeruitus , & non potius aſſurgo ad filiorum Dei libertatem?Abrumpā ſemel,abrūpam peccatorū funē,ac mihi redditus,è tā profundo,grauiq; ſomno,è criminū meorū tumulo cum Ieſu reſurgā ad auras vitę melioris.Quicūque itaque ſic cogitat,omnino ſibi aromata cōparat,quibus Ieſu rediuiuum perungere pergit. Capitur enim ſponſus odoribus huiuſmodi, ac mirificè ciuili hoc offitio, & ſedulitate delectatur.Sed ad pias matronas reuertatur oratio. Vnxerunt Chriſtū viri Deo dediti, & religioſi, Ioſeph Arymatęus & Nicodemus,ac corpus ita ritè aloê, myrrhaq; perlitū ſepulchro cōdiderūt: ſed ne mulieres viderentur eſſe ſegniores viris eodē obſequio Deū ſibi demereri voluerunt,ne in tā claro,laudatoque negotio cedere viderentur. Receptum erat Iudaicæ(ſi cui genti alteri) mortuos ſuos magno etiā impēdio vngere.Rex
2.Par. 16. Aſa vbi fato cōceſsiſſet, à medicis in hūc vſum accerſitis, aromatibus precioſiſsimis eſt condi-
Geneſ. 50. tus.Similē pietatem erga defuncti iā patris corpus exhibuit Ioſeph,pręcipiens pellinctoribus, vt aromate illud perlinerent . Quod ſi piū fuit, & honeſtum, vel iſtū Patriarcham, vel illum regem ita condire, honeſtiſsimū eſſe quis negare poſſet.omnium regum, patriarcharumq; principi Chriſto ad eundem modū gratificari , qui tantò duobus illis vnus maior eſt, quantò lucifero

ſero præſtantior ſplēdor ſolis. Laudi in Biblijs tribuitur Reſphæ nutrici, quod filiorum Saulis ſuſpenſa cadauera cilitio recubans, & veluti in funebri veſte excubias agens, noctu, & interdiu à feris, & volucribus cuſtodierit. Sed quantò illorum cadauera cedunt exanimi corpori regis Ieſu, tantò clarior eſt iſtarū matronarum, quam Reſphę illius pietas. Mirrha verò puriſsimum IESV regis noſtri corpus aliquando condiendum, præluſiſſe mihi olim tres Magi videntur, dum cum thure, atque auro myrrhā quoque ad recens in lucē editum infantem attulerunt, qua nimirum teſtatū volebant, puerum hunc aliquando mortis neceſsitati ceſſurum. Sed quid agitis, vel potiùs quid ſatagitis piæ matronæ, quid ſatagitis? Nō videbit caro iſta (Dauid teſte) corruptionē. Fruſtrà igitur anxiæ, fruſtrà ſollicitæ eſtis. Imò ſi ad mille annorum chiliades in tumulo, aut ſarcophago IESVS clauderetur, expers, & grauis odoris omnino immunis perſeueraret. Ipſe quippe archa eſt è lignis Sethim, id eſt, impuıribilibus, confecta. Sedulius noſter eleganter de his aromatibus olim cecinit:

2. Reg. 21.

Math. 2.

Pſal. 15.

Exodi. 25.

Xeromyrrham poſt Sabbatum
Quædam vehebant corpori:
Quas allocutus Angelus,
Viuum ſepulchro non tegi,
Hymnis venite dulcibus
Omnes canamus ſubditum
Chriſti triumpho Tartarum,
Qui nos redemit venditus.

Quidni ſeruaret, & defenderet à corruptione ſui corporis archā IESVS, qui ſolo verbo iam

fœten-

fœtentis Lazari cadauer ad vitam reuocauit? Laudandę verò, & omnium ſuffragiorũ calculis celebrandæ matronæ, quæ, vt erga viuum, ita & erga mortuum I E S V M beneficę, atque officioſę fuerunt. Eleganter & præclarè M. Cicero ſcribit, ſolē è cœlo detrahere velle eos, qui amicitiã tollunt ex hominum conuictu. Oportet profecto (cùm à natura ipſa ita comparatũ videmus) ſolē perpetuo in cœlo manere, ac cõſtãter hominibus lucere. Varijs verò (confitemur ingenuè) obducitur nubibus, ac nõnunquam etiã noſtris oculis ſubduci videtur, manet tamē nihilominus, ac perſeuerat. Ad eundē modum & amorē inter nos mutuum, nec proſperitate, nec rerũ triſtium aduerſitate labefactari, aut extingui decet. Huc facit illud Iſocratis: equi virtutem in prælio, amici verò fidem aduerſitate explorari.

Libello de amicitia.

Et valde mane venerunt ad monumentum vna Sabbatorum orto iam ſole.

Vna ſabbatorũ, phraſi Hebraica, dictum eſt, pro prima ſabbathorum, qui dies nobis eſt Dominicus. Vna igitur Sabbathorũ, ſiue (vt habet Mathæus) prima Sabbathorũ, pro prima hebdomadis die accipi debet. Receptum enim apud Iudæos erat, omnes dies, Sabbati inſigniri titulo, ea tamen moderatione, vt ſeptima Sabbathum magnum appellaretur: quod Hieronymus, Auguſtinus, necnõ Euthymius olim adnotârunt. Prima verò Sabbathi, ſiue prima hebdomadis, Chriſtianis ſolennis & feſta eſt, eò quòd in eã inſiderit Dominica reſurrectio, qua Diabolum ſpolijs ſuis exutum, & prorſus exar-

matum duxerit Chriſtus in triumphum. Alludit Iacobus Sannazarius: *Iacobus Sannazar Lamẽtatione de morte Chriſti.*

Num nigra videtis
Tartara, tot claris hominum viduata trophæis?
Deſertáſque in nocte domos, & triſtia regna,
Fœlicéſque animas lætum pæana canentes,
Ponè ſequi regem, & cælo inſediſſe ſereno?

Nec otioſum eſt cõſiderare matronarum ſedulam alacritatem, quæ non dormiunt in multam lucem, ſed quaſi tota nocte ſecum voluunt, quo pacto pietatis affectum erga IESVM exprimant. Sic charitas ſemper vigil eſt. Ita & ſponſa, Cant. 3: Quæram quem diligit anima mea, Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas. Porro myſticè hîc inſtruimur, vt illuminata facie, diſcuſſiſque tenebris vitiorum, ad Deũ properemus. Id Beda in Marcum annotat. Confeſtim igitur vbi ſol iuſtitiæ nobis radios ſuos porrexerit, ſurgamus, & ad ipſum procurramus. Oritur verò nobis, quoties ad ſpiritualia euehit. Abraham ſummo mane itineri ſe accingit, vt filium Iſaac immolet. Mane ſurgit Gedeon, vt cum Madianitis congrediatur. Ne tardes conuerti ad Dominum, nec procraſtines de die in diem. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. *Cant. 3. Geneſ. 22. Iudic. 7. Eccl. 5. Pſal. 90.*

Dicebant verò ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

Lapidis reuolutio (inquit Beatus Anſelmus) ſignificat reſerationem ſacramentorum

Chriſti, quæ velamine literæ legalis tegebantur. Lex enim ſcripta eſt in lapide, cuius ablato tegmine, oſtenſa eſt gloria reſurrectionis Dominicæ. Quapropter cùm nemo omnium præter agnum, dignus eſt inuentus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius, ideo quærunt:

Quis reuoluet lapidem?

Magna eſt ſcripturæ ſacræ obſcuritas, quam non niſi agnus ille, & magni conſilij angelus reuoluere poteſt. Id quod & Clemens Libro 5. adnotauit. Fuerunt (inquit) myſteria, quæ abſconſa fuerũt vſque ad Apoſtolos, & tradita ſunt ab ipſis, vt à Domino acceperunt. Quoties ergo Scripturæ nodus occurrit, nihil diffidamus, nihil ceſſemus, ſed ad agnum optimum, ſacræ Scripturæ interpretem reſpiciamus: illi noſtra vota atque deſideria explicantes, vt vel per fidum, catholicumque Eccleſiaſten, Scripturę myſteria, vel per alium quempiam eruditum aperiat. Neque enim noſtro ſtudio quamlibet pertinaci, & diligenti, neque ingenij perſpicacitate ſacræ litere arcana ſenſa cõprehenduntur, niſi Spiritus ſanctus clauem admoueat, intellectum aperiat: ac, quemadmodum Ioanni Euangeliſtæ in Pathmos exuláti, arcana ſua reuelet. Sic Dominus Purpurarię aperuit cor, vt intẽderet ijs quę à Paulo dicebãtur. Sic D. Thomas Aquinas ingenuè fatetur, ſe plus in S. Scriptura promouiſſe precibus, quàm ſtudio. Non eſſet alienũ à noſtro propoſito hic citare Origenem, qui àſſerit mortis Chriſti merito prophetarum ſcripta reſerata fuiſſe.

Clemens li. 5. ſtromat.

Act. ca. 16.

Nam

Nam petræ ſciſſæ ſunt, hoc eſt, ſolida prophetarum oracula patefacta ſunt, ita vt poſsimus in ea intueri.

Viderunt reuolutum lapidem. Math. cap. 28. legis, quis reuoluerit lapidem. Ecce (inquit) terremotus factus eſt magnus, & accedens Angelus reuoluit lapidem. Neque tamen idcirco remouit ſaxum illud grande, vt Regi ſuo viam panderet, ſed vt egreſſus ſui hominibus daret inditium, aditumque mulieribus aperiret. Is enim, qui clauſo virginis Mariæ vtero, in lucē olim prodijt, cur non ſimili virtute prodire poſſet rediuiuus è ſepulchro? Cuius rei, vt faceret fidem, etiam clauſis ianuis ad diſcipulos penetrauit. Non eſt illepida huius rei figura, in Geneſi. Vbi Ioſeph per calumniam commiſſus carceri, in vinctos omnes poteſtatem accepit, ac diuino nutu, veluti inter mortuos, ac vinctos liber, ſupplicia redemptionemque diſpenſat. Ad eum modum vinctorum aliquos ſoluit Chriſtus, infernum, Plutoniſque regnum concutiens, ac pleroſque ſupplicijs æternis inuoluens. *Gen. ca. 39*

Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertū ſtola candida: & obſtupuerūt. Apparuit Angelus iuuenili ætate, & florida, ſicut & Angelus Raphael Tobię. Sic enim apparere decuit, ob nunquā mortalē, aut deciduam angelicę naturę incorruptibilitatē. Erimus & nos olim, vbi in ęternam fuerimus recepti quietem, huius ætatis, ſecundum menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Quòd verò ad dexteram ſeſe oſtēdit Angelus, ſignificatur *Eph. ca. 4.*

nos ad dexteram aliquando inter oues conſtituendos, ac gloria cœleſti donandos. Porro ſicut cuſtodes ad inopinatum angeli fulgorem pænè exanimati ſunt, ita & mulieres conſter-
Luce 24. natæ ſunt (vt ait Lucas) vel (vt Marcus) obſtupuerunt. Non enim poteſt fulgorem diuinum ſine horrore perſpicere humana natura. Sed cuſtodes à ſuo ſtupore & conſternatione non ſoluit Angelus: Nam ad eos perterrefaciendos fuerat miſſus. Has verò mox à metu liberare ſtuduit, quia non venerat eas perterrefacturus, ſed conſolaturus potius, & inſtructurus. Dicit igitur: *Nolite expaueſcere vos*, Ac ſi dicat: Merito exanimantur hi hoſtes, qui reſurrectionem regis noſtri tam illuſtrē & ſplendidam obſcurare, & ſupprimere conantur: Vos autem nolite metuere, quæ pio offitio veſtram cupitis erga meum Dominum declarare dilectionem. Nihil igitur mirum, quòd paululum obſtupuerunt: Trepida enim mulierum natura eſt. Sic vxor Manuhæ ait: Vir Dei, inquit, venit ad me terribilis nimis, habens vultum
Daniel. 9. angelicum. Et Daniel: Domine in viſione tua ſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me re-
Luc. 24. manſit virium. Memorabile eſt, quod Lucas de his mulieribus commemorat: videlicet quòd oculos in terram declinauerint, quod ſanè pu-
Gen. 24. dicarum eſt. Sic Rebecca obnubebat vultum ſuum, & velabat, conſpecto Iſaac inambulante per agros. Elegantiſsimus poëta Vergilius, dum filiam Latini regis laudat, ita canit.

Subuehitur magna matrum Regina caterua
Verg. li. 11. *Dona ferens, iuxtàque comes Lauinia virgo*

Cauſa

Cauſa mali tanti, atque oculos deiecta decoros.
Impudicitiæ certè argumentum eſt, ſi puella oculos habeat vagos, & ſublimes. Italæ operiunt ſe panno lineo. Hiſpanicæ verò, atque Germanicæ ſericeo, ne videlicet vel facilè conſpiciant, vel conſpiciantur. At Turchicæ matronæ aſpectibus virorum non apparent, niſi facie prorſus contecta. Vix licet intueri, quod nō licet concupiſcere. Suggillantur virgines Syon apud Eſaiam, quòd nutibus oculorum ibant, & plaudebant. Certè fornicatio mulierum (ait Sapiens) in extollentia oculorum, & in palpebris eius agnoſcetur: Et Oculos habent plenos adulterij, & inceſſabilis delicti. Sed hæc ſuperflua & parerga videri poſſent. Verùm ita eſto, ſint parerga, modò non ingrata, aut inutilia. Neque hoc prætereundum, quòd angelus non ſteterit, ſed ſederit. Stare pugnantium eſt, ſedere verò quieſcentium. Stabant angeli, quando Ieſus natus eſt ad laborem, & agonem pro genere humano in ſe recipiendum; iam verò ſedet ad dexteram Patris. Quapropter decet in ſepulchro angelum ſedere. Sic tecum agi cogites velim: Si Imperator tuus prius ſtetit, deinde ſedit, eo quoque te ordine progredi oportet. Hic pugnandum, olim quieſcendum. Sedebis olim ſub vite tua, ſub ficu tua, in pace perpetua, in requie opulenta, in tabernaculis fiduciæ.

Eſaie 3. *Eccle. 26.* *2. Pet. 2.* *Eſaie 32.*

Tunc recordabimur periculorū, in quibus verſamur, tribulationū quibus affligimur, miſeriarū quibus inuoluimur: & mirabiliter lætabimur, quia hæc omnia tranſierunt ſicut vmbra.

Bernardus in ſerm. de diſcipulorū euntiū in Emaus.

Tunc plantabimus vineas in monte Samariæ, & audiemus vocem gaudij, vocē ſponſi, & vocem ſponſæ, & videbimus gloriam Regis, &
Tob.ca.13. Reginæ. Tunc (teſte Tobia) plateæ Hieruſalē ſternentur auro, & per vicos eius alleluya cātabitur. Eruntq; tū nuptiæ agni, & ſponſæ eius
Apoc. 19. dabitur, vt cingat ſe byſſo ſplendenti. Tunc requieſcet arca noſtra, tot periculis defuncta, tot fluctibus erepta, in montibus, ſed menſe
Geneſ. 8. ſeptimo. Obſecro vos, viri fratres, per IESV reſurgentis gloriam, vt veſtros dolores, veſtras pugnas alto ſilentio prematis, & fortiter plagas inflictas ferētes, taceatis, donec veniat dies ſeptima. Non enim aliter quàm Iſraelitæ ſub Ioſue, ſic ſub Ieſu Chriſti teſſera & ſignis dimicantes, aduerſus Hierecontinos muros aciem inſtruitis, ſed poſt ſex huius militiæ dies, vbi
Ioſ. cap. 6. effulſerit dies ſeptima, hoc eſt, dies victoriæ, edito clamore, propugnacula, & turres aduerſariæ vrbis corruent. Tum & Raab meretrix rubri funiculi hæres, vobiſcum leget ac diuidet ſpolia. Quis verò ambigat, quot canes circumlatrantes, quot fuci circumſtrepentes, vel ad currendum modò, vel ad ſtādum è quiete te tua propellant? Sed inuitis illis, tanquam agnus cū Ieſu paſtore tuo in regno patris veſtri aliquādo ſedebis, imò & perpetuò ſedebis, & quieſces. Deum immortalem, quot iam Reges & tyrāni armorum vi agricolas & viduas patrijs expellunt, exiguntque ſedibus: quot purpurati, & dynaſtæ miſero alicui inclamant ad aures: Tu
Iac. cap. 2. ſta ibi, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: illi autem qui ingreſſus eſt veſte prçcioſa, aiūt:
Tu

Tu ſede hîc bene. O perſonarũ acceptionem. Non pudet ita cum fidelibus & domeſticis fidei agere? Veniet, veniet Rex æternus, qui nõ eſt acceptor perſonarum, & inuerſa huius vitę ſcæna, deponet potentes de ſede, & exaltabit humiles. Verum audiamus quo ordine, quibúſque verbis Angelus reſpondet conſternatis mulierculis: *Luc. 2.*

Nolite expaueſcere, Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum, ſurrexit, non eſt hic. Paueant (inquit Gregorius) illi, qui nõ amant aduentũ ſuperno rum ciuium. Pertimeſcãt carnalibus preſsi deſiderijs, qui ad eorum ſocietatem ſe pertingere poſſe deſperant. Vos autem cur pertimeſcitis, quę veſtros conciues videtis? Paueat Iudas, tre pidet Pilatus, metuat Herodes, exhorreſcat impius Caiphas. Hi fabricatores ſcelerũ, quem cruci inſeruerunt mòdò, vt mitem agniculum, olim cõſpecturi ſunt vt animoſum leonem, ac vindicem. Ille tum vos, veſtrique ſimiles ſecuras eſſe iubebit, illis autem æternum metum incutiet.

Ieſum Nazarenum Crucifixum.

Non confunditur Angelus magiſtrum ſuũ vocare crucifixũ. Illi qui olim ſiue apud Iudęos, ſiue apud barbaras gẽtes crucifigebantur, igno minia ob id notabantur, & maledictus erat omnis, qui pẽdebat in ligno. Nam Crux illis argumẽtum maleficij erat: Chriſto verò ſumma & nullis vnquam ſæculis obliteranda, gloria. Quippe cùm in ea incredibilem erga genus no ſtrum beneuolentiam, & charitatem, & contra dęmones, mortem, atque peccatum decla-

rauerit poteſtatem. Pluſquam pueriliter deſipiunt mundanę glorię mãcipia,quę crucis myſterium cane peius & angue fugiunt.Quis non videt,quàm longè iſti futuri ſint(niſi reſipiſcãt) à crucifixi gloria,qui crucifixi non amplectuntur, ac ſuſpiciunt ſupplicia? Sit crux Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitia, nobis crucifixi baptiſmate conſignatis, virtus ac vnica ſalus.

Ignatius Epiſtol. Non deſipimus, qui cum Ignatio dicimus: *Amor meus crucifixus eſt.* Acquieſcimus etiam

Tertullia. lib. de corone militis. Tertulliani conſilio,qui lib. de corona militis ita ſcribit:Ad omnẽ progreſſum, atq; promotionem,ad omnẽ aditum,atq; exitum,ad veſtitum,atq; calceatum,ad lauachra,atq; mẽſas,ad cubilia,ad ſedilia,quecunq; nos cõuerſatio exercet, frontẽ crucis ſignaculo terimus: Harum & aliarum diſciplinarũ ſi legẽ expoſtulas ſcripturarum,nullã inuenies,traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo cõfirmatrix & fides

Chryſoſto. homil. 13. in epiſt. ad Philipp. obſeruatrix. His ſimilia habet Chryſoſtomus: Cruce (inquit) vtimur,ſiue in itinere ſimus, ſiue in domo, imò vbicunque ſumus. Quid ni igitur veneremur crucem,cuius ope dęmonem

1. Reg. 21. proſternimus? Si ob partam contra Goliad victoriam,eius gladius celebris in templo eſt habitus, imò & reſeruatus, quantò potius honoranda eſt Crux noſtri ſaluatoris,per quã mors iugulata eſt, infernus exſpoliatus, peccatũ denique eſt exarmatum? Nunc igitur ad vos auditores candidiſsimi,orationẽ flecto,precorq;, ſi ſani, ſaluiq; eſſe cupitis,vt cũ mulierculis iſtis tam pijs,tamque Deo deditis, IESVM quęratis crucifixum.Neque enim (teſte Chryſoſt.) ſic regia

: regia corona exornatur caput, vt cruce. *Chryſ. ho-mil. quod Chriſt' ſit Deus.*
ad pergendum, ne faſtidium cuiquam.
Surrexit, non eſt hic. Ecce locus vbi poſuerũt eum.
on ob aliud Angelus reuoluerat lapidem, niſi
: regis Syon lectulum vacuum eſſe oſtende-
t. Imperiti concionatores Caluiniſtico iure,
u pure, vndique perfuſi, hunc locum è ſugge-
o, plenis tibijs inclamando, vrgere ſolent, vo-
ntes oſtendere Chriſtum nõ eſſe in Euchari-
ia. O occæcatos, ac lucifugas talpas. Egregiã
erò laudem, & ſpolia ampla ex tã coacta refe-
ẽtes interpretatione. Chriſtus reſurrexit, ne-
ue amplius eſt in ſepulchro, igitur non eſt in
cramento. Caluinus ſurrexit è lecto, igitur nõ
t in mundo. vel igitur non eſt alibi. Ridicu-
um, Tales philoſophos, tales Zenones, &
ryſippos parit nobis ſcabioſa hæreſis. Sed
æc nobis aliâs vapulabit. & abſurditatis ſuæ
œnas dabit. *Ecce locus vbi poſuerunt eum.* Id-
rco angelus, ſiue Gabriel ille, ſiue peculiaris,
c proprius Ieſu angelus fuerit, vt nõnulli ſen-
iũt, lapidem remouit, vt apertè conſpicerent
rucifixum reſurrexiſſe, atque ſepulchrum de-
ruiſſe. Inſignis ſanè & nullius ętatis iniuria a-
olendus locus eſt Chriſti monumentũ, cui Im-
eratoribus, regibus principibuſq; mũdi genua
ffixiſſe, ſumma exiſtimatur eſſe gloria. Imo
am admirandus locus, vt à barbaris, & Tur-
his etiam ſuſpiciatur. Præſcius, & præſa-
us loci huius Eſaias ita vaticinatur: Erit ſe- *Eſa. 11.*
ulchrum eius glorioſum. Locus ſanè maiori
c vocaliori tuba quàm tenui eloquij noſtri
uena celebrandus. De hoc loco ita Sedulius:

ſimul cum munere matres
Sedulius l. 5. carminum. *Meſsis aromaticæ, noctu venère gementes*
Ad tumulum, vacuumq́ videt iam corpore factū,
Sed plenum virtute locum.

Porrò quanto ſepulchrum regis noſtri admirabilius, digniuſq́;, tantò acrius reprehendēdi orbis huius reges, qui malunt potiùs mutuis ſimultatibus inter ſe conflictari, mutuis armis colluctari, quàm coniunctis copijs, viribuſque, immani beluæ, Turcharū principi regis ſui lectulum ereptum ire. Laſciuiunt mollibus in lectis, ac fugientem nonnunquam ſomnū ſibi cōciliare cōnantur, & IESV non loculū, ſed lectum potiùs neglectum ſinunt eſſe & inhonorum. Vbi nunc Frederici, Philippi, Ricardi, Balduini, Gotfredi, religioſa & inuicta pectora, qui vel neglectis regnī, vel omiſsis negotijs, qui amplisſimis opibus relictis, per Thraciā, Bithiniā, Cilitiamq́; irrumpentes in Paleſtinam duxerūt florentiſsimos exercitus, ac vi multa, barbariē contra Euangelium religionemq́; Chriſtianam aſſurgentem, contuderunt? Sanctiſsimus locus ſepulchrum, vbi ſanctum illud ab omni corruptione alienum corpus repoſitum, locupletiſ-
Metanaſis ad Eucharistiam. ſimus locus, vbi generis humani pretium conditum fuit. Vtinam et cor noſtrum huiuſmodi locus eſſet, in quo totus IESVS, ſed iam immortalis, hoc ſacri Paſchatis die recipiatur.
Quod ſi tantus amor illum è ſacerdotis manu, ſub panis viniq́ue inuolucris contectum, excipiendi, eya viri fratres ἄνδρες ἀδελφοι, parate ſyndonem, comparate myrrham, balſamum, aloen, ſtacten, & caſsiam, & quicquid vſquam reperiri

reperiri poteſt aromatum; vt tantus Rex, tantus ſponſus opulentè, & ſuauiter intra pectoris penetralia recipiatur.

Stat ad oſtium, & pulſat, atque ad cœnam admitti intus flagitat. Quod ſi liuidus ille, & vaferrimus ſerpens etiam poſthac adrepere, & in thalamum regis ſeſe inſinuare velit, confeſtim illi ô Chriſtiane reſpondeas quæſo: Rex idemque ſponſus meus IESVS iam occupauit hocce cordis mei hoſpitiolũ, rex Solomon recubat hoc lectulo, ecce locus vbi poſuerunt eum. Locum Chriſto dicatum tu occupabis? Oſtium iſtud cum poſtibus agni ſanguine tinctis tu ingredieris? Miſera, & infœlix animula ſum, ſępeque à Deo fornicata, atque ad alienos, & me indignos amores (diffiteri neque volo, neque poſſum) reſpexi, ſed ex animo pœnitet ſcelerum admiſſorum. Nónne & Raab meretrix fuit? verùm cùm funiculum coççineum è feneſtra ſuſpendiſſet, mortem effugit. Hoſpitioli mei inſigne, et ſigillum, mors Chriſti eſt: quod cùm tu violẽte prædo clariſsimè intuearis, miror te mihi fieri tam propinquum, ac tantopere ambire, ac moliri aditum. Abito otius. Expoliaui me tunica mea, quomodo iterum induar illa? Laui pedes meos, quomodo rurſus inquinabo eos? Ædificaui domũ meam, quomodo rurſus deſtruam illam? Salubriter à prudẽti medico alligata ſunt vulnera mea, quo modo temerarius ſoluam has faſcias ritè alligatas, vim medicaminis perditurus? Sed finem imponamus prolixę concioni, *Ite dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.*

Apoc. ca. 3.

Exo. ca. 12.

Iuſtin. *colloquio cũ Tryphone.*

Ioſu. ca. 6.

Can. cap. 5.

Ecce ſicut per fœmineum ſexum mors perue-nit ad virum, ſic & hîc vitę reſurrectio rurſus per eundē ſexum annunciatur viris. *Et Petro.* Negauerat Petrus Dominum, quamobrem ſe quoque Apoſtolatu indignum iudicauit. Quòd ſi Angelus eum apertè nō nominaſſet, è ſpecu, quo ſe cōdiderat, prodire nequaquā auſus fuiſ-ſet. Imo nunciantibus mulieribus, atque aſſe-uerantibus ſibi ab Angelo præceptum, diſcipu-lis aperire Chriſti recentem reſurrectionem, re-ſpondiſſet, iam ſe de diſcipulorum numero nō eſſe, atque ex albo illo, ſeu catalogo expunctū: quippe qui perfidus magiſtrum ſuum ter abne-gaſſet. Verùm vbi audiſſet, ſe etiā nomine ex-preſſum, exilijt præ gaudio, ac vix ſe capiens, mirabatur ſe non eſſe obliuioni traditum, at-que è Dominici pectoris ſcriniolo eraſum, eie-ctumque: Vnde incredibilem Domini IESV benignitatem exoſculabatur.

ANNOTATIVNCVLÆ IN præcedens Euangelium.

Annotatiuncula Prima.

ET Salomæ. *Vocabulum hoc mulieri proprium fuit. Georgius VVicelius ait, fuiſſe matrē filiorū Zebedæi. Neſcio vnde vulgo ſit perſuaſum, hanc ap-pellari Mariā Salome. Beatus Hieronymus quæſt. 4. ad Hedibiam, aſſerit quatuor duntaxat fuiſſe Ma-rias, videlicet Mariā matrem Domini, Mariā Cleo-phæ, Mariam Iacobi, & Mariam Magdalenam.*

Secvnda.

Orto iam ſole. *Non id ita accipiendum, quaſi ſol iam tum eſſet cōſpectus ſuper terram: ſed quòd ra-dios, ac ſplendorem iam diffundere cæperit. Dilucu-lum*

lum enim nõ fit, niſi ſolis fulgore ſe in terrã aliquantum inſinuante, fortè iã radij ex mõtis Oliueti cacumine, aut alijs rupib⁹ nõnihil lucis ſparſerat. Id Lucas vocat valde diluculo, vel vt habẽt Græci, profundo diluculo. Ioãnes ait, mane cùm adhuc tenebræ eſſent.

TERTIA.

Introeuntes in monumentum. *Ne mireris mulieres introiſſe ſepulchrum, ſcito locum ſepulchri, cauernam fuiſſe rotundam in rupe factam, 8. pedum longitudinis, ſex latitudinis. Ab orientali tumuli parte per oſtiolum deſcenditur aliquot gradibus, & ibi eſt ſpelunca in parte ingredientium ſiniſtra. Hæc ex Nicolao Zegero minorita.*

QVARTA.

Diſcipulis dicite, & Petro. *Mirum quòd tanti peccatoris tanta ſit cura. Præ cæteris iſte peccauit, & præ cæteris vehementer etiam doluit, fleuitque amarius. Declaratur hic verũ eſſe illud Rom. 5. Vbi abũdauit delictum ſuperabundauit & gratia. Incredibile dictu. Inter viros Ieſu diſcipulos primum Chriſtum reſurrexiſſe cognouit Petrus maximus peccator. Inter mulieres primum cognouit reſurrectionem Maria Magdalena, maxima peccatrix. En quanta cura perditarum ouium, quàm diligens, & benigna de peccatoribus ſollicitudo.* Rom. 5.

QVINTA.

Ecce locus &c. *Non potui id præterire, quod notat ex D. Hieronymo Magiſter noſter Thomas à Beaulxamis: videlicet à reſurrectione noſtra nihil ſupereſſe aliud, quàm locum mortis noſtræ, ſepulchrum ſcilicet: cætera autem omnia abolita erunt. Mors enim non erit vltra, neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor, quæ prima abierunt.* Apocal. 21.

SEXTA.

SEXTA.

Præcedet vos in Galilæam, &c. *Ad hanc ſententiam apertius capiendam à D. Auguſtino lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtarũ, plurimum lucis hauriemus. Non, inquit, intelligendum eſt, quòd Dominus primum apparuerit in Galilæa: Nam primum ſe rediuiuum exhibuit conſpiciendum Hieroſolymis, & diſcipulis euntibus in Emaus: ſed quibuſdam diebus interiectis, ſe oſtendit in Galilæa, videlicet ad mare Tyberiadis, & alibi. D. Hieronymus epiſtola ad Hedibiam ſic locum hunc conciliat, quòd trepidis, & adhuc pauidis, & occluſis apparuerit in Iudæa: lætis autem & liberis in Galilæa. Quod in Iudæa ſe oſtendit, conſolationis fuit: quòd in Galilæa, familiaritatis.*

DOMINICA IN OCTAVIS PASCHÆ EVANGELIVM

Ioannis. 20. cap.

CVm ſero eſſet die illo vna ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dicit eis:*

Cùm pijs, ac perſanctis colloquijs darent operam diſcipuli, ecce de repente non lupus, ſed agnus erat in fabula. Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. Solent milites, quibus dux, vel Imperator charus eſt, lubenter illius victorias denarrare, illius triumphos ebuccinare. Sic Athenienſes, Alcibiades, ac Themiſtocles ſuos: Lacædemonij, Ageſilaos, Lyſandros, & Pauſanias: Romani, Scipiones, Camillos, & Marios in ore

Math. 18.

ore habere conſueuerunt. Diſcipuli igitur
omini IESV Imperatoris ſui, ac magiſtri mor
m, dolores, victriciaque vulnera inter ſeſe
mmemorabãt. Tam enim erat mors Chriſti
o nobis obita acerba, tam operoſa, tam ple-
ſyncerae charitatis, addam, tam plena do-
rum; vt perpetuo nobis ante oculos verſari
erito debeat. Huc aptè citauero illud Eccleſ.
ratiam fideiuſſoris tui non obliuiſcaris, ipſe *Eccle. 29.*
nim pro te dedit animam ſuam. Quapropter
ehementer mihi reprehendendi, qui tam vbe-
is, & indebitæ tamen gratiæ, hoc eſt, & duelli,
victoriæ Ieſu veluti obliti, ſacris his diebus
ihil præter mundi huius leues, inutileſque pa-
eas vel corde verſant, vel ore promunt: De Ieſu
utem nulla mentio, nulla cõmemoratio. Sicci-
ne ingrate homuncio obliuiſceris fideiuſſoris
tui, qui cùm ſoluendo non eſſes, pro te vltro de
dit, poſuitque animam? Vide ne dum ore, cor-
de, & manibus quoque paleas ſectaris, ipſe pa-
lea fias. Si Deus in corde, veluti in templo ſuo *1. Corin. 3.*
reſideret, proculdubio ille tibi quoq; in lingua, *& 6.*
& ore nataret. Nam cordis index oratio eſt,
atque in verbo nõ aliter atque in ſpeculo cor-
dis plenitudo apparet. Ex abundantia cordis
os loquitur. Si memoria Ioſiæ regis in compo
ſitione vnguenti, quàm fragrat, quàm gratum
ſpirat odorem memoria Ieſu Regis? Memoria- *Eccle. 49.*
le tuum ô Ieſu ſicut vinum Libani. Imo infini- *Hoſee. 14.*
tis partibus eſt ſuauius Ieſu nomen ore pio, &
benigno aſſumptum, quàm generoſi vini hau-
ſtus, etiam ſi auro, aut gemma bibatur. Ieſus in
corde iubilus, in ore riſus, in aure melos, in via
vehicu-

VITTORIO EMANUELE ROMA

vehiculũ,in agro ſocius,in lecto ſpõſus,in morte vita, in regno beatitudo. Nolite igitur viri fratres,hac paſchali ſolẽnitate linguã veſtrã ſanguine agni tinctã ad inanes fabulas,& mũdi oblectaměta,ludibriaq; cõuertere.Si minimus digitus veſter à rege quopiã ornaretur adamãte, aut ſmaragdo,nónne planè abſurdũ eſſet,illum cœno fœtido inſerere? Quid,malũ,igitur linguã veſtrã nũc purpureo Chriſti ſanguine (vt Chryſ. loquitur) inauratã, ad ſpurcas, & quouis luto magis olidas fabulas ſoluitis? *Cùm ſero eſſet.*

Venit ſol,vt proxima ſydera,& calfaceret,& illuſtraret: Ipſe lux vera,qui illuminat omnẽ hominẽ, ſtetit veluti animoſus dux inter milites pauidos,qui iã metu ferè obriguerãt. Stetit animoſus inter exangues,& exanimes,vſq; adeo, vt nihil haberẽt cõſilij,niſi de occludẽdis foribus, non tã propter noctis caliginẽ, quã propter graſſantes ſui magiſtri hoſtes,quibus nõ ſatis erat ſolẽ ad mortẽ detraxiſſe, niſi & ſydera quoq; extinguerẽt. Nec viſus eſt eo aduenire, ſed de repente, & ſubitò inter illos cõſtitit,ac præſens factus eſt,quomodo & angeli apparere ſolẽt,qui dũ volunt, cõſpicui ſunt: vbi diuerſum libet,ſubitò euaneſcũt,& fiunt inuiſibiles. Micropiſti,hoc eſt,qui habent puſillã, vel nullã fidẽ, quos cõtra dimicat cum Cyrillo Wycelius, opinantur Chriſtum veluti tunicã depoſuiſſe corpus, priuſquã ingreſſus eſt clauſis ianuis. Sed Chriſtus rerum naturæ nequaquã ſubiacet, quin potius (vt D. Auguſtino placet) moli corporis,vbi diuinitas erat,oſtia clauſa nõ obſtiterũt. Dicite quæſo myſteriomachi, cur nõ licet crea-

Ioann. 1.

Cyrillus.

creatoris corpori, quod datũ eſt ſoli, qui clauſis feneſtris, & ianuis, cubiculũ veſtrũ ingreditur? Sed quomodo mortalis clauſo, & ſignato prodijt ſepulchro? Idcirco igitur (ait Theoph.) occluſis ianuis ingreditur, vt perſuaderentur eum potuiſſe etiã clauſo egredi ſepulchro: cũ vtrunque ſit paris facilitatis, cui nihil eſt difficile. Metus aũt diſcipulos in vnã veluti maſſam coëgerat, quod & ouibus euenire ſolet & bobus, quibus natura magiſtra dictat cuneũ, & cõdenſatã, cõfertamq; aciẽ ſtruere, ne lupus facta impreſſione irrumpat. Sed cur tã vehemẽter pauẽt, niſi quia cor illorũ nõdũ erat obſignatũ Spiritu S. Ac vbi virtute ex alto loricati fuerunt, quaſſibet hoſtiũ turmas perrũpere auidi, nec ſecures, nec ignes, nec ferrũ, deniq; neq; mortẽ ipſam, rerũ omniũ horrendiſsimã, timuerũt. Nõ tum fores vectibus, aut feris obfirmauerũt, ſed foris impigrè prædicauerũt, conſtantiã eam operãte, quę per S. ſanctũ diffuſa eſt charitate, quę foras mittit timorẽ. Neq; abſurdũ fuerit dicere, quòd ideo clauſerũt fores, vt patrẽ ſecretius orarent iã clauſo in cubiculo. *Dixit eis: Pax vobis.* Potuiſſent Apoſtoli exiſtimare, Ieſum vel ſpiritũ, vel ſpectrũ eſſe, ſed cõſueta pacis imprecatione intelligũt illũ eſſe magiſtrũ ſuũ. *Pax vobis.* Acſi diceret: Patrẽ vobis placaui, aduerſarias partes ſubegi, dęmones frenaui, infernum deſpoliaui. Quid nũc igitur reſtat, niſi vt ſecuri accedatis, ac intrepidè dicatis: Pater noſter, qui es in cœlis: Ecce paſsiõis fructũ. Pacẽ impetrauit nobis, ſine qua omnia nihil sũt. Impetrauit pacẽ cõſcientiæ noſtræ, & hanc pacẽ modò diſtribuit.

Theophil. *Rom. 5.* *Math. 6.*

Arcuit

Arcuit nos hactenus ancipiti gladio paradiſi cu ſtos,cherubin,nec temere ad primas illas delitias recurrere licuit; venit Meſsias, ac morte ſua ſponte perpeſſa iter omne parauit,aditumque amoto angelo reſerauit, per quem acceſ-
Ephes. 2. ſum ad patrem habemus. Ipſi igitur hanc pacem acceptam feramus,non iuſtitia,aut meritis noſtris. Hæc igitur ſalutatio maximè decuit Chriſtum, deinde & angelos, decuit & nouos Euangelij præcones Apoſtolos, qui neque à Chriſto, neque ab angelis prorſus ſunt alieni. Sunt enim & apoſtoli ipſi nihil aliud quàm angeli,dum hominibus corde bono, & benigno verbi dei ſemen aſſumētibus pacem nunciant, ac conſcientiæ tranquillitatem pollicentur.Iubentur interim & huiuſmodi ſalutationem hoſpitibus ſuis impartiri, dum euāgelium annũciaturi, in domum aliquam ſe receperint, dicente Chriſto:In quamcunque domum intrau e
Luce 12. ritis, primum dicite:Pax huic domui.Chriſtus nihil crebrius inculcat quàm pacē. Pax eſt inſigne filiorum Dei. *Candida pax homines, trux decet ira feras.* Principes huius mundi inſigni quopiam ſuos famulos notant, vt ab alijs dig-
Rom. 12. noſci poſſent.Pacis ſymbolo cognoſcuntur genuini filij dei.Si fieri poteſt,cum omnibus pacē habentes.

*Cum hoc dixiſſet,oſtendit eis manus & latus.*Cùm non ſatis adhuc ſalutatione tam amica,& ſyncera confirmarentur, ſed hæſitarent nonnihil, propter inopinatum eius,obſeratis foribus,ingreſſum, exiſtimantes ſe merum videre ſpiritum aliquem,& non corpus eſſe, quod cernebant,

bant, re ipſa probare voluit ſe Chriſtū eſſe, ſe à morte reſurrexiſſe, atque ita fidem eorum iam nutantem, ac titubantem reſtaurare curabat. Oſtendit autem manus, & latus, vt non ſolùm corpus oſtenderet, ſed vt declararet ſe idem habere corpus, quod in cruce compunctum, & perfoſſum fuit. Tota verò ſpes noſtra in eo eſt ſita, quòd fuerit idem Chriſtus, qui in cruce mortuus eſt: alioqui quomodo ſperare poſsimus, quòd & noſtrum corpus idem quod hîc ſudauit, laborauit, & alſit, ſit reſurrecturum? Oſtendit igitur corporis vulnera, & cicatrices, ad veram veræ reſurrectionis certitudinē. Deinde & vulnerum cicatrices ſeruauit, tāquam victoriæ ſuæ margarita quædam, ac ſplendida pacis, quam attulit, vel ornamenta, vel teſtimonia. Nemo tamen dubitet quin perfacile illi fuiſſet, clauorum ac lanceæ delere veſtigia, ſed ſeruanda erant, ſi ob nihil aliud certè, vt paternis oculis exhiberentur, non tam charitatis excellentiſsimæ argumenta, quàm noſtræ cauſæ venerāda patrocinia, noſtriq; amoris æterna monumenta. Imò (vt numero dicā) Chriſti vulnera, & impijs ſuam incredulitatem exprobrant, & pijs ſpem, & fiduciam præbent ſingularem, omni deſperatione prorſus reiecta, & exploſa. Poſtremo (nam & hoc addendum eſt) glorioſum eſt ſtrennuo pugili, ſi habeat corpus multis cicatricibus notatum: & multum accedit gloriæ Chriſti, ſi incredibilis ſuæ charitatis ſeruet argumenta, commonſtretque ſe pro ſponſa in acie ſtetiſſe, atque ad mortem vſque intrepidè, & conſtanter decertaſſe.

Videte manus & latus. Ex ſuppliciorum magnitudine, ex plagarum & remedij acerbitate, vim morbi, & vim mali veſtri cognoſcite. Felices oues, & ter beati ægri, quorum amore paſtor moritur, quibus ſanandis medicus ipſe ſauciatur. Videte remedij excellentiam, & pudeat, pigeatque degeneri morum ineptia cum cane redire ad vomitum. Væ tibi, peccator, qui, cùm te medicus tuus tanti fecit, vt ex eius latere ſuccum beati ſanguinis porrectis labijs, & exerta lingua haurire poſſes, mox auerſus, neſcio ad quas lacunas, ad quas ſordes recurris, ſecurus mortem inde bibas, an vitam. Igitur fruſtrà apertum eſt crudeli vulnere tibi IESV pectus, fruſtra perfoſſę ſaluificæ manus, qui nec cogitas, nec operaris quæ eius decent diſcipulos. *Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino.* Meritò gaudent viſo Domino, imò tantus lætitiæ fluuius eos perfudit, vt geſtirent toti, exilirentque. Magnum eſt videre Dominum, magnum eſt videre medicum, magnum eſt pacis arrabonem, & diuini fauoris argumentum recepiſſe. Iam profectò mulier illa parturiens, ac acerbiſsimis nixibus penè enecta (Ecclæſiam fidelium dico) iam inquam illa mulier ſponſa, per triduum ferè magnis anguſtijs afflicta, reſuſcitato ſponſo, obliuiſcitur ærumnarum, & preſſuræ. Hic hic eſt ſuauiſsimus amariſsimæ paſsionis fructus, pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Iam botrus conculcatus exerit vim & dulcedinem ſuam. Vide quæſo ex amara crucis radice, quàm ſuaue, atque amœnum pullulet germen. Rectè

illa

illa Tobiæ 3. ira: Domine poſt tempeſtatē tranquillū facis. Hęc tota ſpes noſtra, hęc voluptas, & lætitia, quòd ſponſus noſter ſurrexit. Fallat nos vinea, decipiat olea, arua non adferant fructus, ſatis nobis ſit, quòd ſicut crucifixus eſt amor noſter, ita & qui ſurrexit, ſit gaudium & fiducia noſtra. Exareſcant, pereantque fructus omnes, ſiue qui in arboribus, ſiuè qui in aruis promittuntur: ſint maligni prouentus: quid hæc omnia ad ſincerè Chriſtianos, quibus vnicus fructus eſt Chriſti reſurrectio? Huc facit illud Abacuc prophetæ: Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum, auferetur ab ouili pecus, & non erit armentum in præſepibus: Ego autem in Domino ſperabo, & exultabo in Deo ſalutari meo. Pulchrè Cyprianus in Demetrianum: Cultorem (inquit) Dei ſubnixum ſpei veritate, & fidei ſtabilitate ſubnixum negat propheta mundi huius infeſtationibus commoueri. Vinea licet fallat, aut olea decipiat, & herbis ſiccitate morientibus æſtuans campus areſcat: Quid hoc ad *Dei ſeruos*, quos paradiſus inuitat, quos *gratia omnis*, & copia regni cœleſtis expectat?

Tobiæ. 3.

Abacuc. 3.

Cyprianus in Demetrianum.

Dixit ergo eis iterum: Pax vobis.

Iterum eis pacem apprecatur, vt ad munus gerendum, quod eis conceſſurus iam erat, attentos redderet. Pax vera eſt, quando conſentimus noſtro aduerſario, id eſt legi, cui repugnat, & ſemper obluctatur noſtra cupiditas. Conſpecta eſt puella formæ luculentę, cupimus potiri; aduerſarius noſter reclamat, hoc eſt, lex deterret; dicens: Non concupiſcas. Obuiam

C 3 ſe fert

ſe fert inimicus, mox iracundia efferueſcimus, atque vltionem meditamur: reprimit lex Chriſti, quæ vetat iram. Si vis igitur habere veram & ſolidam pacem, eſto conſentiens aduerſario tuo, quando es cum eo in via. Nunc commiſſum eis munus audiamus.

Math. 5. *Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* Quaſi dicat: ego bona fide mea perfunctus legatione, patriam, patremque, à quo huc demiſſus ſum, repeto. Quapropter ego lampada vobis trado, eandem meam functionem in vos deriuo, miſſurus ſubinde largiorem ſpiritus ſancti copiam. At modò ne illiberalem me quis iudicet, Spiritum S. vobis dono. Ego hactenus hominum ſalutem & ſitiui, & promoui, vos pari diligentia eandem poteſtatem exercete.

Indicat hic Apoſtolorum excellentiam, dum illos in delegato ſibi officio ęquat quodammodo, & pares ſibi facit, & vicarios commiſſæ ſibi olim poteſtatis. Quam functionem non ſimpliciter eis tradit, ſed cum plena, ſibique propria poteſtate, quæ ad illam functionem Chriſti nomine obeundam erat neceſſaria, poteſtate ſcilicet retinendi, & remittendi peccata, perinde atque reges ſuis legatis plenam poteſtatem committere ſolent, promittentes ſe habituros ratum, quicquid illi egerint rationabiliter. Verum quoniam hæc poteſtas hominibus competere non poteſt, niſi ex Spiritus ſancti dono, nimirum cùm ſit ſpiritualis poteſtas, & gratia, priuſquam hanc elargiatur Spi-

tur, Spiritum ſanctum illis afflat, impartitúrque, non ſine ſenſibili flatus ſigno conueniente, quo certiores externo illò ſigno redderet, Spiritum ſanctum aduenifſe. Miſit me pater, vt pacem facerem: ſic vos mitto, vt pacem hanc adnuncietis. O miſericordiā Chriſti, & curā ſingularem, qui antequā in lucem eſſemus editi, miniſtros nobis, & curatores, imò & doctores prouidit. Nuſquam verò legitur Chriſtus inſufflaſſe quàm hic. Vide autem quòd iſtos legatos ſuos (penes quos eſſet peccatorum cognitio, eorumque remiſsio) non inſtituit ſine cæremonijs, vt eorum maior, & confirmatior eſſet auctoritas: in quem modum etiam nunc cæremoniæ in conferendis ordinibus obſeruantur. Quid quòd neque Leuitici ſacerdotes ſine ſolennitate inſtituebantur? Primo lauabantur aqua, deinde ariete immolato, eius ſanguine dexteræ eorum auriculæ vngebantur, Vngebantur præterea oleo. Chriſtus autem ad veritatem figuras legis tranſponens, miniſtros Eccleſiæ per ſeipſum perficit. Ipſe namque conſummationis aries eſt. Perficit autem ſanctificationes, non oleo, ſed vera participatione ſpiritus ſancti. Inſufflauit autē Chriſtus, non tanquam homo, ſed tanquā Deus: & qui in hominis creatione inſufflauerat, vt fieret homo, in animam viuentem, nūc iterum inſufflauit, vt anima viuētis hominis Spiritum ſanctum acciperet. Inſufflatione igitur concedit Spiritum ſanctum, non ad omnem plenitudinem, ſed ad hoc tantum, vt remittere poſſent peccata, niſi ob cauſas ea retinere velint. Quæ

Exod. 29.
Leuit. 8.

poteſtas etiam in eis ſacerdotibus eſſe poteſt, qui charitate ſunt deſtituti, nec habent gratiam gratum facientem, per quam ſolam ſalubriter habetur Spiritus ſanctus. Modò igitur dando Spiritum ſanctum, tanquam arrabonem dedit promiſsionis implendæ poſt aſcenſionem, quando cum ſonitu aduenientis ſpiritus vehementis datus eſt Spiritus ſanctus, ſimulque (vt iam diximus) ea inſufflatione declarauit, ſe eum eſſe, qui olim formato primo homine inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Deinde inſufflauit (vt docet Aug.) vt à ſe Spiritum Sanctum procedere ſignificaret.

Auguſt. tract. 9.

Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. D. Hieronym. explicat, & reddit rationē bis traditi Spiritus ſancti: ſcilicet nunc, vt baptizarent, peccata remitterent, filios Dei facerent, & ſpiritum adoptionis credentibus largirentur. In die autem Pentecoſtes induti ſunt virtute Spiritus ſancti ex alto, ad prędicandum toti orbi ſine rubore & timore, & ad recipiendas linguas annunciationi Euangelij per varias gentes neceſſarias. Vſque adeo verò neceſſaria eſt ſacerdotis abſolutio ad peccatorum remiſsionem, vt nemo debeat eſſe omnino ſecurus antequam eam recipiat; etiam ſi ſatis contritus eſſe videatur, non ſecus quàm homicida, qui & ſi pœniteat, non tamen confidit ſe abſolutum, priuſquam apud Principem ſit reconciliatus. Si verò animo contritus, mortis inſtantis importunitate, vrgeatur vt exeat, tranquillo & pacato ſit animo; quoniam & ſi neceſsi-

Hierony. Epiſtola ad Hedibiam.

ceſsitas ſacerdotis abſolutionem, & ſententiam excludit, gratia tamen redemptoris illum non deſtituit. Neque enim miſer infirmus poteſtatem habet, vel retinendi, vel efflandi, ponendique animam, quod proculdubio vni Chriſto fuit peculiare. In confeſſo autem eſt, ſiue in baptiſmi, ſiue in pœnitentiæ ſacramento votum ſuſcipiendi illud ſufficere, cum vera contritione animi, cùm neceſsitas, vel baptiſmo tingi, vel ſacerdotis manu abſolui cupientem, excludit.

Reliqua Euangelij pars, quoniam in ſolennitate beati Thomæ Apoſtoli legitur, ſuo loco explicabitur.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Ianuis clauſis &c. *Hic nobis contra philoſophos, & ſolius naturæ admiratores agendum eſt, qui impoſsibile eſſe clamitant, vt duo corpora in eodem ſimul ſint loco. Sed non erit difficile reſpondere: Lubenter illis aſſentimur, gratiſque etiam concedimus præter naturam eſſe, vt aliquod corpus humanum oſtia occluſa penetret, ſed Deus noſter naturæ autor eſt, ac ſupra opus, ac creaturam ſuam fertur. At non cõprehendimus (inquiet aliquis) quo pacto id fieri queat: Non enim rationi eſt conſentaneum, hominem penetrare obſeratas fores. Sed pro nobis reſpondet Gregorius: Diuina (inquit) operatio, ſi ratione comprehenditur, admirabilis non eſt. Nec fides habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Illud corpus intrauit ianuis clauſis, quod per natiuitatem clauſo exijt virginis vtero. Quid mirum, ſi clauſis ianuis poſt reſurrectionem*

æternum iam victurus intrauit. qui moriturus non aperto virginis vtero exiuit? Sed nonne ſuper aquas ambulauit? Vbi ergo pondus aut moles corporis: Noli in operibus diuinis aut modum anxiè ſcrutari, aut pondus.

SECVNDA.

Oſtendit eis manus & latus &c. *Vulnerum ſeruat cicatrices, vt ſponſam in ſui incitet amorē. Si quiſpiam ob amici commoda, vel vnico ſaltem membro truncari, ac mutilari ſineret, nónne truncati membri non dico conſpectus, ſed memoria duntaxat magnum eſſet ad redamandum incitamentum? Atqui vix membrum in Christo dixeris aliquod, cui non ſit irrogatum ſupplicium. Mitto manus & pedes, caput verò venerandum Angelis quàm acutis quæſo ſpinis compunctum vndique fuit? Quin & dura illa, & nodoſa arundo, quæ ſceptri vice ſponſo noſtro obtruſa fuit, ac in manus data, nónne crebris ictibus diuinum illud caput conſauciauit? D. Auguſtinus auctor eſt, Chriſtum ab arundine à ſatellitibus in ſacrum verticem impacta, vulneratum, ita vt ſimulatum, mentitumq́ue illud ſceptrum non deridiculi tantum loco fuerit, ſed & pœnæ.*

Auguſtin. ſerm 9. de verbis Apoſtoli.

Nolo aureum illud linguæ plectrum hic præterire, mirrhæ ſucco, acetóque affuſum, quod tui etiam (ô ingrate Chriſtiane) gratia factum eſt. Neque tamen ob tot hiantia vulnera, ob tot indignas, horrēteſque plagas nobis faſtidio eſſe debet, ſed potius venerationi. Quæ enim puella non pluris faceret procū ſuum, ſi relictis paternis opibus ſago ruſticano tectus, ad humilis virginis caſulam, vt illius potiretur coniugio, confugeret? Quid ſi per vulnera penetraret ad amatam,

tam, An non ille ſanguine perfuſus videretur a-mabilior? Haud dubiè videretur amanti. Iam cogitate Chriſtianæ animæ, an veſter vobis ſponſus ſit pudendus, pigendúſque, qui patris arce relicta, deſcendit in hanc vallem, ſerui induens formam, ſeque ad tot vulnerum cruciſque dolores opprobriáque demittens. Sed dixerit quiſpiam, vbi ſpes noſtra, vbi fiducia? Si Chriſtus non poteſt corpus ſuum illeſum ſeruare, quid de nobis reſurgentibus, vel eximij, vel præclari futurum eſt? Potuit vtique, ſed noluit. Vult ea oſtendere patri, vt non damnet facilis, quorum gratia hæc eſt perpeſſus. Aduocatum habemus apud patrem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Opinor in vltimo iudicio hæc vulnera iuſtis, iniuſtiſque demonſtranda: illis, vt cognoſcant beneficiorum omnium, ſalutiſque ſuæ fontes, ac venerabiliter illis aſſurgendo, gratiam habeant: iſtis, vt 1. Ioan. 2. *penitudine ſed caſſa & ſera commoti, dicant: Væ nobis, & æternum væ, quod ex fontibus vulnerum tam pronis, & obuijs ſalutem haurire neglexímus, imò contempſimus.*

Eraſmus libello de virginis martyriſque diſcrimine.

TERTIA.

Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata &c: *Non inutiliter quæri poteſt, vtrum & Thomas Apoſtolus cùm abeſſet, receperit hanc poteſtatem. Indubiè recepit. Quod facilè confirmatur exemplo illo præclariſsimo, quod Moſes* Num. 11. *deſcribit, vbi Dominus de ſpiritu Moyſis adimens, donauit congregatis ſeptuaginta. Res admiratu digniſsima, aberant forte viri duo Heldab & Medab, qui tamen propter abſentiam non carebant, aut deſtituebantur eo munere. Prophetabant enim & ipſi.*

Quid igitur vetat & Thomam Apoſtolum (vbertim iam affluentibus teſtamenti noui chariſmatibus) pulcherrima hac poteſtate fuiſſe donatum? neque ſuiſſe Spiritus Sancti exſortem, aut extorrem?

QVARTA.

Quorum remiſeritis &c. *Si Apoſtoli, eorúmque ſucceſſores è tribunali diuino reorum peccata, erroréſque remittunt, vſque adeo vt in cœlo quoque remiſſa ſint: cur latroni, aut furi non remittitur ſcelus admiſſum, præſertim ſi factis pœniteat? Cauſa eſt, quia ſacerdos alterius fori præſes in futuro remiſit, ne luat olim miſellus ille æternum ſupplicium. Non autem remiſit in terra. Manet enim fur ille adhuc obnoxius tribunali, ſeu iudicio Reipublicæ, quam ſuo facinore perturbauit.*

QVINTA.

Quorum remiſeritis &c. *Concipe quæſo verborum Chriſti ſpiritum, & genuinum ſenſum, neque ſinas te fanaticorum hominum commentis (qui ſacram confeſsionem abolitam, obſcuratam, antiquatámque cupiunt) tranſuerſum rapi. Quemadmodum enim rex quiſpiam prætori annulum, aut ſigillum tradens, aut magiſtratui, ait: Accipe ſigillum hoc ad iudicandum cauſas, quorum crimina remiſeris, remiſſa erunt: & quorum ad ſupplicia retinueris, erunt retenta, perinde, ac ſi iſtud iudicarem, & facerem: ſic proculdubio hîc in concedenda Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus poteſtate iudicandi, remittendi, ac retinendi agit Chriſtus. Vniuerſalis* quidem, *vt ita loquar, iudex eſt Chriſtus. Nam pater omne iudicium dedit filio, ſed hanc benignè pro-* Ioa. Cap. 5.

mus

mus, in ſponſam Eccleſiam, cuius miniſtri Epiſcopi & ſacerdotes ſunt, elargitur, & tranſfert, dicens: Sicut me miſit pater, & ego mitto vos. Paulus ait: Poſuit in nobis Chriſtus verbum reconciliationis. 2. Cor. 5.

SEXTA.

Vbi in hac concione dixi Chriſtum oſtendiſſe vulnera, ad ſenſum D. Auguſtini, hæc intelligi poſſunt vulnerum cicatrices. Porro ſi quiſpiam de ſacramento confeſsionis exactiora, & de clauibus plura prolixioráque deſideret, hunc ego lubenter ad Scolaſticos, quorum princeps D. Thomas Aquinas omnium calculis eſſe iudicatur, ablegauero. Nos verò conciones populares ſolum, non plenos tractatus cudimus, euulgamúſque. Epiſt. 49. ad Deogratias.

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAS PASCHÆ EVANGEL.

Ioannis Cap. 10.

Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.

Bonus vulgo, & commodus habetur paſtor, qui viuit quidem de gregis prouentu (quis enim paſcit, quis militat ſuis ſtipēdijs?) amat tamen eum ex animo, ac in illius commoditatem, vtilitatemq́; toto pectore incumbit, proſpicitq́ue, ne quid vel agniculos lędat teneros, vel ne robuſtiores oues obeſioreſq́ue marceſcant. Ob id ad paſcua educit cautus, & alacer, rurſus ſaluas, ſanaſq́ue ad ſepta, bona fide reducit. Sed longè hanc vincit integritatem paſtor noſter IESVS, ac quotquot illius ſpiritus, & dilectionis erga gregem ſunt hæredes paſtores alij. Tales paſtores erant Apoſtoli, atque illorum ſæculo proximi & vicini, Dyoniſius, Ignatius, Clemēs, Polycarpus: quorum poſtremus nunquam vel dieculam vnam ſibi elabi ſinebat, qua non preces pro Eccleſia Deo profunderet. Teſtis mihi rei huius Euſebius. At Babylas Antiochenorum Epiſcopus, cùm Numerianum Imperatorem in Eccleſiam irrumpere conantem, coram conſpiceret, valde reſtitit, imò ſe obiecit, aſſerens, dicenſq́; ſe non commiſſurum vnquam, vt lupum ad gregem ingredi ſinat. Scribit id Nicephorus. Ob quod tam memorabile facinus, Imperator tum quidem multa fremens, ac frendens, multaque mini-

Euſebi. in hiſtor. Eccleſ. li. 4. cap. 15.

Nicephor. lib. 10. capit. 28.

minitans, poſtea eum è vita ſuſtulit. Hoc verè eſt animam ſuam, hoc eſt, vitā pro ouibus ponere. Pari conſtantia & Theodoſio Imperatori, & eius eunucho obſtitit Ambroſius. Cùm enim ille minaretur ei caput præcidere, reſpondit ille conſtanter, & intrepidè: Tu facies quod ſpadonis, ego patiar quod Epiſcopi eſt. Epiſcopi eſt etiam capitis periculo ſuccurrere, & conſulere ouibus. Bonus itaque paſtor Polycarpus, qui pro ouibus quotidie Deum precabatur; bonus paſtor Babylas, qui pro illis vitam cum ſanguine profudit: bonus denique paſtor Ambroſius, cui mortem pro grege perpeti in deſiderio erat. Iſtos autem omnes longè in amoris ſtadio præcurrit Chriſtus, qui gregi ſuo ſitienti potus, eſurienti cibus, languenti medicina, morienti vita, aberranti via eſt. De hoc paſtore olim Ezechiel: Ego (inquit Dominus) ſuſcitabo ſuper gregem meū paſtorem vnum, Dauid ſeruum meum. De hoc paſtore Eſaias: Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, In brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit. Fœtas ipſe portabit. Aptiſsima figura hunc paſtorem nobis expreſſit Ioſeph patriarcha, qui vbi vidiſſet fratres planè ſubmiſſo animo triſtes, ita illis aiebat: Nolite timere, ego paſcam vos. Tempus erat, cùm oues mutatę in lupos, circumſiſterent paſtorem, veluti iam iam impetum in illum daturi, ac dilaniaturi: tum occurrens eis, nihil æquè ſtuduit, atque gregem ſuum tueri: ſi me (inquit) quæritis, ſinite hos abire. Deuorate lupi paſtorem, ouibus verò parcite. Sic Dauid pro grege

Ambr. Epiſtol. ad ſororē ſuam.

Ezech. 34.

Eſa. 40.

Geneſ. 50.

grege defendẽdo obiecit ſe leoni,& vrſo vt verè de ſeipſo teſtatur. *Bonus igitur paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Non ſolum fortunas, facultateſque omnes effundit, vt ouibus & medeatur & gratificetur, verùm cùm res ita poſtularet, vt animarum dignitas ſuperaret quicquid vel Tagus, vel Pactolus voluit auri, imò quicquid vſquam vel in mari, vel in terræ venis gemmarum eſt, quicquid vnionum erui effodique poſſet, ſanguinis ſui, rerum omnium precioſiſsimæ, liquorem in crucis trutina appendit, qui à prudentibus rerum æſtimatoribus excellere omnia iudicatus eſt. Id D. Pe-
1. Pet. 1. trus apertè ſignificauit: Non corruptibilibus (inquit) auro vel argento liberati eſtis, ſed precioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti.

Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues. Mercenarius eſt, qui mercede conductus, alienas oues paſcit: hoc eſt, cuius non ſunt oues propriæ, quamuis rebus tranquillis bona fide gregem curet nonnunquam. Quòd ſi tempeſtas ingruat, quæ caulas cum grege, atque adeo cum ipſo quoq; paſtore funditus euerſura videtur, ſubducit ſeſe, atque de portu aliquo, ſeu aſylo ſibi proſpicit, quo ſe, laſſis, & concuſsis rebus, recipiat. Is cùm de ſe magis, quàm de ouibus ſit ſollicitus, non vtique Chriſtum imitatur (qui pro grege malè multato, & non ſine certo periculo iam laborante, vitæ prodigus, pulchram petijt per vulnera mortem) ſed ouibus veluti proditis,

imò &

imò & opem nonnunquam cum gemitu implorantibus, derelictis, durus & perfidus abit in pacatum. Diuus Auguſtinus graphicè nobis mercenarios depingit: Sunt quidam (ait) in Eccleſia præpoſiti, de quibus Paulus Apoſto. ſua quærentes, non quæ I E S V Chriſti. Quid eſt ſua quærentes? Non Chriſtum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda ſectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus petentes. Hęc quando amantur à præpoſito, & propter hæc ſeruitur Deo, quiſquis talis eſt mercenarius, inter filios ſe non computet. De talibus ait Dominus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Multi mercenarij tempore D. Pauli fuerunt. Non enim in Eccleſia, præter Paulum, & Timotheum, erat qui de grege germanè eſſet ſollicitus. Sed de Timotheo Pauli teſtimonium audiamus: Spero in Domino Ieſu cito me Timotheum mittere ad vos: neminem enim habeo tam vnanimem, qui germanè de vobis ſollicitus ſit. Omnes enim quę ſua ſunt quærunt. Hactenus eo tractatu Auguſtinus. Neque tamen velim omnes mercenarios ſede ſua deturbari; ſæpe enim Chriſtum prædicant. Phariſæi mercenarij erant ſtudentes ferè ſacculis, & aquaſiculo. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Quid (inquit ibidem Auguſtinus) aliud dixit ibi Chriſtus, niſi per mercenarios vocem paſtoris audite? Sua ſi velint docere, obturate aures, ſua enim quærunt. Nullus

Auguſt. tract. 46. in Ioan. *Philip. 2.* *Matt. 6.* *Philip. 2.* *Matt. 23.*

tamen

tamen mercennarius auſus eſt dicere populo Chriſti, tua quære, non quæ IESV Chriſti. Quod enim malè facit mercennarius, non prædicat de cathedra Chriſti: inde lædit vnde malè facit, non vnde bona dicit: Botrum carpe, ſpinam caue. Botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in ſepe, creſcit palmes, inſeritur ſpinis, & portat ſpina fructum non ſuum. Cathedra Moiſis vitis erat, phariſeorum mores ſpinæ erant, botrus bona doctrina fuit. Botrum hunc inter ſpinas cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum: cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala faciẽtem. Quæ dicunt, facite, legite vuas: quæ autem faciunt, facere nolite, cauete ſpinas: hæc ferè ex Auguſtino. Mercennarij igitur proſunt eccleſiæ, non ſibi: quapropter non ſunt reijciendi, ſicuti nec Iacob reiecit ancillas, ex quibus habuit liberos. Beatus Proſper: Mercennarius nõ ſolum dicitur, qui quæſtus cauſa laborat, ſed etiam ſi propter inanem gloriam, ſicut illi qui dant eleemoſynam fauoris humani gratia, de quibus dicitur: Receperunt mercedem ſuam. Digna eſt ſententia D. Auguſtini (ſermone 80. in paruis ſermonibus) quæ paſtorum omnium & Epiſcoporũ ianuis, poſtibus, menſiſque inſcribatur. *Paſtor amandus, mercennarius tolerandus, lupus fugiendus.* Mercennarius eſt, qui ouem ſi aberrat, non reuocat: ſi infirmatur, non medetur: ſi deuoratur, non lachrymatur.

Proſper c. 21. & 15. de vita cõtemp. li. 1.
Math. 6.

Cuius non ſunt oues propriæ. Quare non ſunt oues propriæ? quia alium habent paſtorem, qui deſidia marcidus, lucriue maioris gratia in paſ-

in paſcendo grege opera vtitur vicaria, ſecurus ſeu macreſcant oues, ſeu pingueſcant. Is vix vnquam dicere poteſt cum Paulo, filioli mei, quos iterum parturio. Non poſsidet animum veri paſtoris, neque fœtas oues portat, neque agnos in brachio colligit. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus.* Hic non curat oues, ſuſque déque ferens, ſiue vnam, ſiue decem lupus irruens, deuoret. Quid tum (inquit) ſi pereant oues? Mihi nihil perit, merces in tuto eſt. Cur verò pro alienis ouibus pericliter, & decertem cum lupo? Reperietur alius grex, cui præficiar, dabiturque conditio opimior, & lucroſior. Non ſic Moyſes ſuſtinebat gregem ſuum interire, & à Deo maiori gregi præfici. Quid ais impie? Chriſtus propter vnicam ouiculam oſtendit vulnera ſua, Dydymumque Thomam reducere, & confirmare dignatus eſt. Chriſtus relictis nonaginta nouem ouibus, vnicam aberrantem quæſiturus aduenit, ac proprijs humeris exceptá alacer & lętus retulit: &, tibi neque pudori, neq; mœrori eſt, ſi aberrent decẽ, ſi dilanientur viginti, ſi pereãt triginta? An ignoras miſer dignitatem, & pretium animæ? Si in bilance diuinæ iuſtitiæ (qua nulla poteſt eſſe æquior) omnes creaturæ corporales, nempe gemmæ, aurum, veſtes, armenta & feræ, ſol, & luna, omniaque ſydera componerentur: ab altera verò parte vnica animula, ſententiamque rogaretur diuina veritas, incunctanter pronunciaret hanc animulam infinitis partibus eſſe cæteris omnibus præſtantiorem. Quam igitur dabit homo

Galat. 4.
Eſa. 40.
Ioan. 20.
Luce. 15.

D commu-

commutationem pro anima ſua? Hęc cùm ſint veriſsima, nonne ſingulari admiratione dignum eſt, quòd rei tam precioſæ paſtores torpere poſſunt, & in vtramque aurem dies noctéſque ſtertere? Quid ſi reſpiciamus, quo precio oues rationales redemptæ ſint, ne peccato commaculatæ perpetuo perirent? Naſcitur mihi neſcio quis horror, oboriturque in oculis vertigo, potius caligo quædam, iſta ſcribenti, ac commemoranti, dum mecum cogito, expendoque, quanti Deo noſtro æſtimatæ animę nihili à cęcis paſtoribus, imò ne flocci quidem fiant. Sed vrgebo rem clariſsima ſimilitudine. Fac ò cęce paſtor, fac, inquam, eſſe mercatorem quempiam, qui quicquid vſpiam corradere poteſt gemmarum, auri, argentique, comparétque gemmam toto orbe potiorem, eamque amatiſsimę ſponſę tradat diligenter ſeruādam: Ea verò, ſycophantæ, aut circumforaneo rabulæ pro viliſsimis oleribus, aut pro perforatis nucibus vendat, qua venia hanc ſponſam dignam cenſebimus? Et tu ſtolidiſsime paſtor, tot animarum gemmas Diabolo tradis? Quos ignes, imò quæ fulmina non mereris? O paſtor & idolum. Grauiter quæritur de huiuſmodi mercenarijs D. Proſper. Immundorum (inquit) ſpirituum feras à grege dilacerando non pellimus, & quod eis remanſerit, ipſi conſumimus, quando peccantes diuites, vel potentes non ſolùm non arguimus, ſed etiam veneramur, ne nobis aut munera ſolita offenſi non dirigant, aut obſequia deſiderata ſubducant, ac ſic muneribus eorum & obſequijs capti, imò per

Proſper li. 1. de vita contempl. cap. 21.

per

per hæc illis addicti, loqui illis de peccato ſuo, aut de futuro iudicio formidamus. Quid igitur aliud quam mercenarij ſumus? D. Proſper ca. XV. eiuſdem libri oſtendit, quod malus paſtor paſtori paſtorum omnium redditurus ſit rationem, quia neque delinquentium ouium peccata eum contriſtant, neque proficientium bona lætificant: ſed de ſe tantum, plerunque autem nec de ſe omnino ſollicitus, quid à ſuis boni malíue geratur ignorat, qui non predicat, perſeuerentiam iuſtis, pœnitentiam prauis, contemptum mundi conuerſis, futuras pœnas auerſis, qui non poteſt dicere contemptoribus admonitionis ſuæ, futurum cogitate iudicium, quod ipſe forte non cogitat: amatoribus mundi, Nolite diligere mundum: ambitioſis, ambitioni finem imponite: ebrioſis, ebrietatem cauete. Sed iam ſatis de mercenarijs: rurſus ad paſtorem bonum & verum ſermonem flectamus.

Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas.

Cùm ſe paſtorem bonum aſſeruiſſet, & ad id probandum parabolam adduxiſſet veri paſtoris, & mali mercenarij continẽtem diſcrimen, nunc idem illud repetit, vt fortius animis eorum inhęreat, eum eſſe talem paſtorem, qui vitam pro grege deponere ſit paratus. Non enim exigua hinc ſurgit conſolatio fidelibus, quòd oues ſint tam pij, ac benigni paſtoris, qui eas ſeruare poſſet, & velit. Sic enim in Ezechiele promiſit Deus: Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas, Græcè, (vbi Latinus textus habet; ego ſum paſtor bonus) habetur, *Ezech. 34.*

gis Dauidis. Sed quid erit, eſſe in menſa regis æterni, in qua non æſtimandæ cupediæ, & voluptas honeſta, eaque perpetua? Non aceſcit vinum, non muceſsit panis menſæ Domini IESV. Sed quænã obſecro oues ad eam menſam ducentur? Difficile id nobis dicere, ſed ipſe rex & paſtor Chriſtus nouit, & cognoſcit oues perpetuò ſecum conuicturas.

Ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Hoc verbo eos terret, qui ouium veſtimenta *Math.7.* prætendunt, & in ouili ſedẽt, cùm interim vel hædi, vel lupi ſint, aliquando ab ouibus ſeparandi, atq; eijciendi. Non (inquit) me decipis, nõ me fallis externo ſchemate, atque mentitis induuijs. Sunt qui ſe fingũt paſtores, ſunt qui ſe ſimulant oues, & nihil ſunt minus. Nunquid illi paſtores, qui (iuxta Amos prophetam) opti- *Amos. 6.* mo ferè ſemper vnguento delibuti, non compatiuntur ſuper cõtritione Ioſeph? Talis nimirum erat Sobna, cui per Eſaiã dicitur: Quid tu *Eſaiæ. 22.* hic, aut quaſi quis hic? Ac ſi diceret, non es quis, ſed quaſi quis. Paſtoris veſtẽ habes, animũ paſtoris non habes. Quid tu hic in loco ſacro præfectus es ærario (ſic vult Pagninus) vel *Pagninus* quid tu homo prophane hic venaris Hieroſo- *Hyeron. in* lymis, cùm ſis à Dei cultu alienus? Hiero. verò *22. Eſa.* ſic interpretatur: Quid tu ô põtifex Sobna, habitas in domo Dei, cùm nihil habeas præter titulũ põtificis? Scelera tua in tota vrbe bacchãtur, & adhuc verſari audes in tẽplo? Sic te præbes, ſic te iactas, quaſi aliquis ſis, & aliquo numero, & loco habẽdus, cùm ſis homo vanus, & nihili. Vtinã non multi eſſent in Belgio tales

paſtores, qui, quod ad ornatum cultumque vitæ externum attinet, quãtiuis pretij eſſe vidẽtur, quòd ſi remotis his induuijs, ad animũ penetrare poſſes, vel mercenarium, vel lupum, vel ſaltem hominem pompæ, ſæculoque deuotum, deditumque inuenires: vt vere de eo dicere poſſes: ô paſtor & idolum: munus paſtoris, titulumque geris, nihil verò operum habes tanto nomine dignum. Quemadmodum enim idolum mẽbra quidem hominis habet, ſed nihil operatur: ſic prophani paſtores multa videntur promittere, ſed re ipſa nihil præſtant, non magis quàm Sobua aliquis. Sicut autem Dominus cognoſcit oues ſuas, ſic viciſsim oues cognoſcunt verum paſtorem. *Et cognoſcunt, inquit, me meæ.* Venient ſub finem ſæ-
Matt. 24. culi pſeudoprophetę, & dicẽt: Hic eſt Chriſtus, videlicet in deſerto, aut in domo, nolite exire, nolite credere. Imò eſt in ouibus Chriſti genuina quædam vis, qua facile cognoſcunt, diſcernuntque verum paſtorem, verumque concionatorem, ab alieno. Tali ſpiritus energia præditus mihi fuiſſe videtur rex Ioſaphat, dum ad Achab regem Iſraëlis ait: Non eſt hic propheta
3. *Reg.* 22. Domini quiſpiam, vt interrogemus per eum? Ecce obſecro amice lector, Emunctæ & purgatæ naris erat Ioſaphat, & ouis talis, quæ facilẽ olfaceret lupum. Per diuinum enim ſpiritum mox odorabatur quadringentos illos viros eſſe falſos prophetas: Micheam verò, qui poſtea accerſitus erat, eſſe prophetam Domini.
Tob. 1. Tobias olfecit Hieroboam eſſe pſeudoprophetem, ideo iuit adoratum Hieroſolymam.

Sic

Sic nimirum & hac tempeſtate cum circa annum 1 5 6 6. ingens ſe in Belgium effudiſſet pſeudoprophetarum turba, multis deceptis,& ſeductis, genuinæ oues ſpiritu Dei, & zelo veteris religionis edoctæ,perſentiſcere ceperunt, Chriſtum,hoc eſt verum paſtorem,ſibi non adnunciari, ſed potius ſchiſmata,& hęreſes:hinc tanquam Ioſaphat,abhorrentes ab eorum congreſſu,& colloquio,Micheam aliquem ſibi dari optabant: qualem ſi vſquam reperiebāt, manus inijciebant, & iam extinctę ferè Catholicę doctrinæ,imo nefaria factione oppreſſæ, micas poſtulabant. Aiunt inter lupos & oues.perinde atque inter miluos, & gallinas naturale, atque irreconciliabile intercedere diſsidium , Quod vſque adeo verum eſſe probat experientia , vt quotieſcumq; in cythara neruus lupi cum ouino tenditur , ouis chorda quamlibet fortiter attacta , nullum edat ſonum , veluti genuino odio in neruis etiam & fibris ſe inſummātе.

Sicut nouit me pater , & ego cognoſco patrem.

Cognoſcit vtique pater filium , quia illum pro naturali filio amplectitur, & omnia eius intimè agnoſcit, curat , approbatque : ſic & Chriſtus oues ſuas agnoſcit , quia videlicet ab æterno cognoſcit, quæ oues ad regnum ſint prædeſtinatæ, iuxta illud Pauli : Nouit Dominus , qui ſunt eius , & quæcunque ouibus his ſunt accommoda, ac vtilia , lubenter eis. elargitur. Pater ita filium nouit , vt eum ſumme diligat: filius etiā patrem ita cognoſcit , vt ſumme diligat, quin & Chriſtus ita ſuas cognoſcit oues, vt ſummè eas quoque diligat , ac incredibili

amore illis proſpiciat,curetque ne quid capiant detrimenti , ne macie conficiantur, aut à lupo, feraque crudeli attineantur.

Et alius oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili. Propheta Dauid oſtendit quales aut cuiates illæ oues ſint , quæ non ſunt ex ouili Iudaico. Ait enim ibi pater ad filium: Poſtula à me , & dabo tibi gentes hæreditatem tuam . Idem omnino & Eſaias 49. capite indicat: Dedi te (inquit) in lucem gentium , vt ſis ſalus meâ vſque ad extremum terræ . Multi enim venient ab oriente & occidente , & recumbent cum Abraham , Iſaac , &Iacob. Poſtremo(vti ſcribitur Ioannis vndecimo) CHRISTVS non tantum moriturus erat pro gente , ſed vt filios Dei congregaret in vnum . Quapropter Chriſtus hac ſententia vocationem gentium prædixit . De hac ouium collectione habes ſimul & de paſtore vno , Eſaiæ 40. capite. Ieremię. 23. cap. & Ezechiel. 34.

Pſal. 2. *Eſaia. 49.* *Math. 8.* *Ioan. 11.*

Alias oues habeo. Ecce vocantur oues, quæ tamen non erant oues. Nondum enim conuerſi erant, & iam tamen vocantur oues , quia futuri erant oues , videlicet ſecundum præſcientiam,& prædeſtinationem.Quidam filij ſunt Deo , licet non habeantur apud homines : & quidam non ſunt filij Deo , qui tamen apud homines pro filijs habentur . Videatur Auguſtinus lib. de correp. & gratia cap. 9.

Auguſt. de correp. & gratia capite. 9.

Sunt (inquit) filij Dei, qui nondum ſunt nobis , & ſunt iam Deo : De quibus ait Euangeliſta Ioannes:quia IESVS moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, ſed etiam vt filios

Ioan. ca. 11.

vt filios Dei congregaret in vnum : quod vtique credendo futuri erant per Euangelij prædicationem, & tamen antequam eſſet factum, iam filij Dei erant in memoriali patris ſui inconcuſſa ſtabilitate conſcripti. Et ſunt rurſus quidam, qui filij DEI, propter ſuſceptam vel temporaliter gratiam, dicuntur à nobis, nec ſunt tamen Deo. De quibus ait Ioannes: *1. Ioan. 2.*
Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Quòd ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Hactenus Auguſtinus. Igitur facilè quiſpiam etiam mediocriter eruditus, & ingenioſus intelliget, quid ſit, quòd Chriſtus gentiles nondum conuerſos, ſed colligendos, ac Euangelica tuba conuocandos, vocet oues: non quòd tales iam erant, quia fortè adhuc lupi erant, aut maculato vellere hœdi: ſed quia in præſcientia ſua iam oues erant, ad quas conuocandas Apoſtolica ſudauit induſtria, dum in omnem terram exiret ſonus eorum. Eleganter hanc ouium congregationem prædixit Michæas Propheta capite ſecundo his verbis: Congregans congregabo Iacob: totum in te vnum conducam reliquias Iſraêl pariter. Ponam illum quaſi gregem in ouili: quaſi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine hominum. *Pſal. 18. Michea. 2.*
Hæc ſi voluerimus de primo Domini aduentu (inquit Hieronymus in Michęam) accipere, & totum Iacob ad Apoſtolos, & ad eam referre multitudinem, quæ in Actibus Apoſtolorum ſaluata eſt ex Iudæis, non abhorrebit res à veritate. *Hieronim. in Miche.*

Non quieſcet autem regis noſtri IESV charitatis ardor, donec omnes gentes ad caulas euocet ex rupibus, anfractibus ſaltuum, ſalebris, & vepretis, in quibus impeditæ, furum, latronum, luporumque, rapaci libidini fuerunt expoſitæ. *Et tum erit vnum ouile, & vnus paſtor.* Nihil omnino Chriſtus aliud vult hoc verbo, quam quòd paries illæ ſimultatis, qui inter Iudæos, & gentes longo temporis vſu fuerat confirmatus, demoliendus eſſet, vnaque eſſet futura Eccleſia, extra quam qui fuerit, in exitium iturus eſt.

Annotativncvla Prima.

Et non pertinet ad eum de ouibus. *Græcè eſt*, καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων. *Quod ſanè ita apertius enunciaretur. Non agit ouium negotium, vel non ſunt illi oues curæ: quod noſtra lingua Flandrica clariſsimè dicitur:* Hy en treckt hem die ſchapen niet aen.

Secvnda.

Mercenarius cuius non ſunt oues propriæ. *Ex his verbis conſequi omnino videtur, omnes Eccleſiaſticos paſtores præter vnum Chriſtũ eſſe mercenarios: quia ſignificatur illum eſſe mercenariũ, cuius non ſunt oues propriæ. Nullius aũt paſtoris, præterquã Chriſti ſunt oues propriæ, cùm Petro dictum ſit: paſce oues meas, non tuas. Reſpondendum, in parabolis multa dici, quæ magis exemplo, vnde parabola ducitur, conueniunt, quam ipſi rei, ob quam parabola aſſumitur. Quapropter non eſt neceſſum tam anxiè ſtudere, vt ſingula rebus per parabolam ſigni*fica-

gnificatis adaptentur, quomodo illa in exemplo inueniuntur.

TERTIA.

Vidit lupum venientem & fugit. *Quærat hic ſtudioſus lector, an paſtor ingruente periculo, & perſecutione, fuga ſuæ ſaluti conſulere poſsit. D. Thomas Aquinas quotlib. 12 art. 29. docet, quòd paſtor non poteſt dimittere gregem, etiam propter mortis metum, dummòdo poſsit aliquod bonum facere manendo cum grege. Qui autem ſponte prædicat in grege aliquo populi, non obligatur, periclitante eo grege, manere. Hic in manus ſumenda epiſtola. S. Auguſtini ad Honoratum, in qua ita ſcribit: Fugiant de ciuitate in ciuitatem ſerui Chriſti, quando eorum quiſque ſpecialiter quæritur à perſecutoribus, vt ab alijs, qui non ita quæruntur, non deſeratur Eccleſia. Cùm autem omnium eſt commune periculum, hi qui alijs indigent, non deſerantur ab ijs quibus indigent. Nicolaus igitur Pontifex præclarè ſcripſit. Nam cùm oſtendiſſet aliquando licere paſtori fugere, ac ita cauere tyrannum, addit quòd quando populus eius præſentia indiget, perinde eum delinquere, ac ſi nauta oborta tempeſtate, ac periculo, nauim deſerat. Dum autem ipſa perſona paſtoris quæritur, ſecedere à grege licet. Sic precibus ſuorum cedens. D. Ioannes Euangeliſta, ſeceſsit. Sic & D. Thomas Cantuarienſis ſeceſsit in Galliam, At poſteaquam ex vſu, & re gregis ſui eſſe perſpicerent, vt redirent, veluti poſtliminio redditi, rurſus ouibus ſuis, etiam vrgenti mortis periculo, ſeſe oſtenderunt.*

Auguſtin. Epiſt. ad Honoratum.

Elias fugit.

QVARTA.

Sunt qui hic mouent de vicarijs epiſcoporum, quos

ſuffra-

ſuffraganeos appellant , qui tametſi equitatu , & comitatu non tantum valent, quantum Epiſcopi epiſcopali tamen dignitate nihil illis ſunt inferiores. quo nomine quicquid ad authoritatem , & officium Epiſcoporum tantum pertinet , etiam exequuntur . Conſecrantur igitur ſuffraganei , atque vt plurimum inter Turchas diœceſes ſuas habent . Quæritur igitur num & ipſi tenentur animas ſuas ponere pro ouibus, atque iter arripere ad Turchas , aut alios infideles, ibique prudenter , & intrepidè annunciare verbum Dei ? Dicam breuiter, Quæcunque cauſa legittimè ſiue ſuffraganeum , ſiue parochum excuſare poteſt, cur à ſubditis ſuis fugiat , ea quoque ſatis eſt , vt etiam ad ſubditos ſuos non veniat . Hanc annotatiunculam mihi delegi ſuppingendam ex D . Ioanne Eckio homilia prima in hoc Euangelium.

QVINTA.

Illas oportet me adducere. *Græce eſt* ἀγαγεῖν *quod Chryſoſtomo , & Theophilacto eſt congregare , vt apertè eas oues idololatricas adhuc , nec Dei vnius cognitione donatas , diſperſas eſſe, & paſtore, qui ad vberiora , & veriora paſcua euocet , indigere , ſignificet.*

DOMI-

DOMINICA SECVNDA

POST OCTAVAS PASCHÆ

Euangelium.

Ioannis cap. 16.

M*Odicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.*

Vehemens erat amor Chriſti erga diſcipulos, quo motus, pridie diei eius quàm pateretur, ac de vulneribus ſuis languenti mundo propinaret potionem, ſeu doſin medicam, ſermone bene prolixo diſcipulos ſuos affatus eſt, quem & D. Ioannes diſcipulorum non poſtremus, bona fide conſcripſit prius: deinde conſcriptum nobis quoque incredibile diuinæ dilectionis inde nectar hauſturis, exhibuit. In hoc ſæpenumero ſcholam ſuam animi anxiam, tum ob eius diſceſſum, tum ob malorum impendentium molem, conſolatur. Queádmodum enim patriarcha Iacob iam moriturus, nonnihil lætaminis dilectiſsimorum filiorum mœrori, & anxietati miſcere ſtuduit, amplas promiſsiones exhibendo, eundem in modum Chriſtus, qui in amoris campo infinitis paſsibus Iacobũ illũ præcucurrit, duodecim Apoſtolos proſpera, aduerſaque illis euentura docuit. Quid? Nónne & Moyſes iam à Domino iuſſus montem conſcendere, & fatalem ibi neceſsitatem explere eodem charitatis æſtu flagrans, vt Iacob 12. patriarchas, Chriſtus 12. Apoſtolos, ita & ipſe 12. Tribus commonefecit, & futura eis explicuit? *Gen. 48. & 49.* *Deuter. capite. 33. & 34.*

Ait igitur: Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.

Sanè modicum erat tempus illud quo Dominus IESVS proditione traditus,& multis iniurijs, plagiſque affectus, in ſepulchro delituit, quo loco eum diſcipuli videre non poterant, deinde ac modico etiam à reſurrectione eũ rediuiuum tempore conſpexêre, quippe quadraginta duntaxat dierum ſpatio ſeſe oculis illorum offerentem. Difficile tamẽ dictu eſt,quàm atrociter, vel potius quàm vehementer hæc IESV abiturientis Apoſtolica pectora lanci-
Matth. 4. nabant. Reliquerant, abiecerantque ob eius
& 19. amorem omnia, imo præter facultatulas, & proprios parentes, quin ita illi adhæſere ſingulari amoris, & obſeruantiæ glutine & nexu, vt diuortium, ac ſeparationem morte ipſa arbitrarentur acerbiorem, vt interim ſilentio prætermittam, quod Iudæorum, atque adeo procerum Synagogæ odium in ſe concitauerant, non ob aliud quam quod IESV eſſent affecti, ac diſcipuli: & ecce de repente ſe diſceſſurum ad patrem, atque in cœlũ ſubuolaturum pronunciat, illoſque veluti in medijs fluctibus procelliſq; depoſiturum. Diſcedit nauclerus quid facient famuli epibatæ? Abit pater indulgentiſsimus quo ſe recipient filij? Accingit ſeſe itineri præceptor cui poſthac hærebunt diſcipuli? Alio proficiſcitur paſtor quid inter vrſorum rictus, inter luporum vulnificos vngues acturę ſunt oues? Quo arctior amicitia, quo flagrantior dilectio, hoc difficilior, amariorque diuulſio. Veriſimile eſt Apoſtolos ad tam triſtem vocem grauiter ingemuiſſe, lachrymiſque faciem abunde irrigaſſe. Quod ſi
breuis

breuis hæc à magiſtro ſeparatio tam vehementer pungit, quid animi futurum exiſtimas illis, qui perpetuo à conditoris ſui contuitu arcebuntur? Tunc intonabit horribilem illam, irreuocabilemque ſententiam: Ite vel diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Grauiter igitur ferebant Domini ſui abſentiam Apoſtoli, atque mirum in modum diſcruciabantur. Sententia diui Bernardi eſt quod anima quæ ſemel plene guſtauit, quàm ſuauis ſit Dominus IESVS malit coniungi inferno, quàm ab eo diuelli, atque ab ſponſo ſuo arceri, abijcique. Legimus 1. Reg. cap. 18 animam Ionathæ filij Saulis regis Dauidis animæ conglutinatam fuiſſe vſque adeo, vt pluris illum faceret quam propriam vitam, proprios oculos. Vide mihi obſecro, ſtudioſe lector, quanto amore vir ille Ephremita generum ſuum complectitur, quàm cunctatur valedicere abeunti, quam diligenter cauſas morandi innectit? Hæc omnia ſi ad Apoſtolos retuleris, apertè intelliges quantam vim habeat arcta amicitia, quamque inuita diſcedat ab amato. Quid enim? An errauit ille qui ſeparationem amoris venenum eſſe dixit? Sed frigidam ſuffundit, ac nonnihil lætaminis, conſolationiſque mœſtis Apoſtolis applicat Dominus. *Vado ad patrem.* Maiora vobis largiturus ſum vbi conſpicuus eſſe deſiero, nempe receptus in cœlum, vbi patri vos commendabo ac donorum chariſmata, qualia nunquam antea habuit orbis, vobis demittam. Quod ſi hinc ad patrem non emigrarem, ſemper me veſtris oculis, quantum ſatis eſſet

Math. 24.
1. Reg. 18.
Iudic. 19.

eſſet, conſpiciendum exhiberem (cùm tam arcta ſit inter nos familiaritas) vna prandere- mus, vnà cœnaremus, vnà ageremus, vnà vtriuſque fortunę vultum (ſi fortuna vlla eſt vſquam) ſuſtineremus. Verumenimuero expe- *Auguſt. in Ioan.* dit vobis, vt ad patrem vadam. Egregiè fuerit perfunctus ſuo officio concionator, ſi cum Au- guſtino vertat iſtud modicum tempus, ad vi- tam præſentem: tempus verò quo iterum Ie- ſum noſtrum viſuri ſumus, ad vitam æternam, vbi abſq; ænigmate videbimus eum ſicuti eſt. *Radulphus ar- dentius.* Ita interpretatur myſticè Radulphus Ardētius. Benignus, inquit, Dominus electis ſuis in hoc mundo nunc faciem oſtendit, nunc auertit. Quaſi enim faciem auertit, dum veluti eos de- ſerens, ſinit perſecutionibus tribulari: faciem verò oſtendit, dum in bono proficere ſinit. Sed vtrumque facit vtili diſpenſatione. Sinit tur- bari, ne de ſe præſumant: ſinit proſperari, ne *Theophil.* deficiant. *Vado ad patrē.* i. ait Theophilactus, non pereo, ſed tranſeo, & ad paruum quidem tempus ſeceſſus erit: poſtea autem perpetuo conuerſabor vobiſcum, viam vobis abitu meo paro, qua me ſequamini. Omne autē iter quod Chriſtus in hoc mundo inſtituit, nihil fuit ali- ud, quàm aperta profectio ad patrem. Non de- clinauit ad dexteram aut ſiniſtram, inter tot pericula, ſalebras, & anfractus ſemper cogita- uit, Sic itur ad aſtra, ſemper patrem ſibi prę ſti- tuit. Tu verò Chriſti Diſcipule, quid hic hæres adhuc, quid moraris in terra, cùm caput tuum *1. Reg. 1.* affectet cœlum? Helcana properat ad conſpe- ctum arcæ in Siloë, ſequuntur coniuges Anna,

& Phe-

& Phenenna. Elias proficiſcitur ad Iordanem 4 *Reg.* 2.
comitatur illum Elyzeus diſcipulus. Abraham
abit è Meſopotamia, ſequitur Zara fidiſsima *Geneſ.* 12.
coniunx, & tu miſelle hic in luto, ac puluere,
inter lachrymas, & ſuſpiria mille, deſidere poſtulas, atque exilium fatuus patriæ pręferre audes. Quod ſi quippiam corpulentarum, terrearum, mundanarumque rerum te remorari contendit, reſponde, quia vado ad patrem.

Reſponde, quid hic mundus habet commodi, imo quid non potius incommodi? Quid ſi habeamus hic omnia, & quicquid honorum, quicquid bonorum habet hoc exilium, noſtros intra ſinus concludamus, quo nobis ea omnia, ſi te vno Domine pater careamus, qui vnus es veræ voluptatis fons, & omnium bonorum oceanus. *Dixerunt ergo diſcipuli eius ad inuicem: Quid eſt hoc quod dicit nobis, modicum. &c.*
Quod non intellexerint magiſtrum ſuum diſcipuli, idcirco eſſe reor, quia non ſperabant eius profectionem tam eſſe propinquam, vel certe quia tam vehemens erat triſtitia, quæ, Domino teſte, cor eorum impleuerat, vt aciem mentis obtunderet. Verùm mutua de ſermone audito inueſtigatio declarat, quantum eis fuerit diſcendi ſtudium. Non ſatis eſt verbum Dei audiuiſſe, ſed cum mundis animalibus ſæpius illud oportet ad mentem reuocare. Hinc Salomon. Da mihi Domine ſedium tuarum aſsiſtricem ſapiętiam. Et Dauid: Da mihi intellectum vt ſciam teſtimonia tua. Rabbi Moyſes comparat viros eruditos peritis natatoribus, qui gemmas è profunda aqua ſine periculo eruere poſſunt.

Leuit. 11. *Sapient.* 9. *Pſal.* 118. *Rabbi Moſes c.* 33.

At hi qui vrinandi planè ſunt imperiti, præter hoc quod gemmas non eruunt, & vitam perdunt in vndis. Sic qui inepti accedunt ad ſacrarum literarum lectionem, plerumque offendunt, perduntque potius ibi ſalutem, quàm inueniunt. Quid igitur his agendum? Accedendum illis ad IESVM puris precibus, vt & cor eorum, & myſtica ſenſa aperiat. Deinde accedendum ad eos, qui ſacrarum literarum ſunt docti, qui habent clauem ſcientiæ. Iſti vrinatores inoffensè gurgites etiam aquarum penetrant, rurſuſque arte magiſtra emergunt. At hi qui natandi ſunt imperiti, ne fluctuum vortice abripiantur, aut impetu vndantis fluuij abſorbeantur, non temere aquam ingrediuntur, ſed perito alicui natatori ſe credunt, committuntque, qui leni manu admota, caput ſupra fluctum ſuſtineat. Sic omnino, ſic vulgus, & rudes auditores facere decet, perpetuo ſeſe præceptoribus, & concionatoribus dedere, illis auſcultare: & ſi quis vindice dignus occurrerit nodus, ad ſcripturæ interpretes, ac eruditos paſtores, eccleſiaſtaſque reſpicere, qui candelam præferant nauigantibus, & manum porrigant inter ſcripturæ vndas peri-
Act. 8. clitantibus: exemplo Eunuchi, qui poſtulauit in difficili Eſaiæ textu interpretem, ſeu eruditorem. At ignaui (quorum ferè maxima turba eſt) probè ſe ſuo functos officio arbitrantur, ſi cum alijs auditoribus templi atria impleuerint, ſecuri ſiue à coruis rapiatur commiſſum illorum auribus verbum, ſiue in intimos animæ ſinus receptum agat radices, atque inde

que inde germinet pulluletque. Sunt verò non- Math. 13.
nulli, quibus tantus eſt faſtus, vt ne interro-
gare quidem velint: ſed ſcire ſe, ac quæuis
intelligere ſimulant, ſeque ita rudi vulgo ex-
emptos volunt. Iactant enim ſe ſine cortice,
aut inflatis boum veſicis natare poſſe. In iſtos
competit Satiricum illud: Turpe eſt, neſciſſe
fateri.

Cognouit autem IESVS, quia volebant eum interrogare. Non audierat diſcipulos mutua diſceptatione, de verbis Dominicis diſquirere, ſed ex ſuo ſpiritu cognoſcebat: quid enim ille non videt, cui nihil eſt abſconditum? Exemplum eſt paternæ ſollicitudinis, quod filiorum præuenit interrogationem, quam reuerentia, ac ingenuus pudor excludebat. Adeo eſt ad docendum atque erudiendum promptus, alacerque præceptor IESVS. Quam promptitudinem etiamnum quotidiè experimur, dum ne rogantibus quidem bona ſua, atque beneficia accumulat; iuxta illud Eſaiæ: Eſaie. 65.
Erit, antequam clament, exaudiam eos. Benignitatis verò eſt, quòd ſtupidos, & rudes non abijcit: humanitatis, quòd non duriter reprehendit, ſed ſuauiter eis futura recludit.

Amen amen dico vobis, plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, Vos autem contriſtabimini: Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

Non ſimpliciter dicit, hæc, & hæc patiemini: Non dicit, plorabitis tantum, ſed & flebitis, imò & contriſtabimini, indicans eos intus, & extrinſecus paſſuros, & vbique habituros triſtandi cauſſam; quod ſanè in paſ-

ſione impletum eſt. Fleuerunt enim, cùm eum relinquere cogerentur. Petrus verò præcipuè (qui tanta tempeſtate tranſuerſus actus) vbertim fleuit, oculoſq; in amaras lachrymas ſoluit. Lachrymas Ioánis ſileo, quem vultis ſub cruce genis conſtitiſſe, vero non abſimile eſt. Si Apoſtolorum coriphęi & principes fletibus indulſerunt, quid mirum eſt, ſi nos miſelli nõnunquam ab inimico nobis mundo ad lamenta & fletum trahimur? Hoc verò maximè pungit, ac male habet miſeros, quòd in agone conſtitutis mundus geſtiens inſultat, quod quantopere faciat ad triſtitiæ cumulum, quis non videt? Vides Chriſtiane lector, quid DEI ſynceris cultoribus in hoc mundo ſit expectandum, nempe irriſiones, & inſultationem. Sed in prioribus generationibus hæc ferè videmus contigiſſe (ait Chryſoſtomus) Quippe Babylonij cùm Deum ignorarent, opibus, potentiaque pollebant. Iudæi verò captiuitatis, atque ſeruitutis premebantur iniurijs. Et Lazarus ille, qui regnis cœleſtibus, æterniſque gaudijs potiri meruit, vlceribus plenus, canum linguis expoſitus erat, atque perpetuo cum fame luctabatur: diues verò in honore, ac frequenti conſtipatione ſeruorum, & requie & delitijs vitam ducebat. Verum vt huic nihil apud inferos profuêre delitiæ, ita nec Lazaro fames & vlcera nocuerunt: ſed veluti quidam athleta fortiſsimus, cum æſtu, & algore luctans, & præclarè vicit, & coronatus immortaliter eſt. Sed quàm inſipiens mundus eſt, quòd factore ſuo vna cum ſanctis Apoſtolis flentibus

Chry. lib. 1 de Dei pro uidentia.

Luc. 16.

fletibus,ipſe rideat & irrideat?Belli(ait Chriſ.) & pugnæ tempus eſt,vigiliarũ,cuſtodię,armaturæ; & áciei. Nullum hic locum habet ridendi tempus, illud enim mundi eſt. Audi Chriſtum dicentem: Mundus gaudebit, vos contriſtabimini. Malorum tuorum gratia crucifixus eſt Chriſtus, & tu rides? Alapis percuſſus eſt, tantaque, ad auertendam, quæ te occupabat, tempeſtatem, paſſus eſt,& tu delitiaris? Et quomodo quæſo ipſum non magis ad iracundiam prouocas? Vtinam hoc mœſtis omnibus perſuadere poſsimus, quòd triſtitia eorum vertetur aliquando in gaudium. *Chryſ. ſer. 17. in epiſtolam ad Epheſ.*

Hoc meritò grauia omnia leuia, aſpera dulcia, dura ſuauia efficere deberet, quòd triſtitia noſtra vertetur in gaudium. Hinc pulchrè D. Hieronymus: Qui hyeme (inquit) ad ignẽm accedit, prius nudus aſperitatem frigoris patienter fert, quia eum conſolatur ſecutura calefactio. Sic in omnibus rebus humanis difficile ſequitur letitia, niſi ex triſtitia. Qui literarum peritiam ambit, prius tædia diſcendi ſuſcipiat, vt ad peritiæ gaudium pertingat. Agricola quoque non poteſt habere terræ vbertatem, niſi prius eam multo laborare confecerit: & tanto magis ſpem concipit fœcunditatis, quãtò ſe magis deſudaſſe cognouit. Quid? quod in creaturis id fere omnibus fieri videmus, vt illic glorioſior gignatur fructus, vbi maior preſſura pręceſſerit? Nam hyemis lenitas ſterilitatẽ ſæpè intulit, cùm vbertatem maxima frigoris dedit ſæpe auſteritas. Arbores ipſæ tãtò numeroſiore fructu onerantur, quantò frigore magis *S. Hieronymus ad virginem exulem.*

arctatæ fuerint. Sic eſt de ſeminibus. Nauigantibus quoque nimia tempẽſtas ſæpe ſerenitatis ſpem miniſtrauit. Si ergo hyems tribulationum nos aſpera vexat, ferendum eſt ob ſpem æſtatis æternæ: quia quantò nos glacies acrior conſtrinxerit, tantò fructus virtutum in nobis magis florebunt. Nulla tempeſtas contriſtare debet, quæ ducit ad portum ſalutis æternæ. Neque hæc verba ſolùm Apoſtolis dicta putemus, ſed omnibus etiam Chriſti fidelibus. Deliniauit enim Chriſtus ſtatum Eccleſiæ ſuæ, nempe quòd filijs Belial, & mundi cultoribus exultantibus, & tripudiantibus, ipſi inter ſe mœrebunt, ſe mundi voluptatibus ſubtrahentes. Quid enim illis rei cum vberibus Ægyptijs? manna potius cœleſte aperto mentis ſinu excipere cogitant, & fiunt illis lachrymę panes die ac nocte, interim fiducia in Deũ collocata, cuius pollicitationi innituntur, qui aſſerit triſtitiam illorum vertendã in gaudium. Imò nonnunquã in pręſenti vita etiam id fieri videmus, in qua ſubinde Deus iuſtus cõncedit ab impiorum perſecutione, & oppreſsione refrigerium: quemadmodum & Eccleſię ſuę, poſt grauiſsimas tyrannorũ, & hęreticorum perſecutiones, tranquillã, & mitiorem aſpirauit auram, Chriſtianis pręgaudio exilientibus, impiis verò incredibili mœrore veluti contabeſcentibus, dũ ſuo furori frenũ iniectũ vehemẽter dolerẽt. Huc facit quod dicitur Pſa. 29. Ad veſperũ demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Et Eſaiæ. 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Item:

Pſal. 29.
Eſaie. 54.

tę. Item: beati qui lugent, quoniam conſola- *Math. 5.*
buntur. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Vt enim mors mea vos diſcruciabit, & Iudæos afficiet gaudio, ita & vos reſurrectio afficiet gaudio, contrà Iudæos conturbabit. Quare breuem iſtũ mœrorem fortiter tolerate, ſpe mox ſecuturi gaudij. *Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: Cùm autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundo.*

Tametſi mundus nos velut omni præſidio deſtitutos, ac lachrymis penè cõfectos, irrideat, breui commutabuntur rerum vices. Nam veluti puerperæ, elegantem per ærũnas has edemus fœtum. Quemadmodũ enim grauida grauiter diſcruciatur, ac mirè, ad partum nitens, diſtorquetur, cęterum eos dolores inuicto fert animo, tum quòd ſciat non futuros diuturnos, tum quòd confidat mox cõſecuturam ex edita prole voluptatẽ: Ita vbi ab inimico hoc mundo pungimur, vellicamur, atq; lancinamur, nequaquam nobis deſpondendus eſt animus, ſed meliori ſpe erecti, ad fructum ex rebus difficillimis iam iam producẽdum vertamus oculos. Præclarum eſt, ac vulgare puerperæ exemplũ. Magnus enim, ſed breuis eſt parientis fœminæ dolor, quique mox conuertitur in maximam lætitiam; ita Apoſtolorum animi tum Domini ſui morte, tum perſecutione poſtea incredibili percellebantur, ſed hæc omnia certam, eamque immenſam eis pepererũt ſalutem. Imò (inquit Euſebius Emiſſenus) quando Apoſtoli prædi- *Euſebius*
cabant, quando nouos Eccleſiæ fœtus partu- *Emiſenus.*

 rirent,

rirent, ac parerent: quando baptizabant, & per fidem adoptionis filios generarent: quando etiam morte ſua dogmata ſancirent: triſtitiam ſingularem, & dolorem habebant: ſed poſt hos dolores, varioſque nixus, æternum, eis apud Deum receptis, gaudium natum eſt. Non ab-
Geneſ. 35. ſurdum eſt, quod adducit Euſebius, Rachelem videlicet Iacob Patriarchæ coniugem, quæ pariendo mortua eſt, Apoſtolorum parturigines ſignificaſſe: vnde & filium ſua morte in vitam æditum, appellabat Bennoni .i. filium doloris mei: pater autem meliori omine vocabat Beniamin.i. filium dexteræ. Beatus ſanè partus ille Apoſtolicus, quo tanta nobilium filiorum in orbe ſurrexit ſoboles. De Eccleſia verò partu-
Apocal. 12. riente, ſcribit Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi: Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite corona ſtellarum duodecim: quæ in vtero habens, cruciabatur, vt pareret. Hec enim (ait Euſebius) mulier Eccleſia eſt. Quæ igitur habere gaudium cupit de filio, neceſſum eſt, vt prius dolores ſentiat. Ita enim ferè hîc comparatum eſt, vt læta niſi è triſtibus proueniant, enaſcanturque, vti roſa è ſentibus.

Claudianus. Huc illud Claudiani.

Non quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat fauos,
Si fronti metuat, ſi caueat rubos,
Armat ſpina roſam, mella tegunt apes.

Heſiodus. Concinit Chriſtiano poëtæ Claudiano Græcus Heſiodus: Sudores diuis placuit, prætendere ſepem, virtuti. Nonne roſa flos omnium venuſtiſſi-

nuſtiſsimus è ſentibus naſcitur? ita è triſtitia gaudiū,atque ex rebus afflictis voluptas. Quicquid igitur in vitam noſtram moleſtiæ,laboris, doloriſque incurrerit,forti,infractoque feramus animo, cùm ferè communis ſit hæc ſors omnium in exilio hoc nobiſcum vnà degentium. Ad eandem enim properamus,tendimuſq; metam, eiuſdem vrbis Hieruſalem ciues. Hic verò omnes captiui ſumus, quæ res ſingùlarē inter nos connectere amicitiam debet. Quemadmodum enim (ait Chryſoſtomus) ſi ex diuerſis ciuitatibus captiui quidam ſedibus ſuis expulſi, in vnam venirent ciuitatem,vehementer ſibi cohęrerent,mutuoque complecterentur,communione nimirum calamitatis eos conglutinante, & veluti ferruminante:ita cùm ſimus eiuſdem Eccleſiæ filij, Deo nati patre, non vulgariter nos inuicem complecti debemus, quòd noſtrū nemo niſi per acerbas, graueſque parturigines ad ſperata gaudia penetrare queat. Cæterum elegans cum primis, & ſpecioſa eſt hæc metaphora pregnantis mulieris, quandoquidem Sanctorum gaudium tale eſt,vt nulla ſit amplius poſt exantlatos,fortiterq;, ac generoſé perpeſſos labores, preſſuræ memoria, nulla malorum recordatio, incredibili æternitatis voluptate abſorbente; & veluti abolente præterita incommoda. Id. D. Ioannes ſatis indicat, dum ait: Abſterget Deus omnem lachrymam, ab oculis Sanctorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra,quæ prima abierunt. Quid igitur? Vbi noſtrum aliquis fuerit in cœlum receptus, non

Sermone 15. in epiſtolam ad Philippen.

Apoc.21.

regnabit amplius mors, non erunt lachrymæ, aut luctus? Alijs erunt, nobis cœlo donatis non erunt.

Et vos quidem nunc triſtitiam habetis iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

Mundi gaudium inſtabile, & floribus deciduis ſimile, confeſtim enim marceſsit, & in medio ſui vſu decipit, deſtituitque poſſeſſorem ſuum. Gaudium enim hypocrytæ adinſtar puncti. Idcirco bene comparatur pulueri, quem
Iob. 21. proiicit ventus à facie terræ. Miſeros nos, qui toto auidoque complexu fugacia, euanidaque
Pſal. 1. aſſerimus nobis gaudia, neglectis, poſthabitiſque, quæ Deus vltro pollicetur, æternis ſolidiſque voluptatibus.

ANNOTATIVNCVLA Prima.

Cyprianus lib. 2. de mortalitate. Iterum videbo vos. *Cyprianus. Cùm Chriſtum videre gaudere ſit, nec poſſet eſſe gaudium, niſi cùm Chriſtum viderimus, quæ cæcitas animi, quæ dementia eſt, amare preſſuras, pœnas & lachrymas mundi, & non feſtinare ad gaudium, quod nunquam poteſt auferri? Hoc autem fit ideo fratres, quia fides deeſt: quia nemo credit vera eſſe, quæ Deus promittit. Si tibi vir grauis aliquid polliceretur, haberes pollicenti fidem, nec te vel falli vel decipi crederes: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi decedenti ex hoc mundo, immortalitatem, & æternitatem pollicetur, & tu dubitas? Hoc eſt Deum non noſſe.* Hactenus Cyprianus.

SECVN-

SECVNDA.

Iterum videbo vos. *Euſebius Emiſſen. Sed quando eos non videat, qui ſemper & vbique videt omnia? De ea igitur viſione loquitur, quæ eſt æterna, quæ ſemper in gaudio eſt, cuius lætitia auferri non poteſt.*

TERTIA.

Quia natus eſt homo in mundo. *In præſenti ſæculo tempus eſt partus bonorum hominum: tempus eſt, vt Eccleſia per acerbiſsimos licet, difficileſque nixus, CHRISTO ſponſo ſuo multos progignat filios. Cui partui dum inſiſtunt iuſti, grauiſſimas patiuntur à mundo, carne, & Diabolo hoſtibus multò pertinaciſsimis, afflictiones, dum partui fælici inſidiantur: quibus ſi intrepidè ſeſe obijciant iuſti, ſuccedet eis in vita æterna, iam lætum trophæum ſtatuentibus, gaudium nunquam finiendum, quo vnuſquiſque per dolores illos gaudebit ſe in cœlorum regno natum. Imò (ait Beda) non debet nouum videri, ſi natus eſſe dicatur, qui cum victoria ex hac vitæ paleſtra migrauerit. Sicut enim conſuetè naſci dicitur, cùm quis de vtero matris procedens, in hanc lucem ingreditur, & particeps huius vitæ fit: ita poteſt natus appellari, qui à vinculis carnis ſolutus, ad lucem æternam ſublimatur, & particeps vitæ fit cœleſtis: vnde Sanctorum ſolemnia non funebria, ſed natalitia vocantur. Apud Gymnoſophiſtas piorum, atque egregiorum virorum mors (vt auctor eſt Raphael Volaterranus) natalis appellabatur.* Raphael. Volaterranus.

At

At apud Chriſtianos, olim ſæculo D. Auguſtini, dies mortis Sanctorum, eadem nomenclatura notabatur. Quid? quod Vſuardus in eo libello, vbi totius anni dies omnes Diuis peculiaribus inſignit, perpetuo natalis vocabulo mortem Sanctorum notauit?

Vſuardus in martyrologio.

DOMINICA QVARTA A PASCHA. EVANGEL.

Ioannis. 16.

VAdo ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?

Ecce rurſus de emigratione ſua loquitur Chriſtus. Iam toties Apoſtolus inculcatum voluit, ſe non aliò quàm ad patrem proficiſci. Vult enim eis perſuaſum, patrem glorificaturum verbum ſuum. Egerat patris legatum, ſuamque ſpartam inſigniter ornauerat, ſed cùm tempus appeteret, quo rurſus repeteret patriam, cœloque ſe redderet, beatis ſpiritibus præſens factus, id amatos diſcipulos latere noluit. Scribitur Eccleſiaſtes primo cap. Oritur ſol, & occidit, & in circulos ſuos reuertitur. Ad eundem modum ſol iuſtitiæ Chriſtus, vbi cœleſti patri viſum eſt, viſitauit nos oriens ex alto, quo denſam huius mundi caliginem, triſteſque tenebras, tanquam ſalutiferum ſydus profligaret. Et iam patris voluntate declarata, renunciataque, radios ſuos quaquauerſum ſpargere cepit, quanquam non deeſſent tenebriones complures, qui lucem tam puram extinctam cuperent, quorum tam ingens vndique emer-

Eccleſ. 1.

que emerſit, ebullijtque copia, vt ducem vitæ Ieſum conſpiratis animis circumſtarent, ac tãdem è vita tollerent. Neque tamen ille in ſepulchro triduo diutius iacuit, ſed rediuiuus Apoſtolis conſpicuus fuit, erudiens, & accendens eos ad fidei robur, & pietatem. *Vado ad eum.* Acſi dicat, quantumuis ſalebroſa, & aſpera via ſit, quamlibet arcta porta, veſtri tamen gratia irrumpam, atque ex omnibus difficultatibus eluctatus, vti fidus interpellator, paterno me conſpectui offeram, veſtrum negotium perquam ſtrennuè acturus. Hinc .i. Ioannis 2. Aduocatum habemus apud patrem IESVM Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Præcedo igitur vos tanquam caput membra. Quid verò aliud eſt ad patrem ire, quàm ire ad certam gloriam? Fœlix ter ille, & amplius, qui iam hinc digreſſurus, firmata, & ad tranquillitatem compoſita conſcientia dicere poteſt: *Vado ad patrem.* Vado ad eum qui me huc miſit: Iam operis penſum abſolui. Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi: hoc vnum iam reſtat reliquum, vt coronam mihi deſtinatam lætus accipiam. At quo quæſo ore, qua fronte iſtuc dicturus eſt, qui planè degener, nũquam vixit vt filius? *Et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?* Dominus his verbis mœſtos Apoſtolos prouocatos voluit ad familiares interrogationes, notans interim eos, quòd præ nimio animi dolore iã prorſus ceſſarent ab huiuſmodi familiaribus interrogationibus, quales deberent merito eſſe inter amicos, maximè iam ab inuicem ſæparandos. Ex

1. Ioan. 2

dos. Ex his enim percontationibus nonnihil ferè vel commodi, vel ſolatij naſci ſolet, præſertim ſi iter fuerit prolixum,& difficile;& manentes ad vitæ huius onera, & ſarcinas magnopere egeant abeuntis patrocinio. Iure enim multo mœrent filij abeunte pätre; oues proficiſcente paſtore,pulli auolante parẽtẽ, & ſponſa aliò diuertente ſponſo, præſertim ſi oues expoſitæ ſint vicinis lupis, auiculæ implumes vicino ſerpenti, aut accipitri, parui liberi obnoxij lamijs, aut plagiarijs. Si qui etiam ſint amici, qui arcto familiaritatis nexu coniuncti, fida ſibi mutuo gerunt pectora, probè norunt quàm diſcruciet ſupremum illud ac triſte vale. Nôrunt id coniuges. De amicorum fatali diſtractione extat illud Poetæ:

Diuidor haud aliter, quàm ſi mea membra relinquã,
Et pars diſcerpi corpore viſa meo.

Quid tu ais Petre? Relinquit te IESVS, propter quem tu deſeruiſti omnia, imò & inter
Ioan. 6. omnia quoque teipſum. Domine (inquit) ad quem ibimus, tu verba vitæ æternæ habes. Optimè ſanè verba IESV vitam inſpirant. Opi-
Euſebius Emiſſen. natur Euſebius Emiſſenus Apoſtolos ita plenè fuiſſe doctos, vt non eſſet opus rogare, quo tenderet, ac pergeret Ieſus: quoniam certiſsimè, inquit, ſciebant eum ad patrem proficiſci. Auguſtinus verò ad Domini aſcenſionem refert. Quaſi diceret: Tam manifeſtè aſcendam in cœlum, vt non ſit opus interrogare, quo vadã. Sed Domino Cornelio Ianſenio hæc interpretatio coactior videtur: Mihi vèrò neque Euſebij Emiſſeni expoſitio ſatis arridet. Quapropter dum

ter dum deſidero mihi lucidiorem, non diſplicet Cyrilli, qui aſſerit Diſcipulis iam perſuaſum fuiſſe, Dominum iam omnino ſtatuiſſe diſcedere: vnde & ſuperuacuum fuiſſet, illum vel percontatione aliqua remorari velle. Arridet &. Theophil. ſententia, qui exiſtimat diſcipulos nihil interrogaſſe, quo abiret magiſter propterea quòd eſſent animo conſternato. Optimè verò illud ad paſsiónis tempus retuleris. Vult enim dicere Dominus: Tãta erit meę paſſionis atrocitas, tamq; aſpera via, vt nullus veſtrũ interrogaturus ſit, quo vadã. Omnes enim trepidi, & cõſternati fugietis. Aliter: Supra multa interrogaſtis, nunc verò cùm de veſtra ſemel perſecutione dixi, tam eſtis animo fracto, & puſillo, vt nihil amplius interrogetis. Huic expoſitioni fauere videtur, ac ſuffragari ſententia in Euangelio proximè ſequens, ſcilicet: *Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum.* Bona res eſt triſtitia, ſed tũ, cùm quis illa rectè vtitur. Triſtitia quæ ſecundũ Deum eſt pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Si diſcedit à te Dominus, & veluti offenſus abſcondit faciẽ ſuã, vera triſtitię cauſa eſt: quantoq; eius abſentiam acrius dolueris, tantò eris illi gratior, tantò tibi vtilior. Si enim locupletiſsimũ, iuxta ac ſpecioſiſsimũ ſponſum properè ſpõſæ thalamũ exeuntem, illa nullo fletu, nullo gemitu, nulliſque lamentis proſequatur, quis ambiget eam vulgari duntaxat amore, ac beneuolentia erga illum affici. Itaque diuortium illud, ſiue peregrinatio ſponſi, velut index, vel ſpeculum eſt, in quo ſponſæ amorem contemple-

Cyrillus. *Theophil.* *Ioan. 14.* *Theophil.* *2. Cor. 7.*

templeris, ac probes. Quo conſtantior amicitia, eò ſeparatio triſtior, grauiorque. Triſtitia verò quæ te macerat, afflictatque, quod mundo diſpliceas, & tanquam peripſema, vileque lutum à vanis hominibus exploderis, nihil aliud quàm peſtis eſt, cùm potius idcirco gaudere oporteat. Deſerit amicus carnalis, & tantum non mœrore abſorberis: deſerit Deus, & vix lachrymulam vnam per genas demittis. Fugit rupto fune canis, fractis repagulis equus, auolat quæ in delitijs eſt canora auicula, vah quantum doles, quantum indignaris, quem non hominum, Deûmque incuſas? At ſi ob tuas ineptias, obque effrenes cupidines abeat Deus, vix tibi dolendum, vix lugiendum putas. Perdis lutum, & luges, perdis margaritum, & rides. Sauciatur, vulneraturque corpus, mox adſciſcis medicum: varijs flagitiorum plagis ferè enecatur animus, & neque de remedio quidem cogitas. Ah hominum oſcitantiam, craſſamque incogitantiam, qui omne ſtudium in rebus inanibus, fugacibuſq; reponunt, perinde atque ſi hæ ſolæ eos reddere beatos queant: Deum verò totius ſalutis fœlicitatiſque auctorem perpætuæ, raro in ore, rarius in pectore geſtant: Et qua hęc quæſo venia digna ſunt? *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam.* Quid enim veritas, aliud quàm veritatem dicere poteſt. vtilius eſt vera quàm iucunda audire. Nullus (inquit Lactantius) animæ cibus melior, quàm veritas, tametſi plerique mendaces Ægypti delitias, porrum, cepe, pepones, ac cucumeres, pani

pani cœleſti (quem manna appellant) præferre malint: & ſecũdum Hieronymum multis amareſcat veritas, non ob aliud, niſi quod eorum dentes obſtupefecit iniquitas. De quibus apertè D. Paulus teſtatur, quòd à veritate auditum auerterunt. Quanquam igitur graue, & iniucundum fuit diſcipulis audire præceptoris ſui profectionem, quoniam tamen id expediebat, clam illis eſſe noluit. Referebat enim eos ſcire, Chriſtum eſſe verum, & indubitatum legatum, qui obita cum laude legatione ſua, ouans, & lætus rediret ad patrem: Vbi pro legato, pro genere noſtro ageret iam aduocatum, non aliter atque Eliezer ille, qui miſſus in Meſopotamiam, ad quærendam filio herili Iſaac ſponſam, confecto negotio, expletoque munere ad Abrahamum, qui deſtinauerat eum, reuerſus eſt. Porro vbi iam Rebecca cum legato Eliezer ad Iſaac ſponſum venit, obuijs vlnis excepta eſt, atque in cubiculum Zaræ ducta, & vehementer dilexit eam. Sic Chriſtus honeſta illa patris legatione cum laude functus, domum reuerſus, ſponſam Eccleſiam incredibili amore proſecutus eſt, eiq; ſingularem apud patrem thalamum parauit. Ad eundem modũ & iunior Tobias miſſus ad Rages ciuitatem Medorum, vbi Zaram Raguelis filiam ſibi duxiſſet vxorem, ad patrem redijt. *Expedit igitur vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.* Sed quid vetat paracletum venire, ſi I E S V S maneat? An non ſunt eiuſdem ſententiæ, aut voluntatis? Quid? Num inter pacis auctorem I E S V M, & inter ſuauiſſi-

Hieronymus.

2. Tim. 4.

Gen. 24.

Tob. 12.

mum patri, filioque communem ſpiritum, poteſt vllum eſſe diſſidium? Nequaquam. Sed Apoſtoli nimium adhærebant Chriſti humanitati, ac ſuauiter tenereque illam amabant.

Vult ergo dicere Chriſtus: Si alimenta tenera, quibus vos hactenus alui, non ſubtraxero, ſolidum cibum neque eſurietis, neque capietis. Si carni meę carnaliter hęſeritis, ſpiritus capaces non eritis. Si Apoſtolis obſtitit Chriſti carnalis præſentia, quo minus ſpiritum poſſent accipere, cùm tamen ſpirituali etiam proſequerentur amore: quanto magis eum non poſſunt accipere, qui adhuc carnalia ſapiunt, & toti quanti quanti ſunt, illis inhærent: aut qui carnali adhuc cognationum affectu detinentur? Idcirco optimè D. Paulus: Nos (inquit) ex hoc neminem nouimus ſecundum carnem. Etſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc nõ nouimus. Hinc facile diſces amice Lector, quàm ſint alieni à ſpiritu ſancto, qui fœdis, & inconceſsis amoribus dant operam, qui alienis inſidiantur thalamis, qui cum coruo illo, quem Nohe ex arca emiſit, alicui cadaueri inſident, neque vlla vi inde auelli queunt. Veh miſeris iſtis hominibus, qui coruum potius imitari volunt, quàm columbam, quæ non cadaueribus, aut brutis carnibus, ſed tritico, & pinguis oliuæ ramuſculis ſe præbet familiarẽ. Iſti verè ſpiritui ſancto ſtruunt thalamum, qui carnales delitias auerſati, regni cœleſtis deſiderio columbino more gemunt. *Si autẽ abiero, mittã eum ad vos.* Ad quid verò miſit ſpiritum ſanctũ? Hoc D. Cyrillus: Opus (inquit) erat Apoſtolos naturæ

2. Cor. 5.

Cyrillus in Ioannem.

naturæ diuinæ participes fieri, & in nouã inauditamque vitam tranſformari, quod aliter quã participatione ſpiritus ſancti fieri non poterat. Oportebat enim ſpiritum venire, vt illum habẽtes liberè clamemus, Abba pater: & ad virtutem reducti, tam aduerſus Diabolum, quàm aduerſus perſecutiones humanas fortes efficeremur. Quod autẽ præſentia ſpiritus ſancti homines tranſformantur, non eſt difficile è ſcripturis oſtendere. Dixit enim Samuel ad Saülem: Inſilietin te ſpiritus Domini, & conuerteris in alterum virum. Vides quia ſpiritus ſanctus in aliam, ſicut vult, imaginem nos tranſformat, facileque à terrenis ad cœleſtia noſtros animos tranſponit? Id in Apoſtolis eueniſſe cernimus: per ſpiritum enim ad eam fortitudinem ab ignauia reducti ſunt, vt nec vlla pericula timerẽt, & Chriſto inſeparabiliter inhærerent. Expediebat igitur verè diſcipulis magiſtrum abire. Tempus enim iam aduentus ſpiritus erat. Hactenus Cyrillus. *Si autem abiero, mittam illum ad vos.* Ex hoc loco Sacramentarij ſuum errorem ſtatuere contendunt: Si (inquiunt) expediebat, vt Chriſtus corpore abiret, quomodo poteſt iã corpore præſens eſſe? Aut ſi ipſe Chriſtus præſens eſt corpore, paracletus præſens nõ eſt. Atqui huiuſmodi arguti ſtructores Babel ignorare videntur, quomodo Chriſtus receſſerit. Non enim ita ſuſtulit hinc carnem ſuam, vt hic nullo modo poſsit deinceps eſſe, ſed vt eo modo quo antea fuit, poſthac præſto futurus non ſit: videlicet conuiuendo nobiſcum, comedendo, bibendo, vigilando, cęteraque humanæ vitę

Galat. 4.

1. *Reg. 10.*

Argumentum Caluiniſt.

opera faciendo. Ad hunc modum intelligere debes & illud Chriſti ad diſcipulos; Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem nō ſemper habebitis: videlicet vt modò habetis, ita vt humanitatis opera mihi exhibere poſsitis.

Et cùm venerit, ille arguet mundum de peccato. Ne dicant Apoſtoli, ſe eius malle præſentiam, quàm ſpiritus ſancti; hic oſtendit paracleti oſfitium, & fructum. Mundus violentus, imò iuratiſsimus hoſtis erat Apoſtolis, vſque adeo vt ne mutire quidem contrà auderent, ante ſpiritus ſancti aduentum, mundo in eos debacchante, atque infeſta illis omnia reddente. Pollicetur igitur talem ſe miſſurum auxiliatorem & vindicem, qui mundum magna libertate aggredietur, reūque aget, reprehēdendo de peccato. Nam Iudæi immodica incredulitate occęcati, neque Chriſti, neque Apoſtolorum verbis fidem habuerunt, cùm tamen tot miracula coram cernerent, doctrinamq́ue tam ſingularem ex Chriſti ore, melliſluiſq́ue labijs diſtillari conſpicerent. Imò venia fortaſsis dignum fuit iſtud, ſed quis ferat eorum pertinatiam, qui, adueniente ſpiritu ſancto, ac magna vi totius orbis idololatriam proſternente, adhuc pectora omni adamante duriora, omni lapide ſolidiora geſtauerunt? Poſt Chriſti paſsionem gentium corda, tanquam petrę rigidæ, ac ingentes rupes ſciſſa, atque ad noui Euangelij ſemen excipiendum aperta fuerunt: Iudei verò clauſis animæ fibris, ac venis, Euangelio reſtiterunt. De hoc igitur infidelitatis peccato arguet eos, per Apoſtolorum linguas, ſpiritus ſanctus. Chriſtus arguit mundum

mundum de incredulitate,ſed id plenius,& euidentius efficiet ſpiritus ſanctus. Sic enim conuincet mundum,vt niſi reſipuerit,credens Euãgelio,nullam ſit prorſus excuſationem habiturus.Quãdiu enim in carnis infirmitate mundus Chriſtũ vidit,habebat nonnihil quod ſuæ prætexeret incredulitati:at cùm illum reſurrexiſſe, atque in cœlos aſcendiſſe, ibique ſemper permanere viderunt, nihil erat incredulis reliquũ excuſationis. Meritò igitur reprehenditur, & cõuincitur mũdus de peccato.Sed de quo peccato? De peccato infidelitatis. Sequitur enim: *De peccato,quia non crediderũt in me.*Magna certè mundi cæcutiẽtis pertinacia;prædicauit Chriſtus, prædicauerunt Apoſtoli: miracula patrauit Chriſtus, patrauerunt & Apoſtoli,mundus verò cùm hæc videret, & audiret, veluti totus cæcutiens, & obſurdeſcens,neutris fidem habuit. *De iuſtitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me.* Vt clarè commonſtretur, mundum peccare non credendo in Chriſtum, oportet oſtẽdere Chriſti iuſtitiam. Hæc autem declarata eſt per hoc,quòd ad Deum abierit,atque apud ipſum perpetuo maneat, hoc enim demonſtratur per illud: *& iam non videbitis me.*

Neque verò Chriſti in cœlos aſcenſus tantum declarauit ipſum in ſe eſſe iuſtum, ſed ſic ei competere iuſtitiam, vt per eum ſolum iuſtificari poſsint homines, eò quòd primus, & ſolus ex hominibus potuerit aſcendere ad Deum:ac proinde eo aſſcenſu cõuincuntur peccare,quotquot non credunt in eum. Quis enim iuſtiſsimi regni intrabit gloriam,niſi iuſtus(ait-

Albertus Magnus in ἀναθ. Albertus magnus?) Conuincet igitur ſpiritus ſanctus, per Apoſtolorum linguas, mundum de iuſtitia, quia iuſtitiam Chriſti vel reprehendit, vel non credidit: conuincendus igitur eſt mundus ſui erroris: alioqui niſi iuſtus eſſet Chriſtus, quo pacto ad Patrē adſcendere poſſet? *De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* Mundus vtique arguendus, imò & conuincendus eſt, efficacia & claro ſpiritus ſancti teſtimonio, eò quòd Diabolus iam iudicatus, & plane condemnatus ſit. Apparet hoc veluti proceſſum aliquem, aut litem iudicialem à Diabolo contra genus humanū fuiſſe inſtitutum. Nam cùm ille propter peccatum iure ſibi vindicaret dominium in nos, & mortis imperium teneret; Chriſtus veluti patronus, ac vindex iā præſto hic factus, per integram, & omnibus numeris abſolutam iuſtitiam ſuam, dum mortem ſibi iniuſtè à diabolo irrogatam æquo animo, & fortiter pertulit: pro ſe prius, deinde & pro omnibus alijs eius iuſtitiam per fidem acceptantibus, meruit, vt data ſententia diabolus condēnaretur, omniq́ue prorſus poteſtate exueretur: ita tamen, vt ij qui Chriſto credere recuſarent, ſub peccato manerent, atque etiam ſub diaboli, à quo diuelli noluerunt imperio, atque poteſtate. Dicit ergo Dominus: *Cùm venerit paracletus, ipſe* per vos Apoſtolos *arguet*, hoc eſt, reprehendet, certiſq́ue argumentis cōuincet *mundum de iudicio* profluente ex mea iuſtitia, quia declarabit mundi principem iam condemnationis ſententiam accepiſſe. Id verò ſpiritus ſanctus tāta docebit, declarabitq́; energia, tan-

gia, tanto miraculorũ fulgore refractarios huius mundi homines perſtringente, vt nemo iure reclamare poſſet. Imo oſtendetur (ait Theophilactus) omnium oculis Diabolum principem tenebrarum, per lucis omnis auctorẽ I E-S V M eſſe ſuperatum, quod ſanè factũ nequaquam fuiſſet, niſi illo longè potentior, fortiórque eſſet, atque à peccato penitus alienus. *Theoph.*
Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò &c. De ſubtilioribus quibuſdam myſterijs diſſeruiſſet, ſed facile intelligebat, animos eorũ non eſſe capaces. Non poteſtis iam cognoſcere myſteria, ſed ſpiritus ſancti adminiculo tandem poteritis, quando in alios viros euadetis, quando legales figuras illius patrocinio aſpernabimini, quando ſpiritualis cultus pulchritudinem, illius ope, vmbris anteponetis, tunc, tunc, inquam, de me omnem myſterij vim cognoſcetis. Sic arbitror (inquit Cyrillus) hunc locum intelligi debere, quòd Chriſtus alibi ſimilitudine quadam ſignificauit, dicens: Nemo committit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus, neq́ue mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioqui rumpuntur vtres, & vinum effunditur: ſed vinũ nouum, in vtres nouos mittendum. Qui enim nondum noua viuendi forma, nouaque doctrina per ſpiritum reformati ſunt, ijs Euangelij prędicatio recens, & myſterium trinitatis ſublime tradendum non eſt. Iure igitur renouationi per ſpiritum futuræ, altiorum rerum interpretatio reſeruatur. Docuit quidem & ſpiritus eadem quę Chriſtus, ſed apertius, & clarius omnia: Nã ante eius *Cyrillus.* *Matth. 9.*

aduentum non erát capaces aut idonei tá aper-
1. Cor. 3. tæ,& perfectæ explicationis. Sic D. Paulus non poteſt quibuſdam loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. *Cùm autem venerit ſpiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem.* Si ſpiritus ſanctus Eccleſiam docet omnem veritatem, igitur bene confitentur eius filij, eam errare non poſſe. Quemcunque enim ſpiritus ſanctus arcano ſuo docuerit afflatu, hic non poteſt
1. Tim. 3. non amplecti veritatem. Apoſtolus vocat Eccleſiam columnam, & firmamentum veritatis. Eſt igitur Eccleſia firmamentum veritatis, non eius ſolùm veritatis, quæ in contemplatione cernitur, ſed illius etiam, quæ aliquid molitur, vt faciat. Nimirum vt cognoſcamus, quomodo nos oporteat in domo Dei conuerſari, ab hac domo petenda eſt veritas, & ſana doctrina. Id-
Hiren. lib. 3. cap. 4. circo Hirenęus appellat Eccleſiam vas, & diues depoſitorium, in quod Apoſtoli omnia quæ ſunt veritatis, pleniſsimè contulerunt. Ex hoc vaſe hauriendum eſt, vnde promanat doctrina Apoſtolica. Vtinam ſectis omnibus, quæ perpetuò vacillant, & nutant, hoc perſuadere poſſem, vt huic columnæ veritatis ſe affigant, ne cum Caim trepidæ, & tremulæ diutius vagen-
Eſaie 2. tur. Ad hanc domum properandum eſt. Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eũ omnes gẽtes, & ibũt populi multi. Quid mons iſte, nonne Chriſtus eſt ſuper quem fundata eſt domus Eccleſiæ? In hac domo verus agnus comeditur, in hac domo tuti & ſalui eſſe poſſumus. Quidni hic ſalutem

adipiſ-

adipiſcamur, cùm ſaluator Ieſus (vt ait Oecumenius) eã inhabitet? Si igitur huius domus inhabitator eſt, quid mirum, ſi ſuos iuuet, tuteturq; domeſticos? Sed ſequitur in Eſaia. Et docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Quæ obſecro ſunt viæ huius patriſſamilias? Id nobis Dauid oſtẽdit: Domine (inquit) omnes viæ tuæ veritas. Quòd ſi Eccleſia errat (ait Melchior Canus) Chriſtus auctor nobis erroris eſt, qui ait Lu. 11, Qui vos audit, me audit. In Eccleſia præſidet Chriſtus Epiſcopus animarum noſtrarum, imò Põtifex maximus Ieſus Chriſtus, cuius diuinũ corpus ſummũ eſt ſacrificium. Eſt igitur columna & firmamentũ inexpugnabile, ob certitudinem dogmatũ inexpugnabilem, & præſidẽ eius ſpiritum ſanctũ, cuius numine omnia reguntur. Si quid igitur de doctrina aut de re aliqua inter nos cõtrouertitur, ad Eccleſiam tanquam ad ſacram anchoram, reſpiciendum, & confugiendum eſt: præſertim cùm (teſte Primaſio) in ea ſola ſtet veritas firmata, & quæ ſola totum ædificium ſuſtineat veritatis. Non oportet ergo (vt præclarè docet Hirenæus loco citato) apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere. Neque mirum quòd ſpiritus veritatis veritatem loquatur.

Oecumen. in 2 caput prioris ad Timot.

Pſal. 118.

Melchior Canus l. 5.

Primaſius in priorem ad Timot.

Hirenæus lib. 3.

Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur. Cyrillus. Id eſt, nõ aliam quam ego docui diſciplinam ſequetur, neque aliam legem feret, ſed quum quaſi mens mea ſit, ea quæ mea ſunt, reuelabit. Cum Cyrillo Theophilactus ad eundem modũ interpretatur. Cùm dicit (inquit) *quæcunque audiet, loquetur,* ſignat,

Theophil.

quod nihil docturus ſit extra ea quæ Chriſtus docuit. Sequitur. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Hic iam tertius ſpiritus ſancti fructus inſinuatur ex eius aduentu prouenturus. Primus pertinuit ad mundum, ſecundus ad Apoſtolos, tertius verò ad ipſum Chriſtum. Ille me clarificabit. i. illuſtriorem efficiet. Sed quo pacto? Quia in Apoſtolorum mentibus de ipſo clarum perhibuit teſtimonium, per eos longè lateque Euangelicam veritatem explicando, innumerandaque miracula per eos operando: vnde non mediocrem Chriſtus gloriam apud omnes ferè gentes eſt conſecutus. Sed quid eſt, de meo accipiet? hoc eſt, ex mea ſcientia, & ſenſu accipiet, & à me audiet, quod vobis annunciabit.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Nemo interrogat me, quo vadis. *Sed nónne Petrus paulò ante & Thomas etiam eum interrogauit, quo iret? Agit Dominus amicorum more, qui ſi abeant, ita mœſtos relinquunt ſuos familiares, vt vix illis otium videatur huiuſmodi interrogationibus indulgendi, lachrymis, & ſingultibus omnia occupantibus.*

SECVNDA.

Arguet mundum. *Sciendum verbum arguo dupliciter hic poſſe accipi: Priùs accipi poteſt pro reprehendere aut corripere. Poſterius pro certis argumentis demonſtrare, & conuincere. Hoc enim ſignificat Græca dictio ἐλέγχω vnde ἔλεγχος. i. argumentum & indicium, ſicut arguere ſignificat latinis oſtendere & probare. Neque abſurdum eſſet ad eum modum verbum*

verbum illud interpretari: Arguet mundum.i.certis quibuſdam argumentis,cum ipſius mundi reprehenſione,conuincet mundum de peccato &c.

TERTIA.

Expedit vobis, vt ego vadam: ſi enim non abiero.paracletus non veniet. *Bernar. Grande myſteriũ: Itane inuiſa paracleto Chriſti præſentia? aut cõtuberniũ Dominicæ carnis ſpiritus ſanctus abhorrebat? Dicit ergo, niſi præſentia carnis meæ veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittet,non recipit animus non capit affectus. Si hæc ita ſunt,imò quia ita ſunt,audeat quis de cætero phantaſticis quibuſdam illecebris deditus.ſectãs lenocinia carnis ſuæ,carnis vtique peccatricis,genitæ in peccatis,aſſuetæ peccatis,in qua denique bonum nõ eſt,illum pariter expectare ſpiritum ſanctum? Errat omnino, ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, diuinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa ſpiritus miſceri poſſe huiuſmodi illecebris arbitratur. Nulla conuentio veritati & vanitati,luci & tenebris,ſpiritui & carni, igni & tepiditati.* Serm. vlt. de Domini aſſcenſ.

QVARTA.

Multa habeo vobis dicere. *Id eſt, multa poſſum vobis dicere,phraſi Græca,qua verbum* ἔχω *.i. habeo cum infinitiuo conſtructum ſignificat poſſe. Idcirco non rectè vertit Eraſmus Græca. Adhuc multa habeo quæ vobis dicam. Sed aliquando bonus dormitat Homerus.*

QVINTA.

Docebit vos omnem veritatem. *Græca habent: Ducet vos in omnem veritatem. Diuus etiam Auguſtinus teſtatur, libros quoſdam habere: deducet*

vos in

vos in omni veritate. Cui ſimile eſt illud pſalmi: De-
Pſalm. 53. *duc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. Interpres ſequitur ſenſum, non verba, quoniam non eſt aliud deducere in veritate, quàm eum docere veritatem.*

SEXTA.

De meo accipiet, & annunciabit vobis. *Opportunè hæc verba dicuntur, imò & neceſſario. Quia enim dixerat ſpiritum eos docturum omnem veritatem, quam ipſe eos non docuerat: videri poſſet, ſpiritum tum ſcientia, tum potentia ipſo eſſe perfectiorem, & Chriſti idcirco gloriam obſcuraturum. Huic igitur obiectioni occurrens, aſſerit, tantum abeſſe, vt ab illo obſcuretur, vt etiam magis per eum ſit glorificandus. Nam ille me (inquit) clarificabit. Deinde quia omnia eſſet à Chriſto accepturus, quæ ſuggereret, dictarétque fidelibus.*

SEPTIMA.

Quæcunque audiet. *Euſebius Emiſſenus: Quid eſt, audiet? Neque enim intelligendum eſt in illa trinitate inuiſibili vocalem aliquam, & clamoſam eſſe collocutionem. In eo ergo ſe audiunt, quo idem ſciunt, & volunt. Loquetur igitur ſpiritus ſanctus, quæcunque patrem & filium velle cognoſcet. Sicut enim voluntas communis eſt, ſic & auditus.*

DOMI-

DOMINICA QVARTA
POST OCTAVAS PASCHÆ
Euangelium.
Ioannis. 16.

A*Men amen dico vobis ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Quemadmodum Eccleſiæ œconomia, ad carnem filiorum ſuorum nimio luxu laſciuientem, frenandam, peculiaria ieiunia, ita, vt ſpiritus ab humilibus, & terrenis rebus ad ſublimia, cœleſtiaque ſubuolare diſcat, ſuas habet preces: Hinc patres noſtri Dominicam hanc, quæ quarta eſt poſt Paſchę octauas, dominicam Rogationum appellãt. Id ſanè ob varias rationes ita factum videmus, tum quòd Chriſtus hac hebdomade cœlos conſcendens, patrem illic, tanquam fidus aduocatus, rogare non deſinit: tum quòd nos veluti pupulli, & orphani inter varia diſcrimina hic ſoli, & deſerti, illius opem imploramus, vt ſpiritus ſancti oleum nobis demittat. Solẽt igitur ſynceriores Chriſtiani diebus iſtis Rogationum (ardentibus, aſsiduiſque precibus operã dantes) quotidie cõuentum celebrare, Deum, diuoſque omnes in vota vocando, vt noſtris neceſsitatibus conſulant, propitijque ſuccurrant. At dixerit quiſpiam, quid neceſſum eſt tãtopere vacare precibus, quid opus eſt toties Deum interpellare, cùm ille probè ſciat quibus egeamus? Scit pater, quia his omnibus indigemus, ſcilicet potu, cibo, veſtibus, cæteriſque his ſimilibus. Nouit quidem Deus, quarum indigeamus rerum, ſed rogari tamen amat,

Durandus in rationali Diuinorum offic.

Matth. 6.

amat, atque ad benignas aures noſtra vota admittere. Scit Deus nos egere tritico, citraq; noſtram operam, atq; laborẽ abundè ſatis proſpicere poteſt; ſed ita comparatũ, ita apud illius ſapientiá decretùm, vt ne ariſta quidẽ vna in agro nobis naſcatur, niſi noſtram induſtriam ac quales quales ſudores cõiungamus. Vult tellurem ferro domari, & acuto cõſcindi aratro, vult ſemen ſpargi, ac inter glebarum ſinus recõdi: vult arua prius noxijs fruticibus liberari, ac prorſus eruderari, vt bene cecinerit ille: Nil ſine magno
Horatius. vita labore dedit mortalibus. Quòd ſi ceſſet labor, nil bonæ frugis continget. Poteſt Deus nos ſine puluere, ac pugna ad coronã perducere, ſed non ita illi decretũ eſt. An arbor tibi gignat mitia, maturaque poma, ſi nõ colatur? haud quaquã. Et tu tibi ſtulte homuncio, amplos fructus, opimaque chariſmata ſomnias ſine deſiderijs, ſine precibus, ſine votis? Neque auſcultandũ
Tyrius eſt Valerio maximo, aut Tyrio Platonico, qui
Platonicus opinantur miſeros mortales fruſtra precari Su-
ſerm.30. peros, cùm illi facile cognoſcant, quibus genus noſtrum egeat. Sed miſſa faciamus Valerij verba, & Maximum Tyrium audiamus. Quamuis partium (ait) curam habeat Deus, ne ſic quidem rogare ipſum oportet, niſi ægrotos imitemur, qui ſuo ſenſu vel cibum, vel medicamẽtum petunt à medico: quod ſi ſalutiferum ſit, daturus etiam eſt non petentibus: ſi periculoſum, omnino eſt negaturus. O acumen Philoſophicum: Nõ idcirco rogamus Superos, perinde ac ſi eorum decretũ mutare velimus, aut eorum prouidentiæ obluctari, ſed tãquam congrua media

noſtras

noſtras preces adiungimus illorum beneuolentiæ,& benignitati. Cùm enim pleraque decreuerint elargiri, per noſtra deſideria, & ſubmiſſas preces ea nos conſequi,impetrareq́; volunt. Sed fuſius id,& ex noſtrarum literarũ penu ſtatuamus. Promiſerat Deus Abrahæ patriarchæ ſemen,in quo benedicerentur omnes gẽtes.Sed quid? Num propterea ceſſat precari Deũ Iſaac eius filius,cùm iam Rebeccam duxiſſet vxorẽ? Neutiquã ſanè. Sic enim legimus: Deprecatus eſt Iſaac pro vxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis. *Geneſ. 25.* Cernis ne(inquit Iſidor.) quòd Deus etiam rogari velit,vt efficiat quod promiſit? Pollicitus *Exod.14.* eſt Deus ſe filios Iſraeliticos erui turũ de manu Pharaonis, ac Ægyptiorum: verùm vbi ad mare illud rubrum ventum eſt,aſſecutus eſt abeũtes Ægyptiacus exercitus,vrget præſentia Pharaonis.Quid in tam ancipiti periculo Moyſes? Fidítne promiſsis diuinis?maximè.Interea tamen nihilo ſecius preces iungit efficaces,ac tales,vt diceret Deus ad famulũ ſuum: Quid clamas ad me?Promiſſum erat Iſraelẽ apud Babylonios captiuũ,poſt annos ſeptuaginta liberandum,& tamen Proph. Daniel. piè, & pruden- *Daniel. 9.* ter Deum rogat, vt tandem ab exilio ad ſedes patrias reuocẽtur.Prædixit Chriſtus Apoſtolis, quòd Lazarum à morte ſuſcitaret,& nihilominus ſupplex patrẽ, priuſquã ſuſcitet,orat. Sed *Ioan. 11.* quid pluribus eſt opus? Hoc vnũ dicã, eos qui hac Dominica, diebuſq́; proximè ſequentibus, cum plebe ſua ſe non conuertũt ad preces, vix purè eſſe Chriſtianos: quemadmodũ neque illi ſunt, qui tota Eccleſia per totã quadrageſimam

ieiunante, aqualiculo & ventri indefeſſam nauant, locantque operam. Atqui præceptor noſter Chriſtus, vt precandi neceſsitatem oſtenderet, apud Lucam ait. Oportet ſemper orare. Quid? Semper nobis res eſt cum hoſtibus, vt improbiſsimis, ita & crudeliſsimis; & profuſis precibus à rege noſtro opem poſtulare negligimus? Non equidem mortali vrgemur ab hoſte, qui vulnerari aut laſſari queat, ſed ab eo, quem ſine Dei auxilio vincere nequimus. Clamãdum igitur nobis eſt, vt euadamus. Ouis, ſi lupi dentibus prehendatur, balat: capra, ſi leonis vnguibus laniari cœperit, voce teſtatur horrorem: mercator ſi in ſylua vſpiam à prædonibus attinetur, implorat opem, magno etiam clamore edito, vicinorum agricolarum: & cùm inter tot vndique hoſtes verſemur, inter tot quotidie mortes periclitemur, tacemus, nec auxilium quidem Dei noſtri implorantes? Perpetuò imminent hoſtes, in noſtram perniciem coniurati, ac deuoti, & ſecuri erimus? Semper rebellaturit caro, ſemper exerit vim ſuam peccatũ, ſemper adblanditur mundus, denique ſemper inſidiantur dęmones: igitur ſemper erit opportunum, imò neceſſum ſuper carbones deuotionis particulam cordis illius piſcis, quem apprehendit iunior Tobias, componere, ac Deum ardenter rogare, vt ſuccurrat. Tritũ vulgo prouerbium eſt, tria eſſe quæ homini clamorem, voçemque exprimant, videlicet ignis, aqua, & hoſtis. Ad ſingula deſcendo. Semper carnalis concupiſcentia vrget, illicitque ad impurè agendum. Quid clamabimus? Infœlix ego homo, quis

Luca 18. *Tob. 6.* *Rom. 7.*

mo, quis me liberabit de corpore mortis huius?
Deinde aquæ tribulationum nos vndique premunt, Hic vociferabimur cum Dauide: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ. Tertio leo ille tartareus improbè rugiens circuit, quærens quem deuoret. Clamemus igitur & contra hunc fortiſsimè, ſicut ille qui ait: Rugiebam à gemitu cordis mei. Rugiamus ſicut vrſæ, donec leo de tribu Iuda ſuppetias nobis ferat. Vbi verò Domini miſericordia fuerimus liberati, rurſus laudandus eſt Dominus, qui ſuccurrerit, dicemuſque cum Dauide, Lętabor, & exultabo in te, pſallam nomini tuo altiſsime. Meritò certè celebrandus nobis Deus, cuius ope de tantis periculis eruimur, & deinde tantis ac tot beneficijs dotamur. Porro olim ante aliquot ſæcula, de laudibus diuinis homines ferè cum auibus certabant. Nunquam tam ſurgebant mane, nunquam tam petebant ſomnum veſperi, quin Deo ſuo canerent. Sumendum erat ientaculum, prandium, imò & merenda, celebrandum conuiuium, omniaque hæc à diuina laude exordiebantur, eademque claudebāt, vſque adeo, vt Euſebius ſcripto prodiderit, etiam in caſtris apud crudos etiam milites, hunc morem ſeruatum. Erat tum ſæculum planè aureum, cùm non clerus ſolùm, ſed & prophanus populus ſe totum precibus dedicaret. Canebat nauclerus ad clauum, nauta ad remum, textor ad ſtamen, vxor ad colum, agricola denique ad ſtiuam pijs cantilenis vel alaudam, vel

Pſalm. 7.

1. Pet. 5.

Pſalm. 37.

Eſa. 59.
Apoc. 5.

Pſalm. 9.

Plinius li. 10. cap. 29. dam, vel luſciniam prouacabat. Auctor eſt Plinius Luſcinijs diebus, ac noctibus continuis quindecim, garrulum ſine intermiſſu eſſe tantum, Digna ſanè miratu auis; Primum tanta vox tam paruo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus. Deinde in vna perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus, & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur, reuocatur, infuſcatur ex inopinato. Interdum & ſecum ipſa murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extẽtus, vbi viſum eſt vibrans, ſummus, medius, imus. Breuiter omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit. Sed hæc ſatis de philomela, ſiue luſcinia, quæ homini exemplo eſſe poteſt, vt noctu, & interdiu ſuum celebret creatorem. Pudor eſt hominem à tantula aue ſuperari. Vincũt tamen hanc pij monachi, & virgines ſanctimoniales, dum ſeptem illas, quas vocant, precationes canonicas, lubenter perſoluunt, non verè ſolùm cum luſcinia, ſed æſtate quoque, & per autumnum, hyemiſque rigorem Deum ſpiritu, & mente Chryſ. in pſal. 41. concelebrantes. Refert D. Ioan. Chryſoſtomus, ſpiritum ſanctum ad ſacra ſolere aduolare cantica. Sed nunc ad Euangelium.

Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Oſtendit vnicum in ærumnis, & afflictionibus eſſe refugium, ſeſe totum conuertere ad indulgentiſsimum illum parentem, qui cùm omnia poſsit, tuto etiam inuocari poteſt. Id pulchrè ſanè conſiderauit Ioſaphat rex: Cùm

ignoramus,

ignoramus, ait, quid agere debeamus, hoc ſo- *2.Par.20.*
lum habemus reſidui, vt oculos nôſtros ad te
dirigamus. Ad quem enim trepidus, & afflictæ
ſpei puerulus, reſpicit aliò, quàm ad patrem,
quem ſemper in ore, ſemper in cogitatu, &
pectore geſtat? Ad patrem omnia vota ſua diri-
git, illi omnia deſideria explicat, omnes animi
æſtus retegit, ac pandit. Lucę 15. filius prodigus
à patre paſcitur. Si quiſpiã roget, quid eſt, quòd
ita extrema iam macie carperis, vix oſsibus co-
hæres, pallorque exanguis tibi faciem inficit:
reſpondet, Pater mihi eſt, ille meus medicus
eſt. Is curabit me, vbi illi fuerit complacitum.
Sed quis veſtiet, quis teget? Aſpera hyems eſt,
ſæuitque bruma glacialis, quomodo feres geli-
dos illos decembres? reſpondet: pater mihi pro-
mus, qui & lilia agri ita veſtit, vt & Solomon *Math.6.*
eorũ colori, ac ornatui inuidere poſſet. Rurſus
rogat: quis te paſcet, quis potabit? reſpondet;
Nutritius meus pater meus eſt, qui omne ge-
nus auium, piſcium, ferarum, iumentorumque
ſuſtentat, & mihi vni filio ſuo parcus erit? Imò
cùm ſciam illum munificentiſsimum, & locu-
pletiſsimum, omniſque boni fontem, quo pacto
non totus ab illo pendeam? Vult igitur Chri-
ſtus, vt Deum nobis eſſe patrem ſerio cogite-
mus, atque in omni anxietate, & aduerſitate di-
camus: Ille meus pater eſt, abundè proſpiciet fi-
lio ſuo, vbi fuerit opportunum. Sic teneri pueri
perpetuò hoc in ore habent: ſuccurret mater,
veſtiet mater, nutriet mater, ducet mater, in
omnibus conſulet mater. Sic et nos dicamus,
patrem habeo in cœlis, qui mihi vnus abundè

G 2 ſatis eſt

ſatis eſt:hic mihi prora, & puppis.extremaque anchora eſt. At dicet quiſpiam: quouſque id ſe extendit,quod pater daturus ſit? Ad omnia:ſic enim ait Chriſtus:Si quid petieritis.Ingẽs promiſſum, quod apoſtolos mirum in modum recreat,ſuſtentatque.Si rex quiſpiam diceret militibus, poſtulate quicquid animo veſtro fuerit collubitum, ſiue donatiua,ſiue congiarium,ſiue geminatum, triplicatumque ſtipendium, quicquid horum vobis cordi eſt,facilè conſequemini.Dic quæſo amice Lector,nónne quicquid vſquam eſſet militum,ſub illius ſignis merere cuperet,præſertim cùm ille iureiurando interpoſito polliceretur?Sic Apoſtoli propter inſignem pollicitationem promptiores,alacrioreſque facti, in maximam ſpem ſunt erecti, nihil non, Chriſti nomine mediatore,impetrandi. Petendum verò eſt in nomine I E S V ,quod tantæ eſt virtutis,& efficaciæ, vt vel nominatum ſolùm dæmones pellat,morboſque ſiſtat. Nemo enim ad patrem venit, niſi per I E S V M. Eſt

Ioan. 14. autem petere in nomine I E S V,petere cum inuocatione eius nominis, hoc eſt petere per illius merita,effuſumque ſanguinem.Sic dicimus

Pſal. 131. cum propheta Dauide: Propter Dauid ſeruum

Pſal. 83. tuum,non auertas faciem Chriſti tui.Et:Protector noſter aſpice Deus,& reſpice in faciẽ Chriſti tui. Omnes gemitus,omnes lachrymę,omnia vota,omnes libelli ſupplices, quos cœlo illatos cupimus,hoc I E S V nomine,cunctis cœleſtibus ſpiritibus gratiſſimo, inſigniri debent, alioqui nihil impetrabitur. Chriſti nomen nihil eſt aliud quàm eius incarnatio,paſsio,mors,

meri-

meritum.&c. Sed oſtendamus, quomodo huiuſmodi precatio fiat. Domine pater creator & opifex rerum, oro te quàm poſſum obnixiſsimè, vt mihi largiaris quicquid animæque corporique conducit. Verùm quandoquidem ego indignior ſum, quàm cuius precibus aurẽ præbeas, ecce ſiſto ante tuam maieſtatem vnigenitum filium dilectionis tuæ, IESVM: In hunc quæſo oculos defige tuos, non in me infœlicem præuaricatorem. Propter Chriſtum tuum ô pater, exaudi vota mea, atque largire, quę mihi famulo tuo ſunt neceſſaria. Hanc precationem, ne non ſit exemplum aliquod, ex teutonica poſtilla D. Georgij Wycelij huc tranſtuli. Verùm ad textum reuertamur. *Quicquid petieritis patrem.* Pater vnus poteſt omnia, & ille amicis, ac meo nomine libellum ſupplicem porrigentibus, nihil negaturus eſt. Non rectè verò petunt in nomine Chriſti, qui indigna petunt nomine Chriſti: qui præſentia bona, aut præſentium malorum depulſionem petunt abſolutè, & non ſub conditione ordinis, ad gloriam DEI, aut propriam ſalutem. Petunt temporalia, res nempe puſillas, & nihil profuturas. Magnificentiſsimus eſt rex noſter, quapropter non ſuſtinet te filium ſuum exigua poſtulare. Qui à terreno patre pendet, poſcit terrena, nihil enim ſublimius ille concedere poteſt, ſed à patre cœleſti cœleſtia quærenda ſunt. Scripto proditum eſt, quendam Alexandri magni amicum nomine Perillum, filiabus ſuis dotem poſtulaſſe. At rex confeſtim ei quinquaginta talenta numerari iuſsit: cumque ille modeſtè recuſaret, ſibi-

Precatio pia ex poſtilla Georgij Wucelij.

que vel decem ſatis eſſe dixiſſet: reſpondit Alexander: Tibi quidem, inquit: ſatis, ſed mihi non eſt ſatis tantillum dediſſe.

Paruos parua decent, ſed patri magna potenti,
Magna dediſſe decet, modicum det pauperis agri
Cultor, & exiguo promat ſua munera fundo.

Omne datum optimum, & omne donũ perfectum deſurſum eſt, deſcendẽs à patre luminum.
Iac. cap. 1. *Vſque modò non petiſtis quicquam in nomine meo.* Hactenus obſtitit vobis corporis mei præſentia, quo minus petieritis aliquid patrem in nomine meo. Nondum enim toti pendetis à præſidijs cœleſtibus, ſed ab hoc corpore meo adhuc humano pendetis affectu. Nam & ſi morbos in meo nomine curaueritis, dæmones pepuleritis, non tamen patrem per nomen meum adhuc rogare didiciſtis. Sed Eccleſia tamen poſt Apoſtolos, nouum hunc precãdi modum amplexata, mordicus tenet, & ſeruat. Semper enim in ſuis precationibus ad patrem, adiungit, per Dominum noſtrũ I E S V M Chriſtũ filium tuum.
Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Nam qui petit, & non accipit, impetrátve quod poſtulat, gaudio quidem nonnullo titillatur, dum ſe ſperat potiturum re poſtulata: ſed dum fallitur, dolet: qui verò votorum per nomen meum apud patrem compos efficitur, plenum habet gaudium, dum ſe nõ fruſtra preces videt profudiſſe, intelligens quã ſit omnino vtile, ac potens I E S V Chriſti nomẽ, quo preces noſtræ conſignatæ, quidlibet aſſequuntur. Nonne plenum gaudium, dum ex huiuſmodi

iuſmodi petitionibus peccatorum abolitioné, ac virtutum augmentum obtinemus, imò dum adeo fortes, & ſtrennui efficimur, vt nulla ſiue humana, ſiue Diabolica vis amplius nobis incommodari queat, ſed potius conſcientię mordentis ſtimulo retuſo, illuminantur, qui prius in tenebris ſedebant, & in vmbra mortis, repleanturque gaudio ſpirituali, quod eſt fructus ſpiritus ſancti? Diuus Auguſtinus ait, peti à nobis debere gaudij plenitudinem, quod niſi in vita ęterna, contingere non poteſt. Et quanquã hanc ego interpretationem, ob tanti viri obſeruantiam, libenter admittam, germanior tamen mihi videtur prior illa, quam etiam præfert Dominus Cornelius Ianſenius, primus Gãdauenſium Epiſcopus. Auguſtino ſubſcribunt Euſebius Emiſenus, & Radulphus Ardentius: Ianſenius verò ſequitur Cyrillum, cui etiam in paraphraſi in Ioannem non grauatim Eraſmus accedit. Thomas Caietanus Auguſtino ſe coniungit. Quod ſi ſequamur D. Auguſtinum, (cuius commentarium ego, vt illius viri omnia veneror) latiſsimus aperietur campus concionatori, mundana iſta, qualia ſunt agri, opes, hortos, domos, atque alia huiuſmodi non eſſe precibus ambienda, niſi quatenus nos promouent ad Dei amorem, atque ad regnum cælorum conſequendum. Regnum cœlorum non videtur, hoc ſimpliciter poſtulandũ eſt: Hæc verò mundana adiaphora ſunt. Quæ videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. In illa igitur quæ non videntur (inquit Auguſtin.) extende ſpem tuam: Imò dic potius: O munde immun-

Luc. ca. 2.

Cyrillus in Ioannem.

2. Cor. 4. Aug. ſer. 29. de verbis Domini.

immunde, quid ſtrepis? Quid auertere me conaris. Tenere vis periens, quid faceres ſi maneres? Quem non deciperes dulcis, ſi amarus alimenta mentiris? Si hirundines (vt ſcribit Solinus) in domo minante ruinam non conſtruunt nidos, imò fugiunt à malè materiatis ædificijs, quanto magis homines debent à mundo recedere, quem ſciunt eſſe caducum, & ruinoſum, imò & pericula molientem? Toleremus potius præſentia, quàm diligamus. Proſperorum mundi falſa eſt blandities. Time mare, & quando tranquillum eſt. Oremus igitur, vt gaudiũ noſtrum ſit plenum, nam gaudium huius mundi & breue, & impurum, & fallax eſt. Omnino nõ fruſtrà (ait Auguſtinus) audiamus. Surſum cor. Quid ponimus cor in terra, cùm videamus, quia euertitur terra? *Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis, venit hora, quando non in prouerbijs loquar vobis: ſed palam de patre annunciabo vobis.* Vult oſtendere Chriſtus præſenti tempori hãc competere obſcuritatem: inſtare verò tempus, quo omnia clarius ſit illos docturus, maximè de patre, cuius ignorantia ſingulariter torquebat Apoſtolos. Poteſt hoc verbum generaliter intelligi de toto veteris teſtamenti tempore, quaſi diceret: Hactenus nihil niſi vmbras, & figuras habuiſtis, nunc tẽpus eſt, vt ſuccedat veritas, & manifeſtentur quæ in figuris latuerũt.
Mat. 27. In huius ſignum in morte Chriſti velum templi ſciſſum eſt. *Palam de patre annunciabo vobis.* Reuoluentur cortinæ, tollentur inuolucra, obſcuraque lucem accipient. Quòd verò hoc tempus ſit, quo palam eſt annunciaturus, ipſe quidem aper-

dem apertè non dixit: nos autem putamus, aut illud forſitan ſignificari, in quo ſpiritum eius accepimus, aut futurum illū diem, quando mūdi huius figura tranſibit: quando (inquit Cyrillus) gloriam Dei apertè conſpiciemus, & ſcientiam eius abſolutè habebimus, quādo prophetia omnis euacuabitur, & omnis ceſſabit cognitio, quæ ex parte eſt. Sed quomodo, inquies? Dicam rurſus. Quemadmodum in nocte ſerena ſtellarum ſplendor, & pulchritudo apparet: ſole autem oriente, particularis ſtellarum ſplendor euacuatur: eodem modo cognitio iſta præſens, tempore illo deſinet, cùm perfecta cognoſcendi lux nobis infuſa fuerit. Elegans ſanè hæc Cyrilli comparatio. Tū enim præceptor noſter Ieſus ſuis diſcipulis dicet: Ecce quod promiſi, ecce quod prædixi, ecce quod per ſpeculum, & veluti in ænigmate vidiſtis in exilio, iam clarè, diſcuſsiſque nebulis videtis in patria. Quod fide attigiſtis, hoc iā charitate poſsidetis. Sequitur. *In illo die in nomine meo petetis.* Poſt reſurrectionem introductus eſt ille modus orandi per nomen Chriſti, videlicet per dominum noſtrū IESVM Chriſtū. Indigniores ſumus, qui exaudiamur, ſed per nomen eius digni efficimur.

Cyrillus. *1. Cor. 13.* *1. Cor. 13.*

In illo igitur die in nomine meo petetis. Quę ſententia, ſi quid iudicij habeo, ſatis indicat, quòd illud gaudium plenum de quo ſupra, non poſſit intelligi de bèatitudinis ſtatu, vbi çertè nihil petemus, ſed omnia potius habebimus. *Non dico vobis, quòd ego rogabo patrem de vobis: Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Malè hoc loco ſtatuit quidam (cuius nomen reuerentiæ gra-

tiæ gratia ſileo) Chriſtum in gloria patris ſedētem, non amplius orare pro nobis, quod eſt contra Apoſtolum ad Roman.8.& ad Hebr.7. Hic nō aliud dicitur, quàm quod non erit opus Chriſto apud patrem agere pro recōciliandis Apoſtolis iam credētibus. *Ipſe pater amat vos. &c.* Quid poſſet magis, aut efficatius conſolari Apoſtolos, quàm quòd ſeſe intelligerent tam eſſe patri gratos, vt vix interceſſore opus haberent, ſed ille ſponte ſua Apoſtolis omnia largiretur? Non egent igitur interceſſore, quaſi pater eis offenſus eſſet, opuſque haberēt eo qui conciliaret. Amat autē vos propter me, quia vos me amaſtis. Pater amat vos, fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. Quis nō hic totus exiliret gaudio, ſi tale veritatis haberet teſtimonium? Magnum videtur amari à principibus: ſed ait pſal. Nolite cōfidere in principibus, in quibus non eſt ſalus. Fœlix ſanè quem Deus amat.

Pſal.144.

Beatitudinem quandam, ait Simon à Caſsia, inſinuat, quòd creatura à creatore, homo à Deo, miſer à beato, mortalis à morte diligitur. Etſi omnia quæ ſunt, in optionem venire poſſent, diligere Deum, & ab eo diligi, eſſet præeligendum. Nam alterū eſt conſummatæ virtutis, alterum beatitudinis. D. Ioànnes erat diſcipulus ille, quē diligebat IESVS, Diligebat IESVS etiam Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Ruunt quidam per ęqua, & iniqua, vt placeant vel regi, vel principi: ſed cuius obſecro rei gratia? nempe vt offitioli alicuius bonū ſibi lucrifaciant, ac ſuauiter viuant. Hinc per fora, & compita, imò & tonſtrinas omnes, ſeſe

Simon à Caſsia in caput 11. Ioan.

Ioan. 21. Ioan. 11.

iactant

iactant placere principi, amari à rege, ac aulicis. Sed quid obſecro eſt à Deo diligi, quanta ſunt quæ ille ſuis largitur munera? Cæterùm quod ait Chriſtus Apoſtolis, ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis, non in eam capiendũ eſt partem, quaſi noſtra dilectione præueniamus abſolutè omnem patris erga nos dilectionem, eáque promereamur primi: Id enim hæreſis eſt Pelagianę, ſed quòd dilectio noſtra ratã faciat patris erga nos dilectionem, quodque noſtram dilectionẽ ſequatur patris dilectio, quo ad aliqua noua dilectionis indicia, vtpote ad exaudiendas noſtras preces. Sed iam ſatis.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo. *Hæc Chriſti ſententia cùm multò ſit veriſsima, non tamen peccat Eccleſia, cũ propter Sanctorum merita petit exaudiri, quia illorũ merita ſcit eſſe nulla, niſi propter merita Chriſti, ſcitq; eorum merita Chriſti eſſe merita, cuius ſunt membra: proinde etiam tunc orat in nomine Chriſti, cùm propter ſanctorum merita precatur exaudiri, & quæ propter Sanctorum merita precatur, orat ſibi concedi per Chriſtum, declarans ſe Chriſti meritis potiſsimum niti, & Sanctorum merita non eſſe efficacia, niſi per Chriſtum.*

SECVNDA.

In prouerbijs locutus ſum vobis. *Prouerbiorũ vox extra S. Scripturæ vſum, de ſermonibus vulgo tritis vſurpatur: & de ijs, quæ per viam plerumque*

dici

dici conſueuerunt. Græcis eſt παροιμία. Apud nos autem parœmia eſt ſermo vtilis cum moderata obſcuritate editus. Sic Cyrillus prouerbium, obſcurum & adumbratum ſermonem appellat.

TERTIA.

Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis. *Obſeruandum hic eſt. patrem ipſos diligere, nõ ob fidem (quamuis & propter hanc) ſed propter dilectionem. propter eos. qui ſolam fidem aiũt iuſtificare, aut prorſus ad ſalutem ſufficere.*

DOMINICA POST ASSCENTIONIS EVANGELIVM.

Ioannis. 15. & 16.

QVum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. & vos teſtimoniũ perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Cùm nulla ferè ſit vſquam apud fideles familia, quæ non habeat, quod eam vehementer affligat, conturbetque, (quis enim morborum, dolorum, incommodorum vel finis eſt, vel modus) ſuauiſsimum hoc IESV verbum meritò eſſe debet, quo clarè oſtendit ſpiritum ſanctum conſolatorem venturum. Quis obſecro non eget conſolatore? Hic coniugem habet rixoſam, illa maritum lurconem, & ſtrennuum potorem. Vterque filium malè frugi, ac luxu ferè perditum: iſte vicinos patitur inimicos, ille conſanguineos habet parum ſibi aut æquos, aut propitios: alius cum morbis conflictatur perpetuo,

petuo, alius vſuræ voragine ferè abſorbetur. Quid multa? vbique iam, ſi alio tempore vnquam, malorum Ilias. Magnus vbique dolor, & plurima mortis imago. Hinc procul dubio tantum vbique lachrymarum, tantum ſuſpiriorum ac querelarum quotidie audimus, vt medicus vnus tantis malis ſiſtendis, curandiſque non ſufficiat, niſi paracletus aliquis cœlo demittatur. Is igitur Apoſtolis promittitur: Nam cùm ad legationem periculorum plenam, & in meſſem extruderentur, imò in medium luporum agmen iam mitterentur, corroboratore, & cõſolatore opus fuit. Armabat igitur Chriſtus tyrones ſuos, quemadmodum & Iudas Machabæus milites ſuos, ſermonibus optimis, ne plus debito conſternarentur: Non enim fortitudo noſtra fortitudo lapidũ eſt. Cur enim Petro iã animo, Chriſti ſequelam ad crucem, mortemq́; vſque meditanti, dixiſſet: non potes me ſequi modò, niſi eius imbecillitatem cognouiſſet? Euolaturiebant etiam tanquam generoſi pulli Apoſtoli, ac Chriſto ad patrem proficiſcenti comites ire volebant, atque aquilam ſeſe in aëra ſubuehentem, ſequi: ſed ille cùm conſpiceret eos eſſe nudos, & veluti implumes, reprimit iuuenilem conatũ, & ait: Sedete hic in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. &c. Opportunè igitur meminit, quem ad eos à patre deſtinaturus eſt, qui eis in ore tanquam potens ſuadela ſeſſurus eſt, ac linguas directurus, alioqui dicere potuiſſent: Si tua verba, quæ verè ignea ſunt, & cor penetrãtia, Iudęos non mouerunt, quomodo noſtris verbis tam frigidis cõmouebun-

Iob. 6.

Ioan. 13.

Luc. 24.

mouebűtur? Et ſi tuis tu miraculis, ipſis perſuadere non potuiſti, quo pacto nos perſuadere poterimus? Pollicetur igitur ſpiritum ſanctum mittere, qui verba eorum ignea faceret, & miraculis confirmaret. Porro paracletum iſtum appellat *ſpiritum veritatis,* optimè certè, & admodum appoſitè, vt quia dixit eum perhibiturum teſtimonium, oſtẽdat vna & fide dignum. Neque otioſum eſt quod ait ſe miſſurum à patre, à quo, cũ fons & caput ſit totius veritatis, nullus error emanare poteſt. Veritas à quocumque proferatur, ſiue à rudi, ſiue ab erudito, à ſpiritu ſancto eſt. Veritas (ait Clemens Alexandrinus) optima cœna eſt. Aliæ ſcientiæ nihil ſunt aliud quàm bellaria, ad quæ manum quidem extendere potes, vt quæras veritatem, ſed non ſunt ipſiſsima veritas. Magno igitur ſtudio, magna contentione vbique veritatis pabulum quærendum eſt. Miſericordia, & veritas non te deſerant, circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui. Quid hoc aliud eſt dicere, quàm ita ſit germen iſtud ſpiritus ſancti in corde tuo, veluti fidis quibuſdam characteribus inaratum, tam altas agat radices, vt ab ore tibi per gutturis meatum, ad proximũ tuum dimanet; Veritas enim ſpiritus ſancti germẽ eſt. Spiritus veritatis vocatur noſter paracletus, quia mẽdaces cõſolatiunculas, falſaq; gaudia nõ habet. Habet hic mundus fucata gaudia, Chriſtianis pectoribus nequaquàm recipienda. Hinc prohibetur mel offerri in ſacrificio .i. terrena conſolatio. Væ vobis, qui habetis hic conſolationes veſtras. Eſau famelicus inhians ad pulmentum

Li. 1. Stromatum.

Prouer. 3.

Leuit. 2.

Luc. 6.

mentum, amiſit primogenita. Effunde igitur, ait Auguſt. ſi impleri cupis. Nam vbi vas plenum eſt, ibi oleum ſtare neceſſe eſt. Miſit igitur verum paracletum, verum conſolatorem. *Ille teſtimonium perhibebit de me.* Fidelis teſtis erit iſte paracletus: Iudæi prudentes, & videntes, odio me habuerunt, & occiderunt: ſed paracletus tale de me teſtimonium perhibebit, vt faciat eos in me credere. Triplici autem modo perhibet Spiritus ſanctus teſtimonium de Chriſto, quòd ipſe ſit filius Dei, per miraculorum operationem, per interiorem in cordibus fidelium inſpirationem, & per prędicationis virtuté. Alios enim trahit per miracula ad credendum in Chriſtum, alios bládè allicit per verba, eiſq; perſuadet, Ieſum eſſe Dei filium, & redéptorem mundi: alijs intempeſta nocte animũ compunctionis afflat, vt nó ſolùm cubile, thalamúmue Dei filio, ſed excluſis, excuſsiſq; tenebris, etiam intima ſui pectoris arcana aperiunt: quod teſtimonium ſanè ſuauiſsimum eſt, longeque iucũdiſsimum, dum anima, ſpiritus illius oleo ad medullas vſque perfunditur. Pauci autem hunc afflatum ſentiunt, hi nimirum ſoli, qui ab vberibus mundi huius ablactati, toti quanti quanti ſunt, ad cõtemplationem rerum cœleſtium cum aquila ſubuolauerunt. 4. Reg. 4.

Ille teſtimonium perhibebit de me. Primò, cùm adhuc formidoloſi ſitis, & trepidi, inuincibilem fortitudinem vobis afflabit, & cùm idiotę & imperiti ſitis, perfectam ſcripturarum omnium cognitioné prębebit: imò cùm vittẽ calleatis linguá, linguarũ omniũ notitiá largietur.

Et vos

Et vos teſtimonium perhibebitis. Non ſatis erit vobis, quod ſpiritu ſancto fueritis, atque eius virtute vndique armati, mox enim erumpetis etiam crucis ſignum præferentes, atque in media arma ruetis, gladioque mei ſpiritus, obuias, ſiue Iudæorum, ſiue gentilium acies proſternetis. Monſtro ſimile erit, omni ære atque panoplia mundi nudos Apoſtolos, Iudæorum cæremonias, gentiumque idola conterere. Quidni contererent, cùm legem igneam, linguis igneis promulgabunt? Imò tanquam viuæ lucis fonte perfuſi, radios igneos per latiſſimas gentes ſpargēt. Tum non fugient amplius Apoſtoli, tum non trepidabit, neque abnegabit Petrus, ſuamque conſtantiam, ac fortitudinem ſpiritui ſancto acceptam feret: gaudebitque etiam capitis periculo ſuo Ieſu teſtimonium perhibere, qui contra pollicitationem ſuam compulſus eſt, ter negare. Seruilis eius timor interrogatus, & exagitatus eſt à fœmina ſeruitutis: poſt reſurrectionem verò Domini, liberalis eius amor ab ipſo principe libertatis: & ideo ibi turbabatur, hîc tranquillabatur: ibi quem dilexerat, negabat, hîc quem negauerat, diligebat. Sed adhuc amor eius infirmus fuit, & anguſtus, donec eum corroboraret, & dilataret ſpiritus ſanctus. Qui poſteaquam eſt illi gratiæ largioris abundantia infuſus, ſic ad perhibendum de Chriſto teſtimonium, quondam frigidum eius pectus accendit, atque illa prius trepida, quæ veritatem ſuppreſſerant, ora reſerauit, vt cùm omnes, in quos venerat ſpiritus ſanctus, linguis omnium gentium loquerētur, ſolus

Aug. tract. 92. in Io.

ſolus ad teſtimonium de Chriſto perhibendum, præ cæteris promptius emicaret, eiuſque interfectores de illius reſurrectione confunderet. Si quem delectat tam ſuauiter ſanctum tale ſpectaculum intueri, Actus legat Apoſtolorum, vt vbi beatum Petrum doluerat negãtem, ſtupeat prædicantem. Ibi videat linguam illam ad fiduciam à diffidentia, & ad libertatem à ſeruitute tranſlatam, tot inimicorum linguas conuertere ad Chriſti confeſsionem, quarum non valẽdo vnam ferre, verſa fuerat in negationem. Quid plura? Tantus in illo gratiæ fulgor, tanta ſpiritus ſancti plenitudo effulgebat, tanta de ore prædicantis pretioſiſsimę veritatis pondera procedebant, vt interfectores Chriſti Iudæos faceret pro illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi. Hoc fecit ſpiritus ſanctus iam miſſus, qui fuerat antè promiſſus. Ille ſpiritus ſanctus de Chriſto teſtimonium perhibẽs, & teſtes fortiſsimos faciẽs, abſtulit Chriſti amicis timorem, & inimicorũ odium cõuertit in amorem. Hęc ex B. patre Auguſtino prolixius, quòd viderem illum veluti arcano ſpiritu afflatum, tam plenè, & eleganter de Petro Apoſtolo iam in alium ſpiritus ſancti virtute mutato virum diſſeruiſſe. Mirus enim eſt opifex ſpiritus ſanctus, mirus artifex, qui Saüli aſinarum paſtori efficaces admolitus manus, illum mox in hominum potius paſtorẽ, & regẽ mutauit, imò & in Prophetam. Iſte enim ſpiritus mutat, & renouat omnia. Sed Nazianzenum, precor, noſtrum audiamus: Hic ſpiritus vt pote ſapientiſsimus, atque hominum amantiſsimus,

Act. ca. 2.

Primi. Re. cap. 10.

Nazian. oratione in ſanctã Pẽtecoſten.

H ſi paſto-

ſi paſtorem nactus fuerit cytharędum,facit peruerſos ſpiritus excantantem:ſi caprarium,moros vellicantem,prophetam efficit. Dauidem et Amos cogita . Si adoleſcentem elegantem acceperit,præſbyterorum iudicem conſtituit,idque ſupra quàm ætatis ratio ferre videatur. Teſtis eſt Daniel,qui leones in lacu ſuperauit:ſi piſcatores inuenerit,è verriculo eos ad Chriſtum trahit, orbem vniuerſum ſermonis retibus cõplectentes. Exẽplo tibi ſunt Petrus & Andreas, tonitruiq; filij. Si publicanos,ad diſcipulatũ eluc atur, animarũque negotiatores efficit. Teſtis Mattheus,heri publicanus, hodie Euãgeliſta. Si feroces perſecutores,zelum commutat,ac Paulos pro Saulis efficit,nec minus pios reddit,quã impios offenderat. Hactenus Nazianzenus *Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis.* Concinnus, & maximè congruus ordo,vt magiſter Iudæorum, gentiumque ſpiritus ſanctus,Apoſtolorum,iam aſsiduo à die aſſcendentis Chriſti,ieiunio, continuatiſque precibus mundata,parataque pectora,prius virtute,& conſtantia imbueret,affirmans, & conteſtans I E S V M eſſe filiũ Dei:& deinde illi quoque tam ſplendidum, & ſaluificum ſuſceptum à ſpiritu teſtimonium,ingenti animi fidutia,coram omnibus,ac propalam ebuccinarent. Implendæ enim erant nubes, priuſquam imbrem effunderent. Apoſtoli certè, quandoquidem illorum conuerſatio in cœlis erat, nubes,erant, mundi huius ſterilitatem,doctrinę cœleſtis pluuia rigaturæ. Harum nubium promptam alacritatem, qua ſpatioſum peruolabant orbem, admirans

Daniel.13.

admirans Eſaias, ait: Qui ſunt iſti, qui vt nubes volāt, & quaſi colūbę ad feneſtras ſuas? Magna igitur benignitate, magna libertate poſt acceptum ſpiritum ſanctum, Apoſtoli ſunt vſi. An ne hoc benignitatis eſt, quod Apoſtolorum princeps Petrus, vndique ſpiritus ſancti virtute cataphrattus, & armatus, cùm vidiſſet Domini ſui crucifixores corā aſtare, ac corde eſſe cōpūctos, fratres appellauerit, ac animo ancipiti conſternatis, ſalutare præbuerit conſilium? Libertatis verò nouæ, & imperterritæ argumentum eſt, quòd Ananiam, & Saphyram familiæ, ac oiconomiæ Apoſtolicæ noua atque noxia germina inferre meditantes, ſpiritus ſancti fulmine obrutos proſtrauerit. Vtrumque ſpiritus ſancti munus eſt, & illos placidè, leniterque alloqui, & iſtos intrepidè, fortiterque percellere. Ibi ſpiritus oſtendit miſericordiæ oleum, hic iuſtitiæ exercuit iudicium. Ibi benignus, hîc æquus, & iuſtus. *Quia ab initio mecum eſtis.* Hic tibi ſtudioſe Lector, ob oculos ponitur Apoſtolorum auctoritas, proculdubio cōtra ſciolos illos, qui perpetuòogganniunt Eccleſię, & clamant, Apoſtolos fuiſſe homines. Natura quidem (fateor) homines fuerunt, ſed ſpiritu ſancto, ac Chriſti verbo potentes, eruditi, & conſtantes redditi ſunt. Neque adeo id mirum eſt, cùm ab initio prædicationis Chriſto indiuulſè adhęſerint, fuerintque amici, & familiares, vt verè dicere potuerint: Quod audiuimus, quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. Nos, fratres, etiā à cunabulis religioni Chriſtianæ conſecrati, Chriſto nomē dedimus, cur non

Eſa. ca. 60.

Act. cap. 2.

Act. cap. 5.

1. Io. cap. 1.

igitur ſplendidè de illo, & ſpecioſe loquimur, cur nō intrepidè teſtimoniū perhibemus? Profecto (quod ſine lachrymis effari vix poſſum) prælati Eccleſię (ait Radulphus Ardentius) hodie longè timidiores ſumus, quàm rudes Christi diſcipuli in naſcentis Eccleſiæ principio fuerūt: Dum enim propter alicuius principis formidinem tacemus veritatem, argumentum eſt, nudatos eſſe ſpiritu ſancto: dum raptorem iudicem, viduam, vt accipiter turturem, exenterare, ac dilaniare ſinimus, dum ſatrapam pupillos, vti lupus ouē, excoriare permittimus, quid aliud quàm quaſi Chriſto in cruce pendente ſilemus, aut Chriſto relicto fugimus? Vtinam inſiliat in nos ſpiritus Domini, vt aſſurgentes, ac impetum dantes, leunculos, quemadmodum Sampſon olim, interimamus. Vbi eſt iam ſpiritus Dauidis, quo animoſiores iam ouem, ac capram extrema ſpe inter vrſi, leoniſque formidabiles rictus, vngueſq; periclitantes eruamus? Vbi iam D. Petri conſtans, & impenetrabilis inuictuſque animus, quo Simonem non tam magum, quàm gratiæ Dei (inquit B. Cyprianus) nundinatorem, à Sanctorum conſortio exhæredat, cujus deteſtabiles auſus vltrix ruina confundit, & quaſſat? Eodem ſpiritu Elyzæus Gyezi mercenarium lepra condemnat. *Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Abſque ſynagogis facient vos.* Neque id mirum cuiquam videri debet. Si enim, paſtore I E S V adhuc in viuis agente, iſtud tentare ſunt auſi (teſte enim Ioanne, ita iam conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis I E S V M confiteretur, extra ſynagogam fieret) quan-

Radul. Ard.

Iudi. ca. 15

1. Re. ca. 16

Ciprianus ser. de ſpiritu Sancto.

Ioan. ca. 9.

ret) quantò magis id egerunt paſtore ſublato? Tum enim oues illorum dentibus videbantur eſſe obnoxiæ, & opportunæ, fieri non poteſt, dilectiſsimi, quin peccata cor veſtrum titillent, & aduerſa feriant, hoc autem agendum ne impingatis. *Abſque ſynagogis facient vos.* Hanc eiectionem ad ſummam pertinuiſſe apud Iudęos ignominiam patet ex eo, quod ibi ſubijcitur: Dilexerunt gloriam hominũ, magis quàm Dei. Senſus igitur noſtræ lectionis eſt, excludent vos à publicis ſuis conuentibus, interdicent hominum congreſſum, & colloquium, voſque excommunicabunt. Verum cõſolabatur eos illud, Beati eritis, cùm vos oderint homines, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter me. Audiuit IESVS, quòd Phariſſæi eiecerunt cæcum natum, fidei ſuæ iam nouum confeſſorem, & ſuſcepit eum ad ſe, atque erudiuit. *Luc.ca.6.* Maledicent vobis ò mei diſcipuli, ſed quid tum? ego contrà benedicam. Erunt vobis crudi & crudeles lupi, ego contrà mitiſsimus paſtor. Illi ſumma opum vi oppugnabunt, ego contrà maioribus copijs defendam, tutaboque. Adiment vobis vitam hanc mortalem, ego largiar immortalem. Eijcient è conuentu hominum, ego vos admittam, vbi eſt conuentus Angelorum. Non patebunt vobis templi materialis aditã, ſed ego reſerabo vobis templi mei ianuã. Eritis illis odio, mihi verò chariſsimi. D. Hieronymus auctor eſt, primos illos in Eccleſia IESV neophitos apud Hieroſolymitanos, qui Chriſto, religioniq; noſtræ, relicta ſynagoga, nomen dederunt: ita patuiſſe omnium hominum ob-

Ioan.ca.9.

Hieron.

trectationi,& iniuriæ, vt facultates eorum fiſco addicerentur, atque à parentum etiam excluderentur hæreditate. Sacerdotes quoque eorum inuaſerunt fortunas, atque ita bonis omnibus lapſi per vicos,& plateas oberrabant: & dum ab vna ciuitate pulſi,ad aliam reſpiciebant, miſerrimi fuerunt fugitando (ſi miſeria dicenda, & non potius ſumma fœlicitas, pro Chriſti nomine fugere) ob huiuſmodi nouos ac recens inſitos fratres, D.Paulus collectas faciebat in Achaia,& Macedonia.Non erant fateor, ea ætate, qualia modò ſunt mendicabula,quæ ventrem,faſcias,vileſque panniculos ad nundinationem proponunt. Egebant tamen plerique Chriſtianorum,præcipuè apud Iudæos, ob acerrimam (de qua iam diximus) perſecutionem. *Sed venit hora,vt omnis qui interficit vos,arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Interdicetur vobis aqua & igni: Si Dominum interimunt, non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Et quoniam me infenſe oderunt,vos amare nequaquam poſſunt. Sed quid? Ponenda eſt anima, præſertim cùm ſupplicium tam ſit breue,vt vna hora finem habeat,ſequetur verò gaudium æternum. Nec verò magnum, aut graue, aut longum dicendum eſt ſupplicium, quod æternis delitijs penſatur. Horæ vnius momento morimur, & perpetuò inde viuemus.Igitur præbenda eſt gladio pulchra hæc & candida ceruix. Plerique philoſophorum philoſophiæ gratia, mortem,vel ab alijs irrogatam, perpetiebātur, vel ſibi adſciuerunt: & nos molles, & effœminati,Euāgelij gratia quicquā tolerare recuſabimus?

mus? Erant olim plurima apud Ethnicos vanæ gloriæ mancipia, hominesq́; faſtu pluſquã turgidi, qui ne fortitudinis titulum, gloriamque amitterent, mortem vitæ prætulerunt. Sed per Deum immortalem, quid obſecro eſt totius humanæ gloriæ theſaurus aliud, quàm fumus, & vmbra? Quod ſi quis ſecum expendat, conſideratque quàm ſolida, quàm ſyncera, denique quàm diuturna ſit ea gloria, quæ martyribus olim concedetur, nihil metuet pro Chriſto hanc vitam perdere.

Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur &c. Tolerabile fortè eſſet proſcribi, niſi & impij pios prorſus occiderẽt. Filij enim huius ſeculi nõ ſolùm mali ſunt, ſed & beſtias ipſas crudelitate ſuperant, dum non niſi eorum, quos capitaliter oderunt, ſanguine ſatiantur: Verùm & occidi tolerabile videretur, ſi mundus apertè cognoſceret ſe impiè, & immaniter agere, & ingenuè profiteretur, ſe idcirco Apoſtolos, Apoſtolorumque ſtirpem extinguere velle, propterea quod in Deum credant, eique ſeruiant: ſed tantum abeſt, vt hoc fronte aperta confiteri vellet, vt potius ſe bene, & prudenter agere, imò & cultum Deo præſtare paſsim, & vbique iactet. Atqui hæc demum vera crux eſt. Sic enim & ſanctum Iob magis mordebat grauiuſque angebat, quòd amici contenderent eum ea vlcera meruiſſe, quàm ipſa in ſe mala. *Iob.3.*

Tam Iudæi quàm Gentiles arbitrabantur, ſe Apoſtolos iuſtè neci tradere: Illi vt Moyſi ſuo, in cuius verba iurabãt, cõtrarios: Iſti vt rerũ nouatores, & publicę trãquillitatis perturbatores.

immunde, quid ſtrepis? Quid auertere me conaris. Tenere vis periens, quid faceres ſi maneres? Quem non deciperes dulcis, ſi amarus alimenta mentiris? Si hirundines (vt ſcribit Solinus) in domo minante ruinam non conſtruunt nidos, imò fugiunt à malè materiatis ædificijs, quanto magis homines debent à mundo recedere, quem ſciunt eſſe caducum, & ruinoſum, imò & pericula molientem? Toleremus potius præſentia, quàm diligamus. Proſperorum mundi falſa eſt blandities. Time mare, & quando tranquillum eſt. Oremus igitur, vt gaudiũ noſtrum ſit plenum, nam gaudium huius mundi & breue, & impurum, & fallax eſt. Omnino nõ fruſtrà (ait Auguſtinus) audiamus. Surſum cor. Quid ponimus cor in terra, cùm videamus, quia euertitur terra? *Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis, venit hora, quando non in prouerbijs loquar vobis: ſed palam de patre annunciabo vobis.* Vult oſtendere Chriſtus præſenti tempori hæc competere obſcuritatem: inſtare verò tempus, quo omnia clarius ſit illos docturus, maximè de patre, cuius ignorantia ſingulariter torquebat Apoſtolos. Poteſt hoc verbum generaliter intelligi de toto veteris teſtamenti tempore, quaſi diceret: Hactenus nihil niſi vmbras, & figuras habuiſtis, nunc tẽpus eſt, vt ſuccedat veritas, & manifeſtentur quæ in figuris latuerũt.
Mat. 27. In huius ſignum in morte Chriſti velum templi ſciſſum eſt. *Palam de patre annunciabo vobis.* Reuoluentur cortinæ, tollentur inuolucra, obſcuraque lucem accipient. Quòd verò hoc tempus ſit, quo palam eſt annunciaturus, ipſe quidem aper-

dem apertè nō dixit: nos autem putamus, aut illud forſitan ſignificari, in quo ſpiritum eius accepimus, aut futurum illū diem, quando mūdi huius figura tranſibit: quando (inquit Cyrillus) gloriam Dei apertè conſpiciemus, & ſcientiam eius abſolutè habebimus, quādo prophetia omnis euacuabitur, & omnis ceſſabit cognitio, quæ ex parte eſt. Sed quomodo, inquies? Dicam rurſus. Quemadmodum in nocte ſerena ſtellarum ſplendor, & pulchritudo apparet: ſole autem oriente, particularis ſtellarum ſplendor euacuatur: eodem modo cognitio iſta præſens, tempore illo deſinet, cùm perfecta cognoſcendi lux nobis infuſa fuerit. Elegans ſanè hæc Cyrilli comparatio. Tū enim præceptor noſter Ieſus ſuis diſcipulis dicet: Ecce quod promiſi, ecce quod prædixi, ecce quod per ſpeculum, & veluti in ænigmate vidiſtis in exilio, iam clarè, diſcuſsíſque nebulis videtis in patria. Quod fide attigiſtis, hoc iā charitate poſsidetis. Sequitur. *Cyrillus.* *1. Cor. 13.* *1. Cor. 13.*

In illo die in nomine meo petetis. Poſt reſurrectionem introductus eſt ille modus orandi per nomen Chriſti, videlicet per dominum noſtrū IESVM Chriſtū. Indigniores ſumus, qui exaudiamur, ſed per nomen eius digni efficimur.

In illo igitur die in nomine meo petetis. Quę ſententia, ſi quid iudicij habeo, ſatis indicat, quòd illud gaudium plenum de quo ſupra, non poſſit intelligi de beatitudinis ſtatu, vbi certè nihil petemus, ſed omnia potius habebimus. *Non dico vobis, quòd ego rogabo patrem de vobis: Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Malè hoc loco ſtatuit quidam (cuius nomen reuerentiæ gra-

tiæ gratia ſileo) Chriſtum in gloria patris ſedētem, non amplius orare pro nobis, quod eſt contra Apoſtolum ad Roman.8.& ad Hebr.7. Hic nō aliud dicitur, quàm quod non erit opus Chriſto apud patrem agere pro recōciliandis Apoſtolis iam credētibus. *Ipſe pater amat vos. &c.* Quid poſſet magis, aut efficatius conſolari Apoſtolos, quàm quòd ſeſe intelligerent tam eſſe patri gratos, vt vix interceſſore opus haberent, ſed ille ſponte ſua Apoſtolis omnia largiretur? Non egent igitur interceſſore, quaſi pater eis offenſus eſſet, opuſque haberēt eo qui conciliaret. Amat autē vos propter me, quia vos me amaſtis. Pater amat vos, fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. Quis nō hic totus exiliret gaudio, ſi tale veritatis haberet teſtimonium? Magnum videtur amari à principibus: ſed ait pſal. Nolite cōfidere in principibus, in quibus non eſt ſalus. Fœlix ſanè quem Deus amat. Beatitudinem quandam, ait Simon à Caſsia, inſinuat, quòd creatura à creatore, homo à Deo, miſer à beato, mortalis à morte diligitur. Etſi omnia quæ ſunt, in optionem venire poſſent, diligere Deum, & ab eo diligi, eſſet præeligendum. Nam alterū eſt conſummatæ virtutis, alterum beatitudinis. D. Ioànnes erat diſcipulus ille, quē diligebat IESVS, Diligebat IESVS etiam Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Ruunt quidam per ęqua, & iniqua, vt placeant vel regi, vel principi: ſed cuius obſecro rei gratia? nempe vt officioli alicuius bolū ſibi lucrifaciant, ac ſuauiter viuant. Hinc per fora, & compita, imò & tonſtrinas omnes, ſeſe

Pſal.144.

Simon à Caſsia in caput 11. Ioan.

Ioan. 21.
Ioan.11.

iactant

iactant placere principi, amari à rege, ac aulicis. Sed quid obſecro eſt à Deo diligi, quanta ſunt quæ ille ſuis largitur munera? Cæterùm quod ait Chriſtus Apoſtolis, ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis, non in eam capiendũ eſt partem, quaſi noſtra dilectione præueniamus abſolutè omnem patris erga nos dilectionem, eáque promereamur primi: Id enim hæreſis eſt Pelagianę, ſed quòd dilectio noſtra ratã faciat patris erga nos dilectionem, quodque noſtram dilectioné ſequatur patris dilectio, quo ad aliqua noua dilectionis indicia, vtpote ad exaudiendas noſtras preces. Sed iam ſatis.

Annotativncvla Prima.

Amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo. *Hæc Chriſti ſententia cùm multò ſit veriſsima, non tamen peccat Eccleſia, dũ propter Sanctorum merita petit exaudiri, quia illorũ merita ſcit eſſe nulla, niſi propter merita Chriſti, ſcitq; eorum merita Chriſti eſſe merita, cuius ſunt membra: proinde etiam tunc orat in nomine Chriſti, cùm propter ſanctorum merita precatur exaudiri, & quæ propter Sanctorum merita precatur, orat ſibi concedi per Chriſtum, declarans ſe Chriſti meritis potiſsimum niti, & Sanctorum merita non eſſe efficacia, niſi per Chriſtum.*

Secvnda.

In prouerbijs locutus ſum vobis. *Prouerbiorũ vox extra S. Scripturæ vſum, de ſermonibus vulgo tritis vſurpatur: & de ijs, quæ per viam plerumque*

dici

dici conſueuerunt. Græcis eſt παροίμια. *Apud nos autem parœmia eſt ſermo vtilis cum moderata obſcuritate editus. Sic Cyrillus prouerbium, obſcurum & adumbratum ſermonem appellat.*

TERTIA.

Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis. *Obſeruandum hic eſt, patrem ipſos diligere, nõ ob fidem (quamuis & propter hanc) ſed propter dilectionem, propter eos, qui ſolam fidem aiũt iuſtificare, aut prorſus ad ſalutem ſufficere.*

DOMINICA POST ASSCENTIONIS EVANGELIVM.

Ioannis. 15. & 16.

Qvum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimoniũ perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Cùm nulla ferè ſit vſquam apud fideles familia, quæ non habeat, quod eam vehementer affligat, conturbetque, (quis enim morborum, dolorum, incommodorum vel finis eſt, vel modus) ſuauiſsimum hoc IESV verbum meritò eſſe debet, quo clarè oſtendit ſpiritum ſanctum conſolatorem venturum. Quis obſecro non eget conſolatore? Hic coniugem habet rixoſam, illa maritum lurconem, & ſtrennuum potorem. Vterque filium malè frugi, ac luxu ferè perditum: iſte vicinos patitur inimicos, ille conſanguineos habet parum ſibi aut æquos, aut propitios: alius cum morbis conflictatur perpetuo,

petuo, alius vſuræ voragine ferè abſorbetur. Quid multa? vbique iam, ſi alio tempore vnquam, malorum Ilias. Magnus vbique dolor, & plurima mortis imago. Hinc procul dubio tantum vbique lachrymarum, tantum ſuſpiriorum ac querelarum quotidie audimus, vt medicus vnus tantiſ malis ſiſtendis, curandiſque non ſufficiat, niſi paracletus aliquis cœlo demittatur. Is igitur Apoſtolis promittitur: Nam cùm ad legationem periculorum plenam, & in meſſem extruderentur, imò in medium luporum agmen iam mitterentur, corroboratore, & cõſolatore opus fuit. Armabat igitur Chriſtus tyrones ſuos, quemadmodum & Iudas Machabæus milites ſuos, ſermonibus optimis, ne plus debito conſternarentur: Non enim fortitudo noſtra fortitudo lapidũ eſt. *Iob. 6.* Cur enim Petro iá animo, Chriſti ſequelam ad crucem, mortemq; vſque meditanti, dixiſſet: non potes me ſequi modò, niſi eius imbecillitatem cognouiſſet? *Ioan. 13.* Euolaturiebant etiam tanquam generoſi pulli Apoſtoli, ac Chriſto ad patrem proficiſcenti comites ire volebant, atque aquilam ſeſe in aëra ſubuehentem, ſequi: ſed ille cùm conſpiceret eos eſſe nudos, & veluti implumes, reprimit iuuenilem conatũ, & ait: Sedete hic in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. &c. *Luc. 24.* Opportunè igitur meminit, quem ad eos à patre deſtinaturus eſt, qui eis in ore tanquam potens ſuadela ſeſſurus eſt, ac linguas directurus, alioqui dicere potuiſſent: Si tua verba, quæ verè ignea ſunt, & cor penetrãtia, Iudęos non mouerunt, quomodo noſtris verbis tam frigidis cõmouebun-

mouebũtur? Et ſi tuis tu miraculis, ipſis perſuadere non potuiſti, quo pacto nos perſuadere poterimus? Pollicetur igitur ſpiritum ſanctum mittere, qui verba eorum ignea faceret, & miraculis confirmaret. Porro paracletum iſtum appellat *ſpiritum veritatis*, optimè certè, & admodum appoſitè, vt quia dixit eum perhibiturum teſtimonium, oſtẽdat vna & fide dignum. Neque otioſum eſt quod ait ſe miſſurum à patre, à quo, cũ fons & caput ſit totius veritatis, nullus error emanare poteſt. Veritas à quocumque proferatur, ſiue à rudi, ſiue ab erudito, à ſpiritu ſancto eſt. Veritas (ait Clemens Alexandrinus) optima cœna eſt. Aliæ ſcientiæ nihil ſunt aliud quàm bellaria, ad quæ manum quidem extendere potes, vt quæras veritatem, ſed non ſunt ipſiſsima veritas. Magno igitur ſtudio, magna contentione vbique veritatis pabulum quærendum eſt. Miſericordia, & veritas non te deſerant, circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui. Quid hoc aliud eſt dicere, quàm ità ſit germen iſtud ſpiritus ſancti in corde tuo, veluti fidis quibuſdam characteribus inaratum, tam altas agat radices, vt ab ore tibi per gutturis meatum, ad proximũ tuum dimanet; Veritas enim ſpiritus ſancti germẽ eſt. Spiritus veritatis vocatur noſter paracletus, quia mẽdaces cõſolatiunculas, falſaq; gaudia nõ habet. Habet hic mundus fucata gaudia, Chriſtianis pectoribus nequaquàm recipienda. Hinc prohibetur mel offerri in ſacrificio .i. terrena conſolatio. Væ vobis, qui habetis hic conſolationes veſtras. Eſau famelicus inhians ad pul-

Li. 1. Stromatum.

Prouer. 3.

Leuit. 2.

Luc. 6.

mentum, amiſit primogenita. Effunde igitur, ait Auguſt. ſi impleri cupis. Nam vbi vas plenum eſt, ibi oleum ſtare neceſſe eſt. Miſit igitur verum paracletum, verum conſolatorem. *Ille teſtimonium perhibebit de me.* Fidelis teſtis erit iſte paracletus: Iudæi prudentes, & videntes, odio me habuerunt, & occiderunt: ſed paracletus tale de me teſtimonium perhibebit, vt faciat eos in me credere. Triplici autem modo perhibet Spiritus ſanctus teſtimonium de Chriſto, quòd ipſe ſit filius Dei, per miraculorum operationem, per interiorem in cordibus fidelium inſpirationem; & per prędicationis virtutẽ. Alios enim trahit per miracula ad credendum in Chriſtum, alios blãdè allicit per verba, eiſq; perſuadet, Ieſum eſſe Dei filium, & redẽptorem mundi: alijs intempeſta nocte animũ compunctionis afflat, vt nõ ſolùm cubile, thalamúmue Dei filio, ſed excluſis, excuſsiſq; tenebris, etiam intima ſui pectoris arcana aperiunt: quod teſtimonium ſanè ſuauiſsimum eſt, longeque iucũdiſsimum, dum anima, ſpiritus illius oleo ad medullas vſque perfunditur. Pauci autem hunc afflatum ſentiunt, hi nimirum ſoli, qui ab vberibus mundi huius ablactati, toti quanti quanti ſunt, ad cõtemplationem rerum cœleſtium cum aquila ſubuolauerunt. 4. Reg. 4.

Ille teſtimonium perhibebit de me. Primò, cùm adhuc formidoloſi ſitis, & trepidi, inuincibilem fortitudinem vobis afflabit, & cùm idiotę & imperiti ſitis, perfectam ſcripturarum omnium cognitionẽ pręcebit: imò cùm vnicã calleatis linguã, linguarũ omniũ notitiã largietur.

ſolus ad teſtimonium de Chriſto perhibendum, præ cæteris promptius emicaret, eiuſque interfectores de illius reſurrectione confunderet. Si quem delectat tam ſuauiter ſanctum tale ſpectaculum intueri, Actus legat Apoſtolorum, vt vbi beatum Petrum doluerat negãtem, ſtupeat prædicantem. Ibi videat linguam illam ad fiduciam à diffidentia, & ad libertatem à ſeruitute tranſlatam, tot inimicorum linguas conuertere ad Chriſti confeſsionem, quarum non valẽdo vnam ferre, verſa fuerat in negationem. Quid plura? Tantus in illo gratiæ fulgor, tanta ſpiritus ſancti plenitudo effulgebat, tanta de ore prædicantis pretioſiſsimę veritatis pondera procedebant, vt interfectores Chriſti Iudæos faceret pro illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi. Hoc fecit ſpiritus ſanctus iam miſſus, qui fuerat antè promiſſus. Ille ſpiritus ſanctus de Chriſto teſtimonium perhibẽs, & teſtes fortiſsimos faciẽs, abſtulit Chriſti amicis timorem, & inimicorũ odium cõuertit in amorem. Hęc ex B. patre Auguſtino prolixius, quòd viderem illum veluti arcano ſpiritu afflatum, tam plenè, & eleganter de Petro Apoſtolo iam in alium ſpiritus ſancti virtute mutato virum diſſeruiſſe. Mirus enim eſt opifex ſpiritus ſanctus, mirus artifex, qui Saüli aſinarum paſtori efficaces admolitus manus, illum mox in hominum potius paſtorẽ, & regẽ mutauit, imò & in Prophetam. Iſte enim ſpiritus mutat, & renouat omnia. Sed Nazianzenum, precor, noſtrum audiamus: Hic ſpiritus vt potẽ ſapientiſsimus, atque hominum amantiſsimus, ſi paſto-

Act. ca. 2.

Primi. Re. cap. 10.

Nazian. oratione in ſanctã Pẽtecoſten.

ſi paſtorem nactus fuerit cytharędum,facit peruerſos ſpiritus excantantem:ſi caprarium,moros vellicantem,prophetam effecit. Dauidem et Amos cogita. Si adoleſcentem elegantem ac-
Daniel.13. ceperit,præſbyterorum iudicem conſtituit,idque ſupra quàm ætatis ratio ferre videatur. Teſtis eſt Daniel,qui leones in lacu ſuperauit: ſi piſcatores inuenerit,è verriculo eos ad Chriſtum trahit, orbem vniuerſum ſermonis retibus cõplectentes. Exẽplo tibi ſunt Petrus & Andreas, tonitruiq; filij. Si publicanos,ad diſcipulatũ elucratur, animarũque negotiatores efficit. Teſtis Mattheus,heri publicanus, hodie Euãgeliſta. Si feroces perſecutores,zelum commutat,ac Paulos pro Saulis efficit,nec minus pios reddit,quã impios offenderat. Hactenus Nazianzenus *Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis.* Concinnus, & maximè congruus ordo,vt magiſter Iudæorum, gentiumque ſpiritus ſanctus,Apoſtolorum,iam aſsiduo à die aſcendentis Chriſti,ieiunio, continuatiſque precibus mundata,parataque pectora,prius virtute,& conſtantia imbueret,affirmans, & conteſtans IESVM eſſe filiũ Dei: & deinde illi quoque tam ſplendidum, & ſaluificum ſuſceptum à ſpiritu teſtimonium,ingenti animi fiducia,coram omnibus,ac propalam ebuccinarent. Implendæ enim erant nubes, priuſquam imbrem effunderent. Apoſtoli certè, quandoquidem illorum conuerſatio in cœlis erat, nubes erant, mundi huius ſterilitatem,doctrinę cœleſtis pluuia rigaturæ. Harum nubium promptam alacritatem, qua ſpatioſum peruolabant orbem,

admirans

admirans Eſaias,ait:Qui ſunt iſti, qui vt nubes volãt, & quaſi colũbę ad feneſtras ſuas? Magna igitur benignitate,magna libertate poſt acceptum ſpiritum ſanctum,Apoſtoli ſunt vſi. An ne hoc benignitatis eſt, quod Apoſtolorum princeps Petrus,vndique ſpiritus ſancti virtute cataphrattus,& armatus,cùm vidiſſet Domini ſui crucifixores corã aſtare,ac corde eſſe cõpũctos, fratres appellauerit,ac animo ancipiti conſternatis,ſalutare præbuerit conſilium? Libertatis verò nouæ, & imperterritæ argumentum eſt, quòd Ananiam, & Saphyram familiæ,ac oiconomiæ Apoſtolicæ noua atque noxia germina inferre meditantes, ſpiritus ſancti fulmine obrutos proſtrauerit. Vtrumque ſpiritus ſancti munus eſt, & illos placidè, leniterque alloqui, & iſtos intrepidè, fortiterque percellere. Ibi ſpiritus oſtendit miſericordiæ oleum,hic iuſtitiæ exercuit iudicium.Ibi benignus,hìc æquus, & iuſtus. *Quia ab initio mecum eſtis.* Hic tibi ſtudioſe Lector, ob oculos ponitur Apoſtolorum auctoritas,proculdubio cõtra ſciolos illos, qui perpetuò ogganniunt Eccleſię,& clamant, Apoſtolos fuiſſe homines.Natura quidem (fateor) homines fuerunt,ſed ſpiritu ſancto,ac Chriſti verbo potentes,eruditi,& conſtantes reddi ti ſunt.Neque adeo id mirum eſt,cùm ab initio prædicationis Chriſto indiuulſè adhęſerint,fuerintque amici,& familiares, vt verè dicere potuerint: Quod audiuimus, quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. Nos, fratres, etiã à cunabulis religioni Chriſtianæ conſecrati,Chriſto nomẽ dedimus,cur non

Eſa.ca.60

Act.cap.2.

Act.cap.5.

1.Io.cap.1.

ret) quantò magis id egerunt paſtore ſublato? Tum enim oues illorum dentibus videbantur eſſe obnoxiæ, & opportunæ, fieri non poteſt, dilectiſsimi, quin peccata cor veſtrum titillent, & aduerſa feriant, hoc autem agendum ne impingatis. *Abſque ſynagogis facient vos.* Hanc eiectionem ad ſummam pertinuiſſe apud Iudęos ignominiam patet ex eo, quod ibi ſubijcitur: Dilexerunt gloriam hominũ, magis quàm Dei. Senſus igitur noſtræ lectionis eſt, excludent vos à publicis ſuis conuentibus, interdicent hominum congreſſum, & colloquium, voſque excommunicabunt. Verum cõſolabatur eos illud, Beati eritis, cùm vos oderint homines, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter me. Audiuit I E S V S, quòd Phariſſæi eiecerunt cæcum natum, fidei ſuæ iam nouum confeſſorem, & ſuſcepit eum ad ſe, atque erudiuit. Maledicent vobis ò mei diſcipuli, ſed quid tum? ego contrà benedicam. Erunt vobis crudi & crudeles lupi, ego contrà mitiſsimus paſtor. Illi ſumma opum vi oppugnabunt, ego contrà maioribus copijs defendam, tutaboque. Adiment vobis vitam hanc mortalem, ego largiar immortalem. Eijcient è conuentu hominum, ego vos admittam, vbi eſt conuentus Angelorum. Non patebunt vobis templi materialis adita, ſed ego reſerabo vobis templi mei ianuã. Eritis illis odio, mihi verò chariſsimi. D. Hieronymus auctor eſt, primos illos in Eccleſia I E S V neophitos apud Hieroſolymitanos, qui Chriſto, religioniq; noſtræ, relicta ſynagoga, nomen dederunt: ita patuiſſe omnium hominum ob-

Luc. ca. 6.

Ioan. ca. 9.

Hieron.

trectationi,& iniuriæ, vt facultates eorum fiſco addicerentur, atque à parentum etiam excluderentur hæreditate. Sacerdotes quoque eorum inuaſerunt fortunas, atque ita bonis omnibus lapſi per vicos,& plateas oberrabant: & dum ab vna ciuitate pulſi,ad aliam reſpiciebant, miſerrimi fuerunt fugitando (ſi miſeria dicenda,& non potius ſumma fœlicitas, pro Chriſti nomine fugere) ob huiuſmodi nouos ac recens inſitos fratres, D.Paulus collectas faciebat in Achaia,& Macedonia.Non erant fateor, ea ætate, qualia modò ſunt mendicabula,quæ ventrem,faſcias,vileſque panniculos ad nundinationem proponunt. Egebant tamen plerique Chriſtianorum,præcipuè apud Iudæos, ob acerrimam (de qua iam diximus) perſecutionem. *Sed venit hora,vt omnis qui interficit vos,arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Interdicetur vobis aqua & igni: Si Dominum interimunt, non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Et quoniam me infenſe oderunt,vos amare nequaquam poſſunt. Sed quid? Ponenda eſt anima, preſertim cùm ſupplicium tam ſit breue,vt vna hora finem habeat,ſequetur verò gaudium æternum. Nec verò magnum, aut graue, aut longum dicendum eſt ſupplicium, quod æternis delitijs penſatur. Horæ vnius momento morimur, & perpetuò inde viuemus.Igitur præbenda eſt gladio pulchra hæc & candida ceruix. Plerique philoſophorum philoſophiæ gratia, mortem,vel ab alijs irrogatam, perpetiebãtur, vel ſibi adſciuerunt: & nos molles, & effœminati,Euãgelij gratia quicquã tolerare recuſabimus?

mus? Erant olim plurima apud Ethnicos vanæ gloriæ mancipia, hominesq́; faſtu pluſquã turgidi, qui ne fortitudinis titulum, gloriamque amitterent, mortem vitæ prætulerunt. Sed per Deum immortalem, quid obſecro eſt totius humanæ gloriæ theſaurus aliud, quàm fumus, & vmbra? Quod ſi quis ſecum expendat, conſideratque quàm ſolida, quàm ſyncera, denique quàm diuturna ſit ea gloria, quæ martyribus olim concedetur, nihil metuet pro Chriſto hanc vitam perdere.

Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur &c. Tolerabile fortè eſſet proſcribi, niſi & impij pios prorſus occiderēt. Filij enim huius ſeculi nõ ſolùm mali ſunt, ſed & beſtias ipſas crudelitate ſuperant, dum non niſi eorum, quos capitaliter oderunt, ſanguine ſatiantur: Verùm & occidi tolerabile videretur, ſi mundus apertè cognoſceret ſe impiè, & immaniter agere, & ingenuè profiteretur, ſe idcirco Apoſtolos, Apoſtolorumque ſtirpem extinguere velle, propterea quod in Deum credant, eique ſeruiant: ſed tantum abeſt, vt hoc fronte aperta confiteri vellet, vt potius ſe bene, & prudenter agere, imò & cultum Deo præſtare paſsim, & vbique iactet. Atqui hæc demum vera crux eſt. Sic enim & ſanctum Iob magis mordebat grauiuſque angebat, quòd amici contenderent eum ea vlcera meruiſſe, quàm ipſa in ſe mala. *Iob.3.*

Tam Iudæi quàm Gentiles arbitrabantur, ſe Apoſtolos iuſtè neci tradere: Illi vt Moyſi ſuo, in cuius verba iurabãt, cõtrarios: Iſti vt rerũ nouatores, & publicę trãquillitatis perturbatores.

quam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema, hoc eſt: Nos tanquam piacula mundi facti ſumus. Ioſephus ait, quòd ſeptem fratres Machabæi erant expiatoriæ victimæ pro genere Iudaico. Anné hoc apertè profitetur ſeptem fratrum natu minimus? Sed verba eius, quæſo, audiamus: In me (ait ad Antiochum tyrãnum) & in fratribus meis deſinet omnipotẽtis ira, quę ſuper omne genus noſtrum iuſtè ſuperducta eſt. Si quis fuſius hac de re ſibi dici cupiat, Suidam legat, & Nicolaũ Leonicũ de varia hiſtoria. *Arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* O ſingularem cæcitatẽ, androphoniam exiſtimant latriam, & homicidium Dei cultum. Sed quis obſecro Dei cultus eſt, profundere ſanguinem innocentem? Hic exclamat D. Auguſtinus: O error horrendus: Itáne vt placeas Deo, percutis placentem Deo? O Iudæe tẽplum Dei viui te feriente proſternitur, ne Dei templum lapideum deſeratur. Vt autem Apoſtoli intelligerent illam ſuorum perſecutionem nihil eſſe aliud, quàm exiſtimationem erroneam, optimè ſubiecit Dominus: *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Patrẽ, ait, eos non noſſe, non ſolum quia non nouerunt Deum ſub nomine patris, ſed etiam quia non habuerũt Dei rectam notitiam. Dei enim ignorantiam Chriſtus frequenter notat in Iudæis, qua quòd caruerunt, nec ipſum Chriſtum agnoſcere potuerunt.

2. Machabæi. 7.
Suidas.
Nicolaus Leonic. lib. 3. cap. vlt.

Occiderunt igitur Iudæi Apoſtolos, quia Deum ignorauerunt. Si igitur (vt ait Bernardus) non eſt peccatum, quid ergo cauſamur occiſores

Apoſtolorum: quandoquidem non ſolùm neſcierunt non eſſe peccatum interficere illos, ſed putabant ſe præſtare obſequium Deo: Sed & fruſtra noſter ſaluator orat pro ſe crucifigentibus, quippe neſcientibus, quid facerent, vt ipſe teſtatur. Si nullum peccatum ignorantia eſt, igitur non peccauit Paulus, quòd perſecutus eſt Eccleſiam Dei.

Cyrillus.

Sed hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.

Pulchrè hic Cyrillus commentatur. Non illa (ait) cauſa hæc dixi, vt mentis veſtræ vigor eneruaretur, & antequam pericula aduenerint, formidetis: ſed vt vobis ſuccurrat, ea à me prænuntiata fuiſſe, quò deinde maior verbis meis habeatur fides.

ANNOTATIVNCVLA

PRIMA.

Teſtimonium perhibebitis. *Græcè eſt μαρτυρεῖτε quod ſanè ambiguum eſt, poteſt enim eſſe & indicatiui modi, & imperatiui, vt ſit, teſtimonium perhibetis, vel teſtimonium perhibete. Cyrillus, & Caietanus poſterius ſequuntur. Eraſmo verò magis placet eſſe indicatiui modi, & præſens pro futuro poſitum eſſe.*

SECVNDA.

Quem ego mittam. *In diuinis aliqua perſona mitti dicitur, dum alicubi incipit eſſe nouo modo. Sic filius dicitur miſſus in mundum, cùm eſſet vbique, quia per*

quia per aſſumptam humanitatem cœpit nouo quodam modo eſſe in mundo. Sic & ſpiritus ſanctus dicitur mitti, cùm alioqui ſit vbique, quia per ſuam gratiam nouo modo cœpit eſſe in hominibus.

TERTIA.

Hæc locutus ſum vobis. *Euthymius Græcus, & Latinus Auguſtinus, pronomen, hæc, referunt, ad id quòd proximè præcedit, de ſpiritus aduentu, & teſtimonio eius, quo Apoſtoli mirificè confirmati, clariſsimè de Chriſto teſtabantur. Audet tamen ab his diſcedere Ianſenius, & dicere, illud pronomen referri ad ea quæ prius dicta ſunt de odijs, & perſecutionibus propter nomen CHRISTI perferendis, vt Dominus videatur eis cauſam reddere, quare tam triſtia eis prædicat. Vult enim Dominus oſtendere, quòd hæc prænuntiando, non deſideret eos mærore affici, ſed solùm ne ſcandalizentur, triſtibus, & intolerabilibus ferè perſecutionibus ingruentibus. Nam ita vſu venire ſolet, vt iacula quæ proſpexeris, minus vulnerent, feriantque. Hinc puerorum illi in diatribus cantati verſiculi:*

Proſpice qui veniunt hos caſus eſſe ferendos.
Nam leuius lædit, quicquid præuideris antè.

QVARTA.

Abſque ſynagogis facient vos. *Græcis eſt vna dictio* ἀποσυναγώγους *apoſynagogos, hoc eſt alienos à ſynagogis, aut excommunicatos vos facient.*

Quis iam

fructus quàm pulcherrimos exerere ac produ- cere poteſt, hanc ego charitatem eſſe dixero. Non abs re D. Ambroſius in caput 14. ad Romanos, eam matrem appellat, non ſterilem vtique, ſed bene fœcundam. Nam & ſi diuerſos habeat actus, vna tamen eſt Bona mater charitas, quæ ſiue foueat infirmos, ſiue exerceat prouectos, ſiue arguat inquietos, diuerſis diuerſa exhibens, ſicut filios diligit vniuerſos. Cùm te arguit, mitis eſt, cùm blãditur, ſimplex eſt. Piè ſolet ſeuire, ſine dolo mulcere, patienter nouit iraſci, humiliter indignari. Hęc omnia cùm exhibeat, Deum tamen ſcopum habet, propter quem, & in quem, omnia dirigit. Nihil charitate Dei præſtantius, quæ omnibus virtutibus imperat, earum actus excipiens, nutriens, efformans, miro artificio etiam plumbea efficiens aurea. Opera namque ſine charitate facta, plumbea ſunt, accedat charitas, precioſiſsima ſunt. Quid magis vile, quàm dare aquam frigidam? Atqui huic ſi ſe miſceat charitas, tantum accedit precium, vt merces inde quæratur, nullo auro parabilis. Vtinam in animi noſtri penetralibus nihil ſit, quod non veſtiatur auro: legimus quòd nihil conſpiciebatur in templo, niſi quod tegeretur auro. Hæ ſunt noſtri Solomonis diuitiæ, hęc eſt veſtis deaurata, qua Eccleſia ornatur. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato. Adſint omnia quamlibet illuſtria, quamlibet ſpecie inſignia, abſit vna charitas, deformis, incomptus, viliſque, imò nihil es. Multi ſunt qui Dei ſe charitatem habere iactant, ſed reuera vani ſunt, cùm nihil in Dei gratiam, ſed ob mun-

Ambroſ. in epiſtolam ad Roma.

3. Reg. 6.

Pſal. 44.

ob mundi gloriam faciant omnia. Sed Chriſtum audiamus: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, hoc eſt, opere complebit. Probatio enim dilectionis (ait Gregorius) exhibitio eſt operis. Nunquam amor Dei otioſus eſt, ſed quemadmodum elegans, & venuſta puella hortum ingreſſa, ex omnibus floribus ſibi corollas, ſertumque texit: ſic anima, Chriſti ſponſa, omnia refert in deum. Ne verò præceptorum Dei nos teneat vel ignorantia, vel obliuio, diligenter cautum eſt à Domino. Erunt verba hæc quæ præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens: & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur ante oculos tuos, ſcribeſque ea in limine domus tuæ. Ecce in quatuor locis vult nos hæc verba habere, ſcilicet in corde ad credendum, in ore ad loquendum, in manibus ad operandum, & ſuper oculos ad videndum. Sunt igitur Dei præcepta ſeruanda, ſed ex charitate: qui enim non diligens facit, non facit. Nam ſine Dei dono, ait D. Auguſtinus, id eſt, ſine ſpiritu ſancto, per quem diffunditur charitas in cordibus noſtris, iubere lex poterit, non iuuare. Rogandus igitur ſpiritus ſanctus, vt inſita nobis charitate, diuinorum præceptorum amore nos ardere faciat. Quod ſi obtinuerimus, vltro etiam ad ea implenda conuolabimus. Talis erat propheta ille, qui aiebat: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Non currerem, niſi dilataſſes cor meum: niſi te diligerem,

Deut. 6. *Enchirid. c. 117.* *Rom. 5.* *Pſal. 118.*

gerem, non ſeruarem ſermonem tuum. Non ergo per proprium, & quaſi nullius opis tuę indigum arbitrium meum, ſed quia dilataſti cor meum, cucurri. Cordis dilatatio, eſt iuſtitiæ delectatio. Hoc munus eſt Dei, vt in eius pręceptis, non timore pœnæ anguſtemur, ſed dilectione potius dilatemur, & delectatione iuſtitię delectemur. Fœlix ſanè ille eſt, cuius præcordia ſpiritus ſanctus ita dilatauit, vt non veluti ſeruus diuinorum mandatorum viam ambulet, ſed potius vt filius, ac liber decurrat. Id optat regius ille pſaltes: bonus es tu domine, & de bonitate tua doce me iuſtificationes tuas. Auguſtinus legit: Suauis es Domine, & de ſuauitate tua doce me facere iuſtitiã tuam. Id eſt (inquit) vt non formidine pœnę ſeruiliter cogar eſſe ſub lege, ſed libera charitate delecter eſſe cum lege: præceptum quippe liber facit, qui libens facit. Quis autem libens facit, nonne qui ex charitate facit? Nemo enim poteſt ſermonem IESV ſeruare, niſi qui diligit IESVM. Vis audire diligẽtem? Audi prophetam: In toto corde meo Domine exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. Ecce orat, vt adiuuetur ad cuſtodienda mandata Dei. Quid enim eſt, à Deo repelli, niſi non adiuuari? Mandatis enim eius rectis, & arduis humana non contemperatur infirmitas, niſi præueniens eius adiuuet charitas. Quos autem non adiuuat, dicitur repellere, tanquam flammea framea prohibeãtur indigni, ne manũ extendant ad arborem vitæ. Sed quis eſt dignus, inquies, ad præceptorum arborem manum extendere, cùm in Adam omnes peccauerimus?

Auguſtin. in Pſal. 118

Ibidem.

Aug. lib. 1. de gratia Chriſti. cap. 13.

Auguſt. in Pſal. 118.

Sed dig-

meretur. Non adoros, aut vacuis (quod aiunt) manibus hic hoſpes venire ſolet, magnificentiſsimus enim eſt, ac perquàm liberalis. Quid mirum: Abraham ſolum recepit angelos, & ob communicati hoſpitij gratiam, donatus eſt filio, quem diu cupierat. Loth ijſdē ſuſceptis angelis è Sodomitico liber, & illæſus prouolauit incendio. Quid de Obededom referam? Is vbi domicilium arcæ Domini patefeciſſet, benedictionem rerũ omniũ meruit. Ingreſſa eſt Maria domũ Zacharię, & Elizabeth, & omnes impleti ſunt ſpiritu ſancto. Hęc cùm ſint veriſsima, quid iam ei deeſſe poterit, apud quem tota Trinitas manſionē habet? Si veniat tecũ habitatũ patris omnipotentia, nihil eſt quod metuas, non Sampſonis leunculum iuxta vineam inſidiantem, neque leones cum Daniele in lacu, neque Leuiathan in aquis, neque draconem illum rufum. Si veniat ſapientia filij, ad nullum fidei articulum aut nutabis, aut herebis, nihilque dubitabis. Propter filij ſapientiam iam melius, & propius cognitam, perierunt Auguſtino omnes illę quæſtiones, in quibus Paulus viſus eſt ei pugnare cum prophetis. Si venerit benignitas ſpiritus ſancti, omne ſemen nequam deteſtaberis, & ita ſpiritus ille bonus te ducet, vt omnia facile in bonum conuertas, vſqueadeo, vt tanquã apis, ex abſinthio mel conficias. Imò tanta in te pullulabit bonitas, vt etiam ſi quiſpiam vehementer læſerit, non par pari vnquam referas, ſed vltione ſepoſita, gemens ſicut columba, tantum abeſt, vt remorſurus ſis ſicut coruus. Innocens eſt natura columbarum, ſed coruus

Geneſ. 18. *Geneſ. 19.* *3. Reg. 6.* *Iudic. 15.* *Daniel. 6.* *Iob. 41.* *Apoc. 12.*

gaudet laniatu. Illi veram pacem habent, qui non gaudēt laniatu, qui Eccleſiam non laniauerūt. Corui(ait Auguſtinus)de morte paſcuntur, hoc columba non habet:Innocens eius victus eſt, quòd ſanè mirandum eſt in columba, cùm ſint & paſſeres breuiſsimi,qui muſcas occidant. Si ſpiritus ſanctus ad te venerit,tantum abeſt,vt Eccleſiam ſcindere vel laniare velis,vt ne minimum quidem Eccleſiæ membrum tui cauſa læſum cupias. *Manſionem apud eum faciemus.* Si triſtis fuerit noſter hoſpes,ſumus gaudium: ſi peccator, ſumus miſericordia: ſi pauper,ſumus theſaurus:ſi laſſus,& calore æſtuans, ſumus refrigeriū.Eſurienti erimus panis,& delitiæ, Sitienti fons nunquam exhauſtus. *Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.* Sententia hæc veriſsima eſt. Apud eos qui Dei dilectione ſunt vacui, nihil contemptius diuinis præceptis,nihil eius verbo vilius.Nihil eos promiſſa alliciunt, nihil minæ terrent, vt aurem præbeant Dei præceptis. Quadrat in eos illud Dauidicum, imò illud Domini potius per Dauidem,ad quendam: Proieciſti ſermones meos retrorſum,ſi videbas furem, currebas cum eo. Tales ſunt, qui Deo ſuo poſthabito, nihil niſi terram ſapiunt,terram ſpirant,terram ſperant, terram ſomniant, denique cum terra pereunt. O miſeri mundi amatores, quid habet hæc terra vel ſyncerum, vel diuturnum? Imò quicquid hic amaueris, quicquid colueris, tibi vertetur tandem in tormentum. Id nobis indicat Ezechiel: Ego (inquit Dominus) ſuſcitabo omnes amatores tuos contra te. Quid eſt aurum?

Tract. 6. in Ioan.

Pſal. 49.

Ezech. 23.

rum? Liqueſcit. Deus non liqueſcit. Quid veſtis? deteritur. Deus nequaquam, ipſe enim ſemper idem eſt. Quid eſt homo? moritur. Deus non moritur. Quid gramen, flores, herbæ? Marceſcunt. Deus ſemper & viret, & viget. Sol habet ecclipſim, Deus non. Sol habet nubes obſtantes, Deo nihil obſtare poteſt. Quid igitur mentis, aut frontis habet homo, qui hæc omnia quęrit, venatur, amat, Deum verò negligit, atque præcepta eius prætergreditur? Terreat nos horridum filiorũ Aaronis exemplum, qui, quòd alienũ ignem turibulo impoſuiſſent, *Leuit. 10.* eodem igne combuſti fuerunt. Ignis alienus in thuribulo, eſt amor mundi in corde. Sic Sampſon ab ea, cui ſe dedidit, Dalila, hoſtibus vinciendus traditus eſt. *Iudic. 16.* Videtis quantum adferat incommodi non amare Deum, ſed rebus vanis ſeſe oblectare? vnde & id quoque mali ſequi ſolet, vt eius ſermones nullius apud nos ſint precij. Quapropter pijs Chriſtianis aliquoties ex intimis animi medullis cum Dauide clamandũ *Pſal. 118.* eſt: Incola ego Domine ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua. Atqui reſpondebis: Quinam ſunt, à quibus Deus ſua abſcondit mãdata? Nõne Deut. ca. 5. & Exod. cap. 19. & 20 ob oculos omnium exhibentur eius pręcepta? Sciunt Iudęi, ſciunt Chriſtiani, ſed opto cum D. Auguſtino, imò & cum gemitu proclamo: Vtinam quàm multis clara ſunt, tam multis chara ſint. Scriptum eſt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum ſicut te ipſum, Quis eſt, quem lateant iſta præcepta? Dices; Si non latent, cur igi-

 tur ait,

tur ait,Non abſcondas à me mandata tua? Sed merito abſconduntur eis, qui nòn ſunt incolæ in terra. Hæc enim mandata &ſi audiunt, non ſapiunt,quia terrena ſapiunt. Quorum autem conuerſatio in cœlis eſt,hi clara & chara habēt præcepta Dei. *Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius,qui miſit me,patris.* Retunditur hic eorum ſupercilium & faſtus, qui ſe putant aliquid boni ex ſuis viribus vel ſentire, vel loqui: videntur enim dicere illud, labia noſtra à

Pſal.11. nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? Erubeſce inſolens vermis,filius Dei ait, ſe nec ſapere,nec ſentire,nec loqui poſſe ex ſe: & tu homuntio, nihil non potes ex te. Per te ſapis,per te cogitas,per te loqueris.O intolerandam arrogantiam.Ex me (aiunt ſcioli noſtri) ex nobis mira comminiſcimur,mira commētamur,& tanquã diuite penu,atque ex vbere ſapientiæ gazophilatio,ſermones eloquentiæ,& prudētiæ plenos

Exo.ca.4. profundimus,verũ dic mihi,quæſo,vir diſertiſſime,quis fecit os hominis?Quis linguę plectrũ, intra dētium ſepta collocauit? Nõne hæc cōdidit,atque aptauit Deus? Illi igitur quam habes eloquentiæ gratiã, ferre debes acceptam,& dicere concioni, atque auditoribus: Viri fratres quem audiſtis ſermonem,non eſt meus,ſed potius eius,qui linguam mouit,& mentem inſtruxit,Dei.Ego nihil ſum aliud, quàm vile inſtrumentum Dei loquentis, & calamus ſcribæ velociter ſcribentis. *Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens:paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia,quæcunque dixero vobis.*

Grego-

Gregorius in homilia, De ſpiritu rectè promittitur, Ille vos docebit omnia, quia niſi ſpiritus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo docentis. Nemo igitur docenti tribuat homini, quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua foris in vacuum laborat. Vocatur autem ſpiritus iſte paracletus, ab effectu, nihil enim eſt quod homini mœſto veriorem, ſyncerioremque adferat conſolationem, quàm ſpiritus ſanctus. Hinc optimè de eo canit Eccleſia: In labore requies, in ęſtu temperies, in fletu ſolatum. Neque malè aut abſurdè illi, qui eum farinulæ comparant, quæ veneno mortifero commixta, omnem ſuſtulit amaritudinem. Secundo appellatur etiam ſpiritus ſanctus, qui eos quoque quos inhabitat, ſanctos efficit. Quid igitur mirum, ſi de eo ita canamus? Sine tuo numine nihil eſt in lumine, nihil eſt innoxium. Quis iam non apertè videt illos non loqui, dictante, atque afflante ſpiritu ſancto, qui plebis animos non reddunt ſedatiores, aut ſua oratione mitiores, ſed potius concitant, vel in Deum, vel in illos qui per Deum regnant, reges, ac principes. Dicas eos veluti Bellonæ buccinatores, Alectus cornu potius inflare, quàm Euangelium annuntiare; ita populum reddunt aduerſus crucifixi, diuorumque ſtatuas lingua, ac manu promptos. Iſtiuſmodi homines non pietatem promouent, ſed impediunt potius. Monuit Chriſtus, vt redderentur quæ ſunt cæſaris, cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo: at iſti neutrum præſtare docent, & regi imperium, & Deo cultum ſuum abrogantes, id quod

Gregorius

4. Reg. 4.

longo iam vſu didicit orbis Chriſtianus, ſingulari ſuo damno, & complurium periculo animarũ. *Ille vos docebit omnia.* Docet autẽ ſpiritus iſte, non externę vocis clamore, ſed interna inſpiratione, atque arcano quodam afflatu, cordiſque illuminatione. Scribit hic legem in
Hierem.31. corda noſtra. Quapropter cùm non ſit alius Eccleſiæ datus doctor, neceſſe eſt, vt vnus doceat, moneatque omnia, præcipuè ea quæ nobis ad ſalutem ſunt neceſſaria. *Et ſuggeret vobis omnia.* Hinc in promptu eſt colligere, Apoſtolos nullum in ſcriptis ſuis habere potuiſſe errorem, cùm ſpiritus illis perpetuo, quę memoriam fugere poterant, ſuggereret, ac ea quæ exciderãt, refricaret. Quemadmodum enim ex perenni fonte, iugi quadam ſcaturigine, deriuãtur aquæ, ita in Apoſtolorum mentes, atque adeo in Eccleſiæ totius ſinum, demanãt ſpiritus ſancti flumina, ne ſponſæ Chriſti ſanctiſsima vena, vnde ſitientibus filijs propinat, poſsit aliquando inareſcere. Si enim ita proſpectum fuit olim para-
Geneſ.2. diſo, quod tamen ſerpentem habuit, vt iugibus aquis vndiſque irrigaretur, quidni hoc Chriſtus præſtabit Eccleſiæ, quæ ſpiritum ſanctum habet? Vnde conſurgit ſynceriorum Theologorum axioma: Eccleſiam in rebus fidei hallucinari, atquẽ errare non poſſe. Quo verò pacto erraret, quæ omniſciũ Doctorẽ perpetuò habet præſentẽ? Imò à Chriſto Ieſu ad patrẽ remeante, nõ opinor vel horulę vnius momẽto à ſpõſa Chriſti abfuiſſe ſpiritum ſanctũ. Nihil verò tribuimus Porphyrio, nihil Iuliano, nihil Luciano qui Apoſtolos, hoc eſt proximos ſpiritui ſancto magi-

magiſtros, autumant in ſuis Euangelijs, ſeu ſcriptis fuiſſe ipſos. At Anabaptiſtę plæriq; , qui ex Mennonis ſchola prodierunt, iactare ſolent ſe habere ſpiritum ſanctum, quod quàm verum ſit, viderint ipſi: qui non purum, putum euangeliũ ſuis propinãt, ſed neſcio quas fęces è VVeſtphalicis lacunis hauſtas. Iactauit id & ſuperiori ætate Martinus Lutherus, ſed occurrit illi Eraſmus Roterodamus, atque ita admirãs (vt lepidus, & argutus eſt) ait: Vnde igitur huic corpuſculo tanta ſalacitas, cui tam infallibiliter aſsiſtit ſpiritus ſanctus? Quin etiam, inquit, vxorem Lutherus duxit, maceraturus carnem.

Sed rideant, digladienturque inter ſe Lutherus, & Eraſmus, habeantque ſibi res ſuas, nobis ſatis eſt, quòd ſpiritus ſanctus noſtram in omnibus neceſſarijs erudiat, doceatque Eccleſiam.

Pacem meam do vobis, pacẽ meam relinquo vobis. Non quomodo mũdus dat, ego do vobis. Solẽt ſtulti mortales morituri, filijs, ac hæredibus abundè proſpicere de amplis, ſed perituris ferè, & nihil nõ litium tragediarumque parituris, opibus. Terra enim terram quærit, ſapit, ſomniat. At pater cœleſtis, benignitatis auctor, & pacis conciliator, non obſcurè intelligens, magnam aliquoties feneſtram, imò potius ianuam aperiri amplis iſtis opibus, & luculenta hæreditate, ad animorum diſsidium, atque diſcordiam; pacem Apoſtolis teſtamento relinquit, & firmat, ſine qua hîc omnia nihil. Rectè verò pacem cum ſpiritu ſancto pollicetur. Eſt enim pax fructus ſpiritus ſancti, teſte Diuo Paulo Apoſtolo. Solent ferè ſplendidæ, & numeroſæ opes per- *Galat. 5.*

Gal.cap.5. nitiem adferre poſsidentibus, at qui diuinam pacem habet, nulla eum poteſt euertere tempeſtas. Pax enim mentis, qua Deo connectimur, reddit hominem inuictum. Pacem gratiæ relinquit nobis in mundo (ait Auguſtinus) vt principem diſcordiæ, & bellorum auctorem diabolum vincamus: pacem gloriæ dabit in futuro ſæculo, vt ſine hoſte regnemus. Quod ſi patresfamilias ſtuderent potius domeſticis pacem, & concordiam relinquere, quàm amplam hæreditatem, meo iudicio conſultiſsimè agerent, prę-*Saluſtius. in belli Catilinar.* ſertim cùm concordia res paruæ creſcant, diſcordia etiam maximę dilabantur. Tam ſtudioſi pacis olim Romani erant, vt auguſtiſsimum ſplēdidiſsimumque ei delubrum dedicauerint: ad quod ferè diſcordes, ac inter ſeſe commiſſos ciues conciliandorum animorum gratia ducere ſolebat Senatus, præſertim illos, ob quorum diſsidiū Reſpub. turbabatur. Idcirco cùm Antoninus, & Deta Seueri Imperatoris filij, feralibus, & atrocibus inter ſe odijs conflictarētur, à Senatu (ne ciuitas quid caperet detrimenti) ad pacis ſimulachrum ducti ſunt, vt latius iam ſerpens eorum diſsidium, penitus conſo-*Dion Pruſenſis.* piretur. Autor eſt Dion in hiſtoria ſua. Adeo pacis, ac concordię amantes erant Veſpaſianus, & Titus Imperatores, vt vaſa ſacra ex media ardentis templi Hieroſolymitani flamma erepta, *Hieron. in Ioelem.* Romæ, non Ioui Capitolino, aut Veſtæ, aut Æſculapio, aut alij Deorū alicui, ſed Paci in eius ede, dicauerint. Quod ſi tanta pacis infidelibus cura fuit, quanta debet eſſe Chriſtianis? Mirabitur fortè quiſpiā, cur iſti Imperatores inter ar-

ma tam

ma tam diu verſati, non Marti potius, quàm Paci vaſa ſacra cõſecrauerint. Dicam quod ſentio: Dicam neutrum bellicis negotijs oblectatum, ſed coactos à Caio Caligula in Iudęos mouiſſe arma. Nam vbi Veſpaſianus Romanum cœpit imperium per duces ſuos, homo quietis, otijq́ue ſtudioſus, contra Vitellium eiuſque cõplices copias miſit, ipſe verò ab armis abſtinuit. Non erat patri Titus filius diſsimilis, quem ob humanitatem, morumq́ue candorem Romani (vti auctor eſt Suetonius) generis humani delitias appellabant. At barbarus Nabugodonoſor, barbarus & Balthazar reges Babylonis, qui regijs ſuis, in priuatos vſus vaſa Domini aurea, atque argentea, non templo dedicauerunt. Si igitur Romani, priuſquam Euangelio pacis colla ſubdidiſſent, ita paci deuoti fuerũt, cur non & Chriſtiani hanc colant, ament, venerentur, pręſertim cùm pacis amator Chriſtus etiam teſtamento eam commendauerit, Apoſtoli docuerint, & Paulus ſingulariter toties filijs ſuis inculcauerit? At modò ita paſsim, & vbique omnia feruent bellis, omnia diſsiliunt odijs mutuis, & diſcordia, vt difficile barbaris perſuaderi poſſet, nos eſſe Chriſtianos. Audias hodie noſtros milites in tonſtrinis, ac tabernis, diuerſorijſq́ue, vbi incaluerint vino, ſeſe iactare, quòd omnia cæde, rapinis, ſtupriſq́ue fœdauerint. Sunt enim plerique mercennariorum iſtorum militum, ita longo bellorum, hauriendiq́ue ſanguinis vſu dementati, ac veluti in efferas beluas verſi, vt atrociſsimæ huiuſmodi voces eis in ore natent: Tot hoſtes cęcidimus,

Suetonius in vita Tit. Imp.

Dan. ca. 5.

 tot vil-

tot villas incẽdimus,tot agros vaſtauimus,tot virgines cõſtuprauimus,tot patreſfamilias ędibus ſuis exegimus,tot vrbes euertimus. An tu exiſtimes iſtis Chriſtum ſuæ hæreditatis ſolidũ aſſem reliquiſſe? Non herclè videtur. Inſignis eſt Xenophontis ſententia: Pax videtur eſſe maximum homini bonum, bellum maximum malum. Tantum eſt (teſte Aurelio Auguſtino) pacis bonũ, vt etiam in rebus terrenis nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò melius poſsit inueniri.

Xenophon in Hiero. *Augu. 19. lib. de Ciu. cap. 11.*

Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hæc pax Chriſti tria in ſe includit: Primum eſt reconciliatio hominis cum Deo. Secundum eſt (quod ferè ex huiuſmodi agnitione gratiæ, & amicitiæ naſcitur) mentis ſecuritas, atque tranquillitas. Hanc animi pacem Græci vocant ἐυθυμίαν, hoc eſt, animi tranquillitatem, quam Democritus appellat ſummã fœlicitatem. Tertium, & poſtremum, eſt mutua inter homines concordia. Ita verò poſtremum hoc pendet à ſecundó, vt ſine eo omnino conſiſtere nequeat. Id pulchrè nobis D. Iacobus Apoſtolus indicat: Vnde (inquit) bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? Cùm enim cogitationes inter ſe noſtræ diſsident, ac tumultuantur, neceſſum eſt inde naſci hominum inter ſe diſcordiam. Qui verò mente compoſita eſt, ac rectè ordinata, facile cum alijs quoque pacẽ habet. *Non quomodo mundus dat.* Mundi pax non eſt diuturna, ſæpè etiam ſimulata: Chriſti verò pax ita perpetua, & conſtans eſſe poteſt,

Democrit. *Iacob. 4.*

vt nemo

vt nemo eam poſsit tollere. Ad Chriſti pacem hanc pulchrè alludit illa Eccleſiæ collecta pro pace, dum precamur eam nobis dari pacem, quam mundus nequaquam dare poteſt. Sic autem ſuam dat pacem diſcipulis, perinde atque abiturus, aut moriturus amicus legatum aliquod amicis relinquere, & dare ſolet: vt meritò hęc pax Chriſti legatum dici poſsit, quo nihil fidelibus ſuis relinquere potuit optabilius, ac præſtabilius. *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet: audiſtis quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos.* Duo hic dicit: Prius eſt, ne turbentur, aut carpantur mœrore, aut ægritudine animi, propter eius abitum, quem tam vehementer diligebāt: poſterius eſt, ne formident, quòd eos tum deſerat, quando Iudęorum odia, & minæ eos circumſtabunt. Quamuis enim dixi me abiturum, nō eſt quod turbemini, quia vado & venio, mittens ſpiritum ſanctum. Imò & ipſe vobiſcum eſt vſque ad finem mundi.

Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt. Si gaudij cauſam apertè cognoſcere velis, remigro (inquit) ab huius mundi non numerandis calamitatibus, non æſtimandis tempeſtatibus, ad patris mei ſuaue conſortium: depoſitaque huius corpuſculi corruptibilitate, ob quam patre ſum inferior, ad ipſius iam regredior æqualitatem. Sed claudamus ſermonem hunc, ne iuſto ſit prolixior. *Matth. 28.*

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Si quis diligit me, ſermonem. *Sermonem, quidam (nec ineptè opinor) dici volunt totam Euangelicam do-*

gelicam doctrinam. Sermones verò varia Euangelicæ doctrinæ præcepta.

SECVNDA.

Suggeret vobis omnia. *Pro ſuggeret, Græci legunt ὑπομνήσει, hoc eſt reminiſci faciet, aut commonefaciet.*

TERTIA.

Quæcunque dixero. *Pro quæcunque dixi: Græce enim eſt. εἶπον. Sed id frequens eſt in ſacris, vt pro præterito ſubſtituatur futurum.*

QVARTA.

Vado & venio ad vos. *Ibat ad patrem, non ſecundum diuinitatem, ſed ſecundum humanitatem. Nam ſecundum ipſam diuinitatem vbique eſt.*

QVINTA.

Pater maior me eſt. *Secundum Chryſoſt. Dominus patrē ſe dicit maiorem, non quia reuera maior erat, ſed quia Apoſtoli arbitrabantur eū maiorem filio. Chryſoſtomo ſuffragatur Auguſtinus, cap. 9. lib. primo de Trinit. ſic Chriſti verba exponēs: Neceſſum eſt omnino, vt ad patrem proficiſcar, quia quamdiu me hic videtis, exiſtimatis quia minor ſum patre. Quibuſdam placet patrem omnino filio maiorem, etiam ſecundum diuinitatem, eò quòd ſit filio generationis principium, quod certè ſonat excellentiam: nam maius eſt dare quàm accipere. Sic lib. 9. de Trinitate Hylarius. Cum eo idem ſentit Gregor. Nazianzenus lib. 3. de Theologia. Elegantiſsimè hanc ſententiam interpretatur Fauſtinus libello contra Arrianos.*

Fauſtinus Epiſ. lib. de fide cōtra Arrianos.

SEXTA.

Pacem meam do vobis. *Ioann. Ferus ait, hoc verbum accipi poſſe, vt ſit vltima Chriſti valedictio. Eſt enim perinde, ac ſi diceret: Iam abiturus ſum, valete igi-*

lete igitur. Nam quod Latini dicunt, Salue, vel vale, hoc Hebræi dicunt. Pax tibi.

IN SOLENNITATE SANCTISS. TRINITATIS EVANG.

Ioan. cap. 3.

E*Rat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.*

Colloquium iſtud Chriſti cum Nicodemo longè feſtiuiſsimum eſt, & vtiliſsimum: vbi collocutorum aliter perpetuo nutat, ac infantiam quandam oſtendit: alter verò ſemper docet, ac inſtruit rudem auditorem, varia interim fidei noſtræ myſteria explicans, nẽpe Baptiſmi, & crucis. In hoc colloquio non aniles fabulæ, aut res futiles, ſed Chriſtianæ religionis ſumma comprehenditur. Vtraque autem perſona egregiè ſeruat τὸ πρέπον, hoc eſt, decorum, cùm Nicodemus modeſtè roget, ſi quid dubitet, Chriſtus verò benignè reſpondeat, erudiatque. Hic mihi ſuccurrit illud Dauidis: Beatus homo, quem tu erudieris Domine. Et quanquam nihil addubitem, quin & illi beati ſint, atque fœlices, qui per idoneos concionatores & interpretes verba Euangelica hauriant: neſcio tamen quo fiat pacto, vt eos ſemper feliciores ſim arbitratus, qui ex ipſo potius fonte, quã ex riuulis veritatis liquores bibant, excipiantque. Legant hũc Chriſti, Nicodemique dialogũ, tũ concionatores, tũ ſtudioſi eorum auditores, ac diſcant vtrique ſuo probè munere, ac functione vti *Pſal. 93.*

Beda. one vti. *Princeps Iudæorum.* Scribit Beda in primũ caput Lucę, fuiſſe principes 24. qui, quiſque ſuo ordine, celebrabant, ſicut de Zacharia patre Baptiſtæ dicitur: fortè vnus ex iſtis fuit hic Nicodemus. Sed vide quo ſe demittat phariſaicum ſupercilium. Ex principe fit diſcipulus, ex nobili ignobilis. tantus illum amor recti accendebat: Imò vſque adeo in Chriſti ſcola promouebat, vt ex coruo, ſeu nycticorace, damnatis iam tenebris, columba lucis Euangelicę amantiſsima efficeretur. Nonne qui modò noctis caliginem quærit, ſcientiam, & confidentiã, ſuggerente Chriſto, prodit in apertũ, & propalã accedit Pręſidẽ Pilatum, vt præceptoris ſui corpus, multo prius aromate perfuſum, tradat ſepulturæ? Nonne (vt infra legis) *Ioan. 7.* abſterſo metu, Chriſti cauſam egregiè & intrepidè tuetur? Quapropter rectè Nicodemi nomen eſt ſortitus, quod nihil ſonat aliud, quàm victorem populi, ſiue vulgi. Quis enim, ſub mortis Chriſti horam, Chriſtum confiteri eſt auſus? At iſte, frendentibus Phariſæis, obſtrepente vulgo, audacter ad Pilati ædes irrumpit, honeſtam præceptori poſtulãs ſepulturam. Sed deum immortalem, quot hac tẽpeſtate habemus Nicodemos, quos ferè pudet eſſe Chriſti profeſſores? Metuũt enim extra ſynagogam fieri, ac nullo numero cẽſeri, apud eos pręſertim, quorum cẽſura plurimum habet momenti ad gradus dignitatũ adipiſcendos. Volunt iſti Deo ſeruire, & Mammoni, cœlumque, & terrã ſimul poſsidere. Sed cùm iam mũdo valedixiſſet, metum omnem exuit, & non amplius noctu, ſed

interdiu

interdiu etiam Dominum profitebatur. Verùm nihil mirum, ſi Nicodemus primo tantæ fuerit imperfectionis, cùm etiam nonnunquam viri ſanctiſsimi non omnino huiuſmodi affectibus careant. Sic Gedeon confregit ſtatuam Baal. ſed nocte tamen, ne ciuium quiſpiam id perſentiſceret, faceretq; tam præclaro facinore, nominis vnà, & facultatum omnium iacturam. Sic & diſcipuli Domini Ieſu, magiſtro mortem patiente, latent, nec audent prodire. Meras igitur Nicodemus tenebras ad colloquium nocturnum attulit, ſed quæ conſpecto iuſtitiæ ſole protinus diffugerunt: emerſitque confeſtim ex plumis nycticoracis candidiſsima columba, & arundo quaſſata non confringitur, ſed inſtauratur, linumque fumigans non extinguitur, ſed exſuſcitatur. Et ait illi: *Iudic. 6.*

Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. *Eſai. 42.*
Iam nobis (inquit) perſuaſiſsimum eſt, te non ex teipſo munus docendi ſuſcepiſſe, ſed à Deo miſſum eſſe in hoc, vt viam ſalutis mortalibus commonſtres. Quod idcirco de te certò credimus, quoniam nullus ſuam doctrinam talibus, qualibus tu, ſignis confirmare, ac corroborare poſſet. Poteſt quidem Diabolus multa facere, quæ videntur eſſe miracula, ſiue per præſtigia, & ſenſuum ludificationem, ſiue per cauſarum naturalium occultarum coniunctionem, ſed reuera non ſunt miracula, ſed mendacia potius, Quod Paulus indicat, 2. ad Theſſalonicenſ. ſecund. vbi Antichriſtum in ſignis mendacibus, & prodigijs appariturum, ſecundùm operationem Sathanæ, ſcribit. *2. Theſ. 2.*

Quid,

Apoc. 13. Quid,quod Apoc. 13. dicitur de beſtia ſecunda, quòd egerit ſigna magna, ita quòd & ignem cœlo deſcendere fecerit? Verùm talia ſigna ad oſtentationem potius fuerunt, quàm ad vtilitatem. Meſsias autem omnia ſua ſigna operatus eſt ad hominum vtilitatem. Sed obijciet quiſpiam, Imo & mali miracula faciunt, & vera

Mat. ca. 17. etiam ſigna promunt, vt legimus Math. 17. & tamen illis quoque dicturus eſt, non noui vos. Reſpondeo: His tametſi Dominus non adſit per gratiam, adeſt tamen eis per miraculorum operationem: quæ cùm non fiant ab eis in nomine ipſorum, ſed in nomine Dei, non probant eos eſſe bonos, & ſanctos, ſed ſanctum eſſe nomen illud, in quo facta ſunt, ac veram eſſe doctrinam quam prædicant. Hic quæſo pauliſper animaduerte ſtudioſe Lector, doctrinam omnẽ veris miraculis, præſertim dum recens affertur, confirmari ſolere. Sic Moyſes Pharaoni preceptum Dei, de educendo Iſraele demonſtrans, confeſtim legationem ſuam miraculis confir-

Exod. ca. 4 mauit. Imo cùm veterem legem, tabulaſque Dei digito perſcriptas acciperet, nonne fumi, igniſque miracula in monte choruſcauerunt,

Exod. 32. veluti duabus tabulis, datæque legi ſuffragarẽtur? Vbi verò nouam legem, ſacrumque baptiſmum adnunciandum inſtitueret Chriſtus, iube-

Mar. ca. 16 retque euangelium toti mundo aperire, Apoſtolos miracula ſecutura, ac veluti conciones eorum confirmatura prędixit. Neque mirum id

Gerſon. cuiquam videri debet, cùm, teſte Gerſone, nihil aliud ſint miracula, quàm ſigillum quoddam Dei, quo vtitur in teſtimonium, & confirmationem

onem veritatis. Quid? Nonne & reges, ac principes in veritatis atteſtationem ſigillo vti conſueuerunt? Rectè igitur Nicodemus ex diuinis ſignis, miraculiſque Chriſti doctrinam cœleſtem veriſsimamque iudicauit. Huc facere poteſt, quod dixit mulier Sareptana ad Eliam: Nunc in iſto cognoui, quòd vir Dei es tu. Id eſt, non me fallis, non me ludificaris: miraculum enim iſtud tam pręclarũ, & irrefragabile, apertè conuincit verbum Domini in ore tuo verum eſſe. Quapropter monuero hîc lubenter Chriſtianos omnes, ne faciles, pronaſque Caluiniſtis, aut Mennoniſtis præbeant, donentque aures, præſertim cùm nuperam, nouitiamque nobis propinent doctrinam, nullis miraculis, nullis prodigijs ratam, confirmatamque. At faciunt, reſpondebit quiſpiam. Quænam obſecro? Enumera quæſo ô bone: Sed fortè eas illis virtutes, ac ſigna quæ Tertullianus tribuit, tu quoque lubenter concedis, nempe quòd clarê conſpicientes, cæcos, & viuos mortuos efficiant, nimirum Apoſtolos in peruerſum imitantes. Quòd ſi hæc miracula ſunt, & corui, dum roſtro puerorum configunt oculos, & vrſi, lupique, dum homines lacerant, miracula edunt.

3. Reg. 17.

Tertul. li. de praeſcriptione haereticorum.

Rabbi ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Hęc profeſsio Nicodemi. Quæ licet ex animo candido, ac minimè prauo proficiſceretur, longè tamen erat infra Chriſti dignitatem. Sed altius noſter coruus adhuc ſubuolare nequiuit, nihil enim aliud Chriſtum eſſe credebat, quàm prophetam aliquem inſignem, ſed cui Deus vnicè faueret. Longè apertior, & magnificentior D.

Petri Apoſtoli fuit profeſsio. Tu es Chriſtus fi-
Math. 16. lius Dei viui. Et Apoſtoli, qui nõ tantũ magi-
ſtrum, ſed & Dominum confitebantur. Vos vo-
Ioan. 13. catis me (inquit) magiſter & Domine, & bene dicitis. &c. Nunc autem audire operæpretium eſt, quid IESVS ad tam amicam, & candidam profeſsionem reſpondeat, & an repulerit à ſe, abieceritque nocturnum iſtum, hoc eſt, intempeſtiuum ſalutatorem. Nequaquàm repulit, ſed potius tanquam rudem adhuc, & non ſatis inſtructum diſcipulum, ad ſublimiora prouexit.

Amen amen dico vobis, niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. O benignum ac comem Dominum. Non exprobrat nouitio diſcipulo (qui adhuc lacte indigebat) ſuam ruditatem, atque inſcitiam, ſed paulatim potius prouehit ad penitiora Euangelij myſteria. Non refellit erudiri cupientem, non deſtituit imbecillem, ſed ouiculam adhuc phariſeorum metu palpitantem, medico ſinu excipit, ac informat ad robur Euangelicum, tranſfertque ab affectu carnali ad intelligentiam ſpiritualem. Poterat Chriſtus quibuſdam videri non ſatis aptè Nicodemo reſpondere, niſi interpretatio Theophilacti opitularetur, lucemque dictis IE-
Theophil. SV afflaret. Quandoquidem (ait) Nicodemus humilem haberet de Chriſto opinionem, nempe quòd magiſter eſſet, & quòd Deus ei adeſſet, dicit ei Dominus: Meritò de me ita ſentis Nicodeme, nondum enim ſupernè, vel denuo natus es, ſed potius adhuc carnalis es, atque ob id & tua quoque de me opinio carnalis prorſus eſt, & humana. Hoc verò tibi ſit perſuaſiſſimum, niſi

mum,niſi exuta hac tam humili & carnali opinione, nequaquam te ad ſublimiora myſteria conſcendere poſſe. Eijciunda eſt tibi carnalis perſuaſio,vt iterum ſupernè veluti naſcaris, ac tum noua,& vera imbueris de me exiſtimatione,vſqueadeo vt aptus fias, qui videas regnum Dei,quod alioqui fuerit impoſsibile fieri.Intelligit verò Theophilactus, Chriſtum ad parandum fidelibus regnum cœlorum, à patre huc demiſſum.Verùm(vt non refellam Theophilactum)ſimplicius fuerit intelligere, ſaluatorem (quoniam ſatis agnouit Nicodemum idcirco noctu acceſsiſſe,vt acciperet aliquam vitæ,ſalutiſque ſuæ rationem)primò eum voluiſſe inſtruere,atque ab eo exordiri cepiſſe,quod in ordine Chriſtianiſmi, ſalutiſque noſtræ primum eſt.Sed Nicodemum audiamus, carnalibus adhuc inuolucris inhærentem,ac veluti in craſsis faſcijs verſantem. *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, quum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* Carnalis adhuc & animalis Nicodemus non ſapuit,quæ Dei ſunt.Non enim intelligit,cùm ſpiritualiter examinatur.Nihil tale vnquam vel audierat, vel legerat, eratque illi prorſus nouum,& paradoxum,hominem poſſe renaſci. Imò ſupra omnem captum, arbitrabatur hominem intra materna viſcera iam recipi, ac deinde in lucem effundi. Cogitabat igitur, quid de ſe iam grandæuo, & ſene ſtatueretur,tam grandibus oſsibus, tam magnis membris,neruis,membriſque coherente. Ecce quàm non aſſurgat homo noſter carnalis, ſed 1.Cor. 2.

potius ſemper humi repat. Hoc verò obiter animaduertendum eſt optimè intellexiſſe, & dixiſſe Nicodemum, natiuitatem corporalem non poſſe repeti: vnde & nos quoque aſſeuerabimus ſpiritualem non poſſe iterari, quod & Auguſtinus ait: Vterus vt non poteſt repeti, inquit, ita nec baptiſmus. Quæ verba non leuiter pungunt anabaptiſtas, qui nihil ęquè ſtudēt, atque retingere in Chriſto I E S V ſemel baptizatos. *Reſpondit I E S V S: Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Non offenſus fuit Dominus tam craſſo hominis reſponſo, incredulitatem quandam præ ſe ferente, propterea quòd cupidum cerneret doctrinæ cœleſtis hauriendæ. Quòd ſi Nicodemus incidiſſet in phariſæum quempiam faſtidioſum, repulſam cum indignatione proculdubio retuliſſet: Verùm benignus eſt ſpiritus I E S V, neque grauatur hîc interpretari, quod prius obſcurius dixerat. Vult igitur Dominus docere, quod quemadmodum opus eſt patre & matre, priuſquam quis ingrediatur in vitam hanc temporalem, regnumque commune huius mundi cum cæteris mortalibus poſsideat: ita vt quis introêat in vitam illam æternam, regnumque ſpirituale, neceſſum eſt eum ſpiritualiter renaſci, idque ex aqua, & ſpiritu. Vt autem tum aqua, tum ſpiritus, ad hanc regenerationem deſiderentur, nequaquam abſurdum eſt. Quis enim dubitet, hominem ex duabus partibus longè etiam inter ſe diuerſiſsimis, eſſe conſtitutum? Altera pars viſibilis, altera inuiſibilis eſt. Portionem inuiſibi-

Auguſtin.

inuiſibilem ſpiritus inuiſibilis, viſibilem verò viſibile tangit elementum. Corpus aqua, mentem ſpiritus abluit, & renouat. Deinde per viſibilem aquam ſignificatur mater regenerati, nempe viſibilis, ſenſibiliſque Eccleſia: per ſpiritum verò oſtenditur eius Pater, ſcilicet Deus. Nunc Chryſoſtomum audiamus: Quod embrioni (ait) eſt matrix, hoc fideli eſt aqua, ſiquidem in aqua fingitur, & formatur tanquam in matrice. Dictum eſt olim, Producant aquæ reptile animæ viuentis, ſed ex quo Iordanis alueum ingreſſus eſt, Chriſtus non amplius reptilia, ſed animas rationales aqua producit: & quod de ſole dictum eſt, tanquam ſpõſus procedens de thalamo ſuo, hoc longè potius de fidelibus iam in præſentia dici poteſt, cùm animæ recens baptiſmo admotæ, & ablutæ multo ſole clariores diffundant radios. Sed rurſus mihi vide baptiſmalis aquæ excellentiam, & dignitatem. Quod in matrice formatur, tempore indiget, paulatimque abſoluitur, quod verò in aqua molitur Deus, mox perficitur. Ecce terra excidimus, haud digni quibus hic Deus habitationem concederet, & nos in cœlum permittit viam moliri, & per aquam, & ſpiritum ad æterna tabernacula graſſari. Non amplius mater, non enixus, ſeu parturigines, non ſomni, non amplexus. Nouum iam intexitur naturæ noſtræ opificium à ſpiritu ſancto, & aqua. Hactenus Chryſoſtom. Adam, & Eua gignunt nos ad æternam damnationem, quapropter alios habere parentes oportet, ſi profligata damnatione, vi-

Chryſoſt. in Ioannem homil 25.

Geneſ. ca. 1

Pſal. 18.

tam cupimus perpetuam. Sed qui erunt noui iſti parentes? Deus & Eccleſia. Sed rogabis (inquit Theophil.) Quî poteſt aqua gignere,& producere? Rogo te(inquit) viciſsim, quomodo ſemē quid producere poteſt,& ipſum aquoſum exiſtens? Sed dices. Non video partum, aut generationem: fide hæc videntur, fide comprehenduntur. Dic quæſo mihi, vidiſti aliquando animā tuā? Nequaquam, reſpondes, ſed fide credo illā, imò potius ſcio eſſe. Igitur ſcito,& credito, animas ex vnda baptiſmali generari, tāetſi non videas: homines efficimur, & ſumus è parentibus geniti, ſed Chriſtiani efficimur ex aqua,& ſpiritu, Huc illud Tertulliani: Chriſtianus non naſcitur, ſed fit. Omnes enim naſcimur filij iræ,& egemus gloria Dei. Niſi igitur quis renatus fuerit, ira Dei manet ſuper illum. Proinde niſi puer renaſcatur, non poteſt introire regnum Dei, quod gratia aperit, ira autem, & peccatum claudit. Patet autē quod & paruuli peccatum habeant, quanquam in eis non ante appareat, quàm adoleſcant, & grandeſcāt. Nam dum paruuli ſunt, latet in eis peccatum, & effectus potiùs peccati, nō aliter atque ſcintilla ſub cinere, quæ remoto eo, incendium nonnunquam producit. Videmus enim quàm proterui, & impij ſubinde ſint paruuli, dū vel bacillo, vel manu matres cedunt, ac verberant, tametſi per ætatē non intelligant ſe malè agere. Quod profectò non facerent, niſi in Adamo olim peccauiſſent. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto.* Scito verò Lector candidiſsime, renaſci hîc non eſſe renouari, ſicut ferè

Epheſ. 2.

Roman. 5.

accipiunt

accipiunt quidam,ſed ſignificatur, quòd debeamus fieri prorſus noua creatura, nec mutari, ſed potius reparari. Exemplo rem faciam luci-diorem. Quando è rota figuli excidit recens,ac noua teſta,rurſus ea in rotam ſubrigitur, leuaturque: tum figulus admota manu, cõſperſam prius aqua, reparat, reuocatque ad priſtinam formam. Sic cùm ante lapſum in gratia,& iuſtitia originali fuimus,poſtquam excidimus,ad eandem innocentiam per lauachrum regenerationis reuocamur, audemuſque ad antiquum decus aſpirare. Porrò fidelibus omnibus operæpretium eſt ſcire, quòd quemadmodum circũcifio ſignaculum fidei eſt, quo Iudæi à cæteris gentibus,ceu teſſera quadam diſcernuntur, ita Chriſtiani ab ethnicis,& infidelibus,baptiſmo. Quapropter nulla prius functione ſeu munere in Eccleſia rectè quis vti poteſt, abſque hac teſſera & ſigno: Vnde & ſacramenta omnia Græcis σuμϐολα, vel etiam σuνθήματα appoſitiſſimo vocabulo appellantur. Sunt enim teſſeræ, atque ſynthemata ſigna quædam profeſſiua communionis cuiuſdam,& ſocietatis: Sic Phratores apud noſtrates ſodalitij S. Georgij, aut Sebaſtiani ſynthemata, teſſeraſque ex argento affabrè factas,in dextro, aut leuo humero conſpicuas preferunt. Ita in bello,ſigna quędam milites gerebant, vel ex plumbo, corio, pannóue compoſita, vnde procliuè cognoſcere erat,ſub quo duce,vel Imperatore merebant, aut ad quem exercitum pertinebant. Hæc ſigna,teſſeræ dicebantur militares, quibus etiam vtebantur confæderatæ alterutrum,inter ſe ci-

uitates, quæ appellabantur teſſeræ hoſpitales. Non aliter igitur nos quoque per noſtra ſacramenta, cenſemur eſſe de exercitu Chriſti, profitemurq; vnà nos ciues eſſe ſocietatis in Chriſto collectæ, ciues, inquam, ciuitatis, hoc eſt, Eccleſiæ Dei. Hinc profecto adducor, vt credam à ſacris ſcriptoribus hæc ſigna dici ſacramenta, cùm ſacramentum propriè dicatur iuſiurandū, quo ſe milites adſtringunt ſuis ducibus: quod ideo ſacramentum aptè nuncupabatur, quia ſacrum erat, & inuiolabile.

Quod natum eſt ex carne, caro eſt. & natum ex ſpiritu, ſpiritus eſt.

Poſteaquam oſtendit ſecundam generationem longè à priore eſſe diuerſam, oſtendit iam quantum ſit diſcrimen inter id quod priori producitur natiuitate, & id quod editur poſteriori. Ex quo diſcrimine ſatis indicat, quòd neceſſum ſit, hominē carnaliter natum renaſci ſpiritualiter, 1. Cor. 15. niſi malit excludi à poſſeſsione regni, præſertim cùm dicat Apoſtolus, carnem, & ſanguinem regnum Dei poſsidere non poſſe. Simile de ſimili naſcitur. Quātum autem intereſt inter carnem & ſpiritum, inter corpus & Deum, tāto interuallo inter ſe diſsident, ſpiritualis generatio, & ea qua corpore corpus propagatur. Carnem ſapiunt, qui iuxta carnem ſunt nati. Atqui ea quæ non videntur, præſtātiſsima ſunt, vimq́ue maximam habent, quum caro ſit infirma, & impotens. Quapropter cùm alia ſit naſcendi ratio, non eſt quod mireris, homini ſecundum carnem nato, aliam debere contingere natiuitatem, videlicet ſecundum ſpiritum inuiſibili-

inuiſibiliter, vt ſic filius Dei factus æternæ capiat ſalutis hæreditatem, ac ius regni. *Quod natum eſt ex carne. &c.* Ex carnali homine prognatus, ſimiliter carnalis eſt, & non Dei. Hanc Chriſti ſententiam elegantiſsimè, & acutiſsimè tractat D. Auguſtinus, fruſtra (inquit) argumentantur aduerſarij, vt dicant: Si peccator genuit peccatorem, etiam iuſtus iuſtum gignere debuit: quaſi ex hoc quiſque gignat carnaliter, quòd iuſtus eſt, & non ex hoc, potius quòd in membris eius concupiſcentialiter mouetur, & ad vſum propagandi lex peccati mentis lege conuertitur. Ex hoc ergo gignit, quod adhuc vetuſtũ trahit inter filios ſeculi, non ex hoc, quod in nouitatẽ promouit inter filios Dei: Filij enim huius ſeculi carnaliter generãtur, & generãt. Inde & quod naſcitur, tale eſt, quia & quod naſcitur de carne, caro eſt. Inquantũ aũt iuſti ſunt filij Dei, carne nõ gignũt, quia ex ſpiritu ipſi, nõ carne ſunt nati. Sed ex hoc carne gignunt, quicumque eorum gignunt, ex quo nondum in nouitatem perfectam totius vetuſtatis reliquias commutârunt: vnde quiſquis filius de hac parte naſcitur vetuſta, & infirma, neceſſum eſt, vt & ipſe vetuſtus ſit, & infirmus: quapropter oportet etiam, vt ipſe in aliam generationem per remiſsionem peccati, ſpiritu renouetur. Quod ſi in eo non fit, nihil ei proderit pater iuſtus, ſpiritu enim iuſtus eſt, quo eum non genuit: ſi autem fit, nihil ei oberit pater iniuſtus.

Aug. li. 2. de peccatorum meritis cap. 9.

Non mireris, quia dixi vobis: oportet vos naſci denuo. Spiritus vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat. Homines

carnales vident aliquando aliquem per ſpiritum ſanctum innouatum, & tum rogant, vnde iſta ſit mutatio, & aiunt: Quæ illum agunt intemperiæ, quæ phantaſmata, quæ nouandi libido? Neſciunt profectò iſti, vnde veniat iſte ſpiritus, qui mētem hominis eius tā potenter afflauit. Neſciūt quoq; quò vadit idem ſpiritus. Ita enim loquuntur: Quid miſellus hic tā duris, & crudis laborib⁹ ſibi querit? Quid meditatur, quid molitur? Si ita pergat, omnibus erit & ludibrio, & odio. Profecto huiuſmodi homines ignorāt, quo vadat ſpiritus, quóue ſuos ducat, nempè ad vitam æternam. Hic finis motionis ſpiritus. Exempli gratia: Apoſtoli erant per ſpiritum ſanctum renati, quos cùm plurimi vidiſ-
Act. 2. ſent, dixerunt: Hi muſto pleni ſunt. Neſcierūt omnino, vnde ad eos acceſſerat ſpiritus ſanctus. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis.* Spirat, quando, & vbi vult, nihilque eum remorari, aut auertere poteſt. Electos ſuos afflat, eiuſq; vocē homines hauriūt. Nā in ſanctis loquitur, verū vnde illis adueniat, quóq; eos agat ignorant. Prophetas audiebat populus diuina differentes, ſed vnde, aut quo ſpiritus ſanctus duceret, prorſus erant neſcij. Saûlem ſpiritu vacuum, prophetiæ ſpiritus inuaſerat, & vox prophetica ex eo audiebatur: verùm vnde illi ſpiritus adueniret, & quo abiret, vulgo neſcie-
Chryſ. batur. Hanc interpretationem amplectitur
Cyrillus in Auguſtinus, & pleriq; Latini. At Cyrillus, Chry-
Ioannem ſoſtomus, aliíque Græci, cùm dicitur, *Spiritus vbi vult ſpirat,* intelligunt, ventum eſſe, ſeu
Eraſmus. ſpiritum. Quos ſequitur Eraſmus in paraphraſibus:

ſibus: cuius verba, quòd peruenuſta ſunt, aſſeribo. Hic aër, à quo vegetamur, & cuius tãtã vim, & vtilitatem ſentimus, quoniã ad noſtra corpora collatus ſubtilior eſt, ſpiritus dicitur. Atque hic ſpiritus non cohibetur hominum arbitrio, ſed impetu ſuo fertur, quo viſum eſt, per omnia ſeſe diffundens, mirificam vim inferens rebus corporalibus, nonnunquam vitam ſpirans, nonnunquam mortem, nunc tranquillus, & placidus, nũc rurſum violentior: interim ab oriente, interim ab occidente, interim ab alijs, atque alijs mundi partibus effectus ſuos pfoferens: ac vocem illius audis, quum nullum corpus videas, ſentis præſentem, nec cernis venientem, nec vides quò ſe proripiat abiens. Tale quiddam habet hæc ſpiritualis natiuitas. Arcanis afflatibus hominum mentes à Dei ſpiritu rapiuntur, ac transformantur. Vis, et effectus ineffabilis ſentitur, nec tamen oculis cernitur id quod agitur. Nicodemus adhuc craſsior, nõ repugnans tamen IESV verbis, ſed ſermonis intelligentiam non aſſequens, ait: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Pulchrè hic Chryſ. Signum (inquit) infidelitatis eſt de Dei potentia, quando quæritur: Quomodo poſſunt hæc fieri? Non ſic Maria, ſed dicit: Quomodo fiet iſtud? De modo quærit, non de potentia dubitans. Sed Caluinus dubitat, & ideo agnoſcitur infidelis, quando quærit, quomodo idem corpus poteſt eſſe in diuerſis locis. *Reſpondit IESVS, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Tu haberis magiſter, & doctor populi, & hæc quæ in primis te ſcire oportuit, ignoras? Si lumẽ, quod in te eſt,

Caluini error.

in te eſt,tenebræ fuerint, quomodo caliginem amantibus populis prælucebis ? Si ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur ? Quantum populus abeſt à vera doctrina, ſi tu tantus doctor, hæc non aſſequeris?

Amen amen dico tibi: Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus, teſtamur: & teſtimonium noſtrum non accipitis.

Dicis te ſcire Nicodeme, quòd à Deo exiuerim. Si hoc credis, crede etiam narranti, quæ apud patrem præſens contemplatus ſum, imò quæ audiui à patre. Quòd ſi nolis meis verbis habere fidem, certum eſt, non ex animo te dixiſſe, me à patre magiſtrum deſcendiſſe in mundum. Quòd autem hic dicitur pluraliter, quod ſcimus, loquimur: arbitrantur quidam, Chriſtum hic loqui de ſe, & Ioanne Baptiſta. Alij intelligunt de omnibus prophetis, qui conſentanea Chriſti doctrinę ſunt locuti. Verum (vt apertè dicam quod ſentio) in ſolum Chriſtum hæc verba competere iudico, propter verba quæ proximè ſequuntur, cùm dicitur: Nemo aſcendit in cœlum &c. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Id eſt, ſi non creditis mihi, in his quæ modò dixi craſsioribus myſterijs, quæ doctrinæ Euangelicæ ſunt rudimenta, quomodo credituri eſtis, ſi alia longè ſublimiora, quæ ab his quæ modò dixi, tantum diſtant, quantum cœleſtia à terrenis, vobis aperire cepero? Sic interpretãtur Chryſ. Theoph. & Cyrillus, vt ſilentio tranſmittam quid Latini Auguſtinus, & Rupertus cum alijs ſentiant,

tiant, cùm modò Græcos ſequi malim. Sic igitur intelligas velim. Si aëris huius impetum & naturam cùm ſentias, non tamen ingenio conſequi potes, quomodo conſequeris hæc lõgè ſublimiora? Si exemplum à terrenis, & craſſis rebus ductum non creditis, quomodo altiora credetis?

Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.

Chriſtus his verbis voluit oſtendere rationem, quare ei meritò fides ſit habenda, cœleſtia prædicanti, & ſi primus ipſe hæc cœperit prædicare in terris. Nemo enim cœleſtia ita exactè nouit, vt ego. Quis enim vnquam aſcendit in cœlum? Neque tamen quiſquam imaginetur, aſſcendere hîc motum ſignificare, ſed aſſcendiſſe in cœlum nihil eſt aliud, quám omnia celeſtia contemplatum eſſe, imò & quęcũque Dei ſunt, perſpectiſsima habere, eaque accuratiſsimè colluſtraſſe. Similem locum habes pſalm. 72. Exiſtimabam, vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me. Donec intrem in ſanctuarium Dei, id eſt, donec à rebus terrenis abſtractus, cœpero diuinæ diſpenſationis rationes expendere. Similem quoque locum ſupra habes: Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Porrò deſcendiſſe cœlo dicitur Chriſtus, non quòd cœlum deſeruerit, ſed quia diuinitas in cœlis exiſtens, humanitatẽ aſſumpſerit in terris: vel quia & ipſum corpus quod aſſumpſit, conceptum ſit ex ſpiritu ſancto. Itaque & ſecundum naturam humanam, & ſecũdum diuinã deſcẽdit è cœlo. Nemo igitur

Cyrillus. Ianſenius. Pſal. 72. Ioan. ca. 1.

(vti

(vti clarè hic Eraſ.) aſcendit in cœlũ,niſi filius hominis,qui è cœlo quidem huc deſcendit, ſed qui nunquam tamen à diuinitatis contemplatione ſit ſecluſus,quamlibet humilis,& obſcurus videatur in terris. *Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis,vt omnis qui credit in ipſum,non pereat.&c.* Proximè oſtendit Nicodemo Chriſtus,ſe Deum eſſe,& ſe ſimul hîc,& in cœlo eſſe poſſe: nunc ad humanitatem ſuam à diuinitate tranſit, hoc eſt,ad aptiſsimum redemptionis noſtrę inſtrumentum.Locutus autem de regeneratione,quę baptiſmo efficitur, iam neceſſum erat cognoſcere, per quã potiſsimum rem homo beneficium regenerationis ſuſcipiat. Neque miretur quiſpiam, regenerationem hanc beneficium à me appellari,cùm per eam ex perditis ſeruulis filij, ex terrenis cœleſtes: ex miſellis exulibus hæredes regni ſimus. Cùm igitur Chriſtus Nicodemum candido, & beneuolo ad ſe animo eſſe profectum cognouiſſet,tanquam diſcipulũ, & ſi rudem, mortis, paſsioniſque ſuæ myſterium(vnde non baptiſmus modò, ſed & omnia ſacramenta vim habent,atque efficaciam) docet,conferens obitum ſuum,atque in crucis arbore exaltationem ſerpenti illi, quem Moyſes (Domino iubente) contra morſus ignitarum anguium, in deſerto à pertica ſublimẽ ſuſpendit. Serpentes momorderant populum, ſed capto conſilio diuino, ſaucius iam populus ſerpentem Domino offert,atque in aëre aëris Domino ſuum ſupplicium, ſuaque incommoda oſtendit, ac veluti præſentat. Quemadmodum

Numeri cap. 21.

& ægri

& ęgri potionem amará medico demonſtrant, quam ab eo bibere iubentur. Salutifera profectò ſunt mala, quæ nos premunt, ac vrgent, ſi ea læto, æquóue animo offeramus. Sic Philiſtæi à muribus miſeris modis vexati, aureos mures offerre iubentur, Deoq́ue pręſentare, vt his quibus flagellati erant, Domino pręſentatis, plaga immiſſa ceſſaret. Sic Eſdras offert Deo verba Sanaballath, & complicū eius. Memento (inquit) Domine verba Sanaballat &c. Nihil dubium, quin virum pium, & Deo deditum vehementer morderent impia illa impijſsimi viri ſcommata. Nunc & aliud oculis noſtris conſpiciendum obijcitur. Referunt Hebræi hominem ſerpentino morſu ſaucium, confeſtim viſo ære candenti emori: Deus verò noſter, ne non apertè commonſtret opera ſua à mortalium operibus eſſe aliena, & ſeparata, candentis æris aſpectu viuificat, & ſanat. Quòd ſi rem altius veſtigare, & expēdere velis, cernes te morte viuificatum, vulneribus ſanatum, & paſsione à paſsionibus liberum. Leuari autem Chriſtum crucifixum in medio Eccleſiæ, vel prægrādem ibi crucem omnibus facile conſpicuam, auctor eſt B. Nilus, epiſtola ad Olympiodorum. Habes iſtud in Concilio ſecundo Niceno Act. 4.

1. Re. c. 6. 5. — 2. Eſdr. c. 6. — Nilus Epiſcopus.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Nicodemus dictio Græca eſſe poteſt, vt ſignificet victoriam populi, ſeu vulgi, vel potius victor populi, ſicut & Nicolaus.

SECVNDA.

Niſi quis natus fuerit denuo. ἄνωθεν, *Dictio anceps eſt, ſignificans vel deſuper, vel denuo: Sed*

enim

enim in hoc textu potius denuo ſignificat quod clariſſimè arguunt ſubiecta Nicodemi verba, Chriſtum interrogantis, quo pacto quis poſſet rurſus maternum vterum ſubire, & in lucem edi, & tum ἄνωθεν, idem eſt quod πάλιν.

TERTIA.

Neſcis vnde veniat, aut quo vadat. *Quis enim nouit, vnde proſlent venti? Nam & ſi in generali cognoſcamus vẽtorum principium, non tamen in ſpeciali Nequaquam ſingularem illum locum habemus cõpertum, vnde aut oriantur, aut vbi deſinant.*

QVARTA.

Nemo aſſcendit in cœlum. *Thomas Caietanus intelligit, Chriſtũ iam aſſcendiſſe in cœlum ſecundum animam, quia illa iam à principio conceptionis eius, erat conſecuta beatificam fruitionem Dei. Sed, tanti viri pace, coactior hæc eſt interpretatio, quàm cui ſubſcribere velim.*

QVINTA.

Filius hominis qui eſt in cœlo. *Filium hominis eſſe in cœlo, & deſſcendiſſe è cœlo, contra Neſtorium eſt, qui Mariam appellãdam negauit Θεοτόκον, id eſt, Deiparam. Nam cùm dicimus, Chriſtum aſſcẽdiſſe in cœlum, hoc non competit ei, niſi tanquam filio Dei & Deo, non tanquam filio hominis. Vnde clariſſimè ſignificatur, vnam eſſe filij Dei, & filij hominis hypoſtaſim, & perſonam. Itaque quæcunque dicuntur de filio Dei, etiam verè de filio hominis dici poſſunt, & contrà.*

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST
TRINITATIS EVANGELIVM

Lucæ cap. 16.

HOmo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.

Non magnopere referre arbitror, an hoc euãgelium hiſtoria ſit, an parabola: ſed hoc cum primis profuerit, illum, qui hic priorem Euangelij huius locum obtinet, auerſari, moreſque potius Lazari, qui locum tenet poſteriorem, pro virili æmulari. Diuitis verò nomen non exprimitur (quanquam Nineuſin appellet Euthymius) Quid enim atheum nepotẽ nominet Deus, qui nihil dum viueret, ſomniauit aliud, nihil curauit aliud, quàm aqualiculum, & loculos cibo nummiſque farcire? Ne nomine quidem illum dignatur, cuius nomen in libro vitæ ſcriptum non fuit. Sed filij huius ſæculi diuitum nomina memoriter norũt, pauperum verò obliuiſcuntur. Porro tria huic lurconi Deus tribuit, quæ hominem ferè in hac vita (ſi vulgi calculum ſequi velimus) beatum efficiunt, diuitias videlicet, & ex diuitijs paratas veſtes precioſas, quæ pertinent ad gloriam, & vitæ ſplendorem: & lauta conuiuia quotidiana, quæ faciunt ad carnis voluptatem. *Epulabatur ſplẽdidè.* Id ad lautitias ciborum pertinet, deinde & ad conuiuij magnificentiam, & ſplendorem, cum Græcè ſit λαμπρῶς, hoc eſt, magnificè, ac præclarè: Vnde in his tribus obſeruare *Euthymius.*

L possumus,

1.Io.ca. 2: poſſumus, quæ Ioannes habet, prima ſua epiſtola ca. 2. concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum,& ſuperbiam vitæ. Diues igitur iſte tum ob nobilem luxum, tum ob vitæ ſplendorem, non potuit eſſe non omnibus notiſſimus, ſibi autem ignotiſſimus, nec Deo ſuo probatus. Amat autem vulgus auidè veſtigare diuitum nomina. Nam ſi quem videat magna pompa veſtium incedentem,aut heroïnam aliquam prolixo ſyrmate plateas verrentem, confeſtim ſciſcitatur, vnde ille,aut iſta ſit: quod illi nomen,quæ dignitas,quæ patria. At ſi decem videat mendicos, horum ne genus quidẽ,
Iac.cap.2. nomẽ,aut patriam diſcere cupit. Habet hac de re grauem obiurgationem D. Iacobus Apoſtolus. Si introierit(ait)in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens,in veſte candida: introierit autem & pauper ſordido habitu,& intendatis in eum,qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hîc bene,pauperi autem dicatis: Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedũ meorum: nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum? At Chriſtus nihil moratur, vel oſtrum, vel purpuram, nihil vitæ nitellas aut philocoſmiam. Virtus illi placet, quæ eſt ornatus hominis interioris,quam ſi in Iro quopiam,aut Lazaro conſpiciat,eius conſcribit nomen in libro vitę. Hic quæret aliquis, num reprehendendæ, aut ſtilo confodiendę ſint diuitiæ? Nequaquam, ſed his abuti ad immodicum luxum, vitio dari debet. Locupletes erant patriarchæ, ſed aberat philochrematia,hoc eſt,amor pecuniæ, & vt ait Poêta, ar-

ēta, ardor ſceleratus habendi. Non habere nū-mos,ſed ſupra modum eos appetere nefas, & ſcelus eſt. Rectè locupletiſsimus ille rex Dauid: Diuitiæ ſi affluant,nolite cor apponere. *Pſal.61.*

Propriè dicuntur opes affluere, quæ citra noſtrum laborem, atque induſtriam obueniunt, videlicet aut hęreditate inſperata,moriente ac diſcedente hinc ſine liberis patruo, aut amita decrepita,aut principum, patritiorum,regumque munificentia, ac liberalitate. Non tamen iſtæ opes damnoſæ nobis ſunt,ſi rectè vtamur, quanquam ardua res hæc ſit, opibus non tradere mores.Cor igitur in vitio eſt,ipſę opes nō damnant.Intellexit hoc D.Paulus,dum Timotheo ſcriberet: Qui volūt diuites fieri,incidunt in tentationes,& in laqueum diaboli. D. Ioannes Chryſ. comparat hominem diuitem fluctibus marinis, quia vt illi modò in ſublime extolluntur, vt nubes ipſas lambere videantur, modò verò ad ima deprimuntur, ſic animus illius,qui non eſt in Deo diues, nunc ſuperbiendo,ſe iactando,inaniter vociferando in ſublimē tendit: nunc rurſus ſi mutata ſorte, ac fœlicitatis perpetuæ dirupto filo, quippiam illi deceſdit,ac perditur, totus deijcitur,ac adhæret pauimento anima eius. D. verò Aug. locupletes comparat arboribus, quæ vermes, aut cariem patiuntur.Vt arbores(ait)pulchræ vermes habent.à quibus arroduntur,ita ſuperbia eſt vermis diuitiarum. *Induebatur purpura & byſſo,* Purpura aut regum, aut regibus proximorum nobilium eſt veſtimentum. Prouerb.31. de nobili illa matrona, quam Eccleſiam Beda eſſe

1. Tim. 6.
Homi. 22. in geneſ.
Aug. epiſt. 121 ad Probam.
Prouer. 31.

dicit, ſcriptum eſt, quòd indumentum eius fuerit purpura. Daniel propheta, cùm vel ſatraparum facile primus, apud regem Babyloniorum eſſet, purpura amiciebatur. Meretrix illa Babylonia, de qua D. Ioannes agit, purpuram induta luxuriebatur. Digna eſt eccleſia, dignus eſt Daniel purpura ſua, ſed quis ferat eam in Coridone ruſtico, aut Nabale? Decet regem geſtare purpuram, non decet ruſticum quamlibet nobilem. De byſſo autem, quam Latini ſericum appellant, quid dicam, cùm eò creuerit noſtræ ætatis luxus, vt non nobiles ſolùm, ſed & mercatores eo vtantur? At Romę olim, Cornel. Tacito atteſtante, decretum fuit, ne veſtis ſerica viros fœdaret. At noſter Nabal geſtat purpuram, & byſſum. Quid igitur ſibi volunt Romani tali decreto? Quid aliud, quàm vt byſſus, ſeu ſericum ablegetur ad mollitiem fœminarum, cùm fœdet potius viros, quàm ornet? Nunc verò ita cæcutit mundus, vt ad viliſsimi ordinis homines famulos, & pediſſequos peruenerit, atque ex eo canum, equorumque ſtragula, & dorſualia fiant. Imó (quod grauiter queritur Baptiſt. Platina) adeo ſe in luxum, & libidinem effundit, non prophani duntaxat, ſed etiam eccleſiaſticus ordo, vt non modò homines, ſed & equos videas coccinatos. Quòd ſi quempiam purpuram, aut byſſum geſtare decet, quoniam conſul eſt, proconſul, rex, aut Imperator, optarem illum gerendo Rempublicam terrenam, cor habere ſurſum. Contemnat, in quibus eſt: et ſperet, in quibus nondum eſt. De quo genere fuit ſancta illa mulier, quæ ait, eo loco

Apoc. 18.

Tacit. li. 2.

Volaterranus. li. 27.

Platina in vita Gregorij 4.

eo loco ſibi eſſe ornamenta regalia, quo eſt pā- *Eſth.ca.14*
nus mulieris menſtruatæ. Et ſic fieri poſſet, vt
ciuis regni cœlorum purpuram innoxiè gere-
ret, dum adminiſtrat in terra. Reprehenditur *Mat.ca.11.*
ergo diues iſte de veſte nimis molli, & precio- *& 3.*
ſa, quemadmodum & Baptiſta apud Mathęum
de vili, & ſimplici commendatur. Vnde erudi-
mur, nonnihil referre, quibus induaris. Ratio
atque æquum poſtulat, vt tegatur caro, non
luxuriet. Neceſſaria enim cupit, non ſuperflua.
Locus hic eſt remis, veliſque in philocoſmiam,
veſtimentorumque luxum inuehendi, qui ita
noſtram hanc inferam Germaniam occupauit,
vt ſcelere vix alio magis ſimus exteris luſui, &
riſui. *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus.*
Habet hic epulo, in quem ſuperflua eroget, in
quem ſit beneficus. Habet expoſitum alueum,
in quem fontis exuberantis aquas diriuet, ne
grauiter oleant, dum nuſquam fluunt. In hoc
enim nobis Deus ſuggerit, accumulatque fa-
cultates, vt & nos viciſsim egentibus ſuggera-
mus. Da mihi fontem quamlibet amplum, quā-
libet amenum, & pellucidum, ſi perhennem
ſuum fluxum ſiſtat, contrahatque, neceſſum
erit, venam eius exareſcere, vel certè vitreas
eas aquas cœno, muſcoque obduci, ac vitiari.

Cernis vt ignauum conſumant otia corpus,
Et vitium capiant, ni moueantur aquæ.

Non aliter locupletum facultates, ac fortunæ,
ſi clauſtris, ac feris perpetuo coërceantur, vſque
adeo vt nihil inde pauperibus decidi queat,
proculdubio Deo ipſi, hominibuſque erunt ex-
ecrabiles. Quapropter nequaquam pauperes
 mendici

mendici diuitibus faſtidio eſſe debent, cùm nihil ſint aliud, quàm aluei quidam palam expoſiti, ne diuitiæ poſſeſſoribus ſuis vertantur in fœtorem, vt ſtagna, & deſides aquæ ſolent. Sed animaduerte pauperem hic nominari, propterea quòd Deo gratus erat, & charus. Diuites vocant nomina ſua in terris ſuis, pauperes

Pſal.48. verò habent nomina ſua ſcripta in cœlis. Pec-

Luce. 8. catoribus, & præuaricatoribus dicet aliquando Deus, Neſcio vos. Vis à Deo tuo cognoſci, vis olim aureis literis nomen tuum conſcribi, & nominatim ab agonotheta tuo euocari, vt æterna premia conſequaris, fac ſcelerũ tuorum te pigeat, pudeatque, ac pœnitẽtiæ medelá cõplectaris. Vocatur Magdalena poſt pœnitentiá,

Luc.ca. 7. quæ ante peccatrix appellabatur. *Iacebat ante ianuam diuitis, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi da-*

Mat.ca.15. *bat.* Iacebat & mulier Chananæa ante pedes Chriſti, cupiens ſaturari de micis, & clementem experta eſt, & liberaliter paſta diſceſsit: Datur cani quod negatur homini. Homo homini lupus, Deus homini Deus, hoc eſt beneficus. Crudelis auare, quo te colore, qua te fronte excuſare poteris? canes paſcis, & conſortem generis emori ſinis? Lazarus mendicus eſt, vt alieno ſucco viuere debeat. Obſidet perdius, & pernox limen tuum, ne dicere poſsis, te nullum Lazarum vidiſſe. At dices, validus fuit mendicus iſte. Reclamat textus, adeo enim vlceribus erat obſitus, vt ne pedibus quidem potuerit conſiſtere. Iacebat enim virium impos, & membrorum. At famuli ſuggerebant quidnis eſurienti

eſurienti? Nihil minus, imo potius hero ſimiles, ne micam quidem atri, aut furfuracei panis afferebant. Sed plurimi erant, qui pinguis odore popinæ meæ fores obſeruabant. Nequaquam vnicus enim erat, quem perfacile erat paſcere ex tanto rerum omnium aceruo. At mediocribus edulijs non erat contentus, ſed optima, lautiſsimaque ſibi adferri volebat. Imò vel micis ſolum vacuum & latrantem ſtomachum placare quærebat. Quapropter quum Lazarus tot modis fuerit miſer, ac miſerandus, immiſericordem ſanè, & inhumanum meritò hunc epulonem dixeris, qui è tanta copia nihil iuuaret miſeri inopiam. Sed neglectus, imò ferè ſpretus ab homine, à Deo mirificè adiutus eſt. Vnde & rectè in eum nomen Lazarus competebat. Nam hoc nomen Lazarus, ſignificat eum qui adiutus eſt, quòd nulla re mundana fretus, ad ſolius Dei reſpiceret adiutorium. Porro ad huius mendici morbum, & calamitatem accedebat, quod ſolus ad ianuam diuitis illius excubabat, perinde ac ſi eo loci proiectus eſſet, vt tanquam Tantalus alter, ad fontem ſcaturientem ſitiret. Neque erat vſquam Lazarus alter, quîcum anxij animi curas, & ſollicitudinem partiretur, ſed vnus molem omnem afflictiſsimæ valetudinis ferebat, niſi quòd illum intus conſolabatur Deus, roburque ingens ſuppeditabat, aduerſus quecumque foris premebant. Atqui Chryſ. ait, illum conuiuia epulonis, quæ quotidiana erant, coram vidiſſe, ſymphoniam muſicaque inſtrumenta auribus hauſiſſe, imò & odorem eduliorum, cupediarumque naribus ſenſiſſe, *Chryſoſt. homil. 1. de Lazaro.*

ſenſiſſe, non tamen vehementer commotum, indignationem vllam oſtendiſſe, ſed æquo potius, infractoque animo cuncta perpeſſum, patriæ æternæ delitias ſecum conſideraſſe, alioquin ne angeli quidem eius funus cohoneſtare ſua præſentia voluiſſent, nec ad Superos tanto fauore, & plauſu ſubuexiſſent. Quotquot enim paupertatis ſarcinam, morborumque morſus impatienter tolerant, Diuinæque prouidentiæ obmurmurant, Angelorum miniſterio, & ductu, quando ex humanis diſcedunt, deſtituuntur: neque baiulorum ſanctorum humeros grauant. Patienter igitur expectabat Lazarus eleemoſynā, & beneficentiā diuitis gratus cùm dabatur, non blaſphemus cùm negabatur. Non conuitiabatur, neque inceſsit luxum diuitis, nec acerbis dictis illius perſtringebat inhumanitatem: ſed qualemcumque ſuam ſortem, præſenſque infortunium boni conſulens, Domini miſericordiam expectabat. Vt verò nonnihil lætaminis inter tot aduerſa atque triſtia reciperet, *Canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Etiam ſi naturam omnem exuiſſet nobilitaſter noſter, à canibus diſcere potuiſſet benignitatē, qui ſolius naturæ magiſterio, pauperem lingua medica nonnihil recreabant. Miraculo ſimile eſt, blandiores ſenſiſſe beſtias, rationis omnis expertes, quàm homines. Mira res, fugiunt viſo miſero homines, & accurrunt canes. Execratur conſors naturæ, & obſequium impendunt bruta animalia. Dic mihi bona fide inhumane diues, non pudet benignitate & beneficentia te à brutis ſuperari? Cur è tanto nihil emetiris

emetiris aceruo? Sed liberalis, inquies, ſum, & tribuo ferè quotidie: Fateor ſed paraſitis, ſaltatriculis, & lenonibus Quid hoc eſt aliud, quàm ſucci plenas vuas domi tuæ natas, non egentibus, ſitientibuſque hominibus, ſed potius, picis, coruiſque elargiri? Sunt enim vites plæreque in monte præcipiti ſitæ, ad quas nullum homini iter patet, atque harum botri cornicibus, coruis, & picis ſolatio ſunt. Ita plerique opulenti ſi quid rerum ſuarum expendunt, non in viduarum, aut pupillorum ſinus, non in egenorum eleæmoſynam id deriuant, & tranſſcribunt, ſed in gnatones, adulatores & puellas parum caſtas, vel certè in commeſſationes, nocturnaſque compotationes, totum congerunt, ſecuri interim, quid agant, aut quomodo viuant pauperes. Minus execrabiles, minuſque impij ſunt illi qui præteritis pauperibus, ſibi ſimiles, hoc eſt, diuites colunt. Illis munera tranſmittunt illos conuiuio excipiunt, Illis aſsident, illis ſtudent, illis donant tantum die vno, quantum Lazarus non conſumeret toto anno. Quid hoc eſt aliud, quàm ligna in ſyluam, aquam ad flumina ferre? Modò verìſsimus eſt ille verſiculus, Dantur opes nullis, nunc niſi diuitibus. At Chriſtus potius audiendus erat, qui monet, vt inopes conuiuio, & menſa dignemur. Et *Lu.ca.14.* apud Moyſen monet Dominus: Non contrahes manum tuam à fratre tuo mendico. Nunc *Deu.ca.15.* conſidera quæſo beneuole auditor, quàm negligens ſuæ ſalutis fuerit diues iſte, qui canes ſuos pluris fecerit, quàm hominem. Illos impaſtos non ſinit, & hunc ſinit fame emori. Quã

incogitans, quàm negligens animæ ſuæ, qui nec de micis quidem ſuperfluis ſollicitus eſt lucrum facere, nec Lazaro naufrago vel digitulum vnum porrigere, ne fluctibus abſorbeatur? Secum cogitent Crœſi, ac diuites, ſe cum egenis idem mare nauigare. Iam nautarum hęc lex eſt, in periculis ſibi mutuo ſuccurrere. Quiſquis autem nauigat, naufragio proximus eſt, eoque magis, quò audacius nauigat. Dum ſecundo vento nauigas, ei qui naufragium facit, dexteram porrige, vt ſi tu quoque aliquando facultatibus lapſus, naufragium patiaris, adiutrices manus inuenias. Non expectes, vt à teipſo diſcas, quantum malum ſit inhumanitas.

Nazian. oratione de pauperum amore.

Factum eſt autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Cùm in hac vita omnia ferè ſint diuerſa inter diuites & pauperes, mors tamen æqua, & vtriſque communis. Mors æquo pede pulſat pauperum tabernas, regumque turres: Finis omnibus idem. Precioſam autem fuiſſe oportet animam Lazari, licet in fœdo corpore habitantem. Nihil ei nocuit deſertum, & contemptum eſſe ab hominibus, cui tam lubenter obſequium præbent angeli. Contemptus fuit terrigenis, ſed charus cœleſtibus ſpiritibus. Tot difficultatum, & ærũnarum victrix anima, cum incredibili gaudio ducitur ad gloriam, & coronam. Quid enim? Nónne decuit præſtrennuũ iſtum militem coronari? Si enim Romani ſuos milites coronis, vel muralibus, vel nauticis donant, cur non donet ſuos Chriſtus? Portatur in ſinum Abrahæ. Ecce finis miſeriæ fortiter toleratæ. Ecce illi

Horatius.

ſeruiunt

ſeruiunt angeli,quem mundus abhorruit. Quæ verò poteſt eſſe tam amara afflictio, quæ non dulceſcat, ſi cogitetur ſinus Abrahæ? Non vnus aduolat angelus, ſed certatim omnes cupiunt tam expurgatæ animæ præſtare obſequium. Plures adueniunt, vt chorum lætitiæ iungant: Non tamen omnibus egenis hæc contingunt, ſed ijs qui Lazaro ſunt conſimiles.Hic complectur, quod olim propheta Dauid cecinit: Animas pauperum Domine tu ſaluas facies,ex vſuris & iniquitate redimes animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo. Diuus Ambroſius eleganter de ſinu Abrahæ ſcribit:Sequamur (inquit) Abraham moribus, vt nos recipiat in gremium ſuum, & tanquam Lazarum ſuæ humilitatis hæredem, proprijs circumfuſum virtutibus,pio foueat complexu.Nō enim nos in gremio corporali,ſed in quodam bonorum factorum amictu,ſancti patriarchæ probata Deo ſucceſsio fouet.Verùm quid Abrahæ ſinus ſit,audiemus in adnotationibus. *Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus in inferno.* Vbi iam amplæ diuitiæ? vbi purpura, & epulæ, ac lauta fercula?vbi auro, & argento graues phialæ, vbi veſtes Tyrio murice ſaturatæ, vbi fundus,& ſplendida ędificia?Tranſierunt hęc omnia tanquam vmbra. O rerum viciſsitudinem, ſepultus eſt delicatus, & luxui deditus nobilis in inferno,non aliter atque ferrum in igne, & calidiſsimis prunis ſepelire faber ſolet. Arbitror illi fuiſſe mortem operoſam, & difficiles obitus,cùm corpus haberet craſſum,& obeſum ac ſtomachum varia eduliorum copia quotidie op-

Pſal.71.

Ambroſius de fide reſurrectionis.

Sap.ca.5.

die oppletum. Lazarus autem lætus, & alacer, facili (credo) obitu emigrauit, ab exilio ad regnum properans. Quid enim hic reliquit aliud, quàm corpus ſaucium, & vlceroſum? Quid ei obſecro mors fuit aliud, quàm ſeparatio animæ à fœdo corpore, aliquando ad idem, ſed immortale tum, reuerſuræ? Lubenter igitur hinc diſceſsit Lazarus. Quis enim non alacriter exueret tritã, & laceram tunicam, ſi cras poſſet induere nouam, & meliorem? Diues autẽ grauatim exuit bellum & bene curatum corpuſculum, præſertim cùm eum peſsimè ſibi conſcius animus, rectà ad perpetuos traheret focos.

Eccleſiaſt. cap. 41. O mors quàm amara eſt memoria tua, homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis. Dic miſer, vbi nunc adulatores tui, & paraſiti, vbi tenera, & bella coniunx (ſi tamen inter tot illecebras vna contentus fuiſti) vbi proles, & famuli: & breuiter, vbi nunc omnes, qui te obſeruabant, quiq́ue adorabant? Non pudet infernum tantam nobilitatem abripere, & vrentibus merſare flammis, qui tãtis paulò antè mulcebatur delitiis? Sic tantiſper dum valent, & viuunt pſitaci, belli caballi, & canes melitei, in delitijs habentur: vbi verò morte fuerint extincti, abijciuntur in lutum, aut ſterquilinium aliquod. Sic diuites impij & inhumani, interea dum ſplendent & luxui ſeruiunt, ab omnibus ſuſpiciuntur, & coluntur: à morte verò & negliguntur, & ad tartareas flammas abijciuntur. Gallinæ verò, & armenta, oues quoque, ac boues ne ianuam quidem poſſeſſoris, aut paſtoris ſui contingere poſſunt: at ſi ea eueniat mori, pri-

ri, primum locum obtinent in cœnis, & conuiuijs, ac menſas etiam principum occupant. Sic & de Lazaro noſtro actum eſt, qui ne ianuam quidem diuitis attingere potuit omnibus inuiſus, omnibus odioſus, & vbique exploſus: at vbi naturæ ſatisfecit, mortiſque neceſsitate extinctus eſt, nihil eo ſplendidius, nihil gratius, nihil ſublimius. Diues ſepultus, Lazarus fortè nec ſepultus, ſed in agrum quempiam abiectus ſub dio computruit. *Cùm eſſet diues in tormentis, eleuans oculos, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.* Sepultus eſt diues ab hominibus magna pompa, ſed à Deo ſepultus eſt in inferno. Aliter ſepelit homo, aliter Deus. Prophetæ & concionatores non poterant illi aperire oculos, ſed modò aperit flamma. Sic ferè fit, vt culpa claudat nobis oculos, quos aperit pœna. Quòd autem dicitur, eminus vidiſſe Lazarum in ſinu Abrahæ, ſignificatur, quòd mentis lumine & intellectu comprehenderit Lazari fœlicitatem, longè à ſua infœlicitate ſeparatam: atque olim à ſe impiè neglectum, æterna frui quiete apud patrem fidelium. Si verò me roget quiſpiam, quomodo cognouerit, reſpondebo: per diuinam reuelationem, qua factum eſt, vt quemadmodum Lazari afflictio in terra ex conſpectis epulonis delitijs, & luxu augebatur, ita nunc contrà diuitis infœlicitas Lazari viſa quiete, & beatitudine augeretur. Seruiunt huic loco verba damnatorum, ſuam fortè ex beatorum conſpecta gloria, deplorantium. Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, *Sap. cap. 5.* & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati,

vitam

vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo nunc computati ſunt inter filios Dei. Porro iuſta Dei vindicta factum eſt, vt Lazarum videret, vt efficatius torqueretur. Sic Adamum paradiſo pulſum habitare è regione iuſsit DEVS, vt
Gen. ca. 3. continuis aſpectibus ei moleſtia pararetur propter perditum locum. Sentiunt, intelliguntque damnati gloriam beatorum, vt grauius crucientur. Si enim famelicus coram conſpiceret menſam, varijs cibis, iiſque delicatiſsimis oppletam, nonne acrius diſcruciaretur, cùm ne fruſtulum quidem panis haberet? Sic cùm videt auarus Mathæum, luxu perdita Magdalenam, ira æſtuans Moyſen, ſeque cum tormentis colluctari ac conflictari, nonne hinc mirè doleret? Sed audiamus nunc verba damnati epulonis.

Et ipſe clamans, dixit: Pater Abraham, miſerere mei. & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam. Abraham erat ei pater, ſeu ſecundum carnem. Non qui filij carnis, hi promiſsionis ſunt filij. Hic filius carnalis erat, à carnalibus ſuſpiciebatur, & veluti in ſinu & oculis geſtabatur, ſed quid hoc damnando prodeſt, dum negligitur, & reijcitur à Deo? Abrahamum rogat, cùm Lazarum non audeat compellare, in quem pluſquā inhumanus fuit, & crudelis: imò quem indigniorem iudicaret, quàm vt cum canibus ſuis vnà paſceretur. Orat autem pro gutta, qui micam negauit. Eadem menſura, qua menſus eſt,
Luc. ca. 6. remetitur ei. Digitum poſtulat miſer, qui totā manum inópi clauſit. Rectè propheta Dauid:

Dormi-

Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuene- *Pſal.75.*
runt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.
Sed quare nihil inueniunt in manibus ſuis? In
promptu cauſa eſt, quia nihil poſuerunt in ma-
nibus pauperum. Lingua verò eius affligitur,
non idcirco tantum, quia delicatis aſſueuerat,
ſed quia tacuit, nec præcipere dignatus eſt fa-
mulitio, vt Lazarum paulò haberēt liberalius.
De illo aūt mēbro quęritur maximè, quo ma-
ximè peccauerat. Opinor, ſi ſubinde dediſſet La *Mat.ca.10*
zaro calicē aquæ frigidæ, nō perdidiſſet merce
dem ſuam. Quapropter hic porrigere oportet
quod tandem aliquando recipiamus. *Crucior in hac flamma.* Quid ego audio? Ergo æſtum,
aut calorem non defendit byſſus? Non obſiſtit
purpura inferno? Solebat olim palatum tuum
cum lingua fragrantiſsimo merſari, tingique
vino, & nunc flammis occupantur? Quid tibi
venit in mentem, vt negligeres cum Lazaro
æternum quærere refrigerium? Porro quid A-
braham reſpondeat ſupplici filio, audiamus:
Et dixit ei Abraham: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc verò hic conſolatur, & tu cruciaris. Acſi dicat: re-
cordare quòd ſis ex eorum numero, quibus di-
citur: Væ qui nunc ridetis, quia flebitis. Laza-
rus autem de iſtis, quibus dicitur: Beati qui
lugent, quoniam conſolabuntur. In inferno *Luc.ca.6.*
planè infrugifera eſt recordatio præteritorum. *Mat.ca.5.*
Eſt enim nequaquam ad pœnarum leuamen,
ſed magis ad cumulū infœlicitatis. Quid enim
iuuat ſitientem meminiſſe, ſe aliquando calici-
bus epotandis ſtrennuam nauaſſe operam? Imò
hoc po-

hoc potius ſitim irritat, & acuit. Blandè autem epulonem Abraham alloquitur, filium appellans, quo doceat nos non addere afflictionem afflictis, & pium eſſe beatorum erga damnatos affectum. Neque enim amaris dictis inceſſendi nobis ſunt miſeri, etiam ſi meritò, & iuſtè puniantur. Monet enim Sapiens, ne exaſperemus pauperem in inopia ſua, & ne cor impij affligamus. Huic Abrahami ſententiæ planè ſimilis eſt textus Eſayæ; Ecce (inquit Dominus) ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini; ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Pronunciat igitur Abraham tanquam iudex, vel potius tanquam iudicis miniſter ſententiam vtriuſque. Quin etiam & cauſas ipſas, quare hunc damnet, iſtum coronet, diſertè in ipſa ſententia aperit, iudicatque. Non tamen obijcit epuloni aliqua ſcelera, nec explicat Lazari virtutes, ſed hoc tantum ait, quòd epulo receperit bona in vita ſua, atque propterea eum cruciari. Lazarum verò, quòd mala plurima ſit perpeſſus, in ſolatio eſſe, vt hinc colligamus, rem eſſe ſanè quàm periculoſam, nullo infortunio morderi, nullo cum morbo conflictari, ſed perpetuò delitijs diffluere, Bacchoque, & commeſſationibus litare. Vnde oportunè D. Baſilius: Timeto, inquit, exemplum diuitis: Illum vitæ huius delitiæ igni tradiderunt. Non enim ob iniuſtitiam, ſed propter mollem, ac delicatam vitam reprehenſus, in flam-

Eccle. ca. 4

Eſa, ca. 65.

Baſil. ſer. 1. de ieiunio.

in flamma fornacis torrebatur. Ne timueris igitur (ait Dauid) cùm diues factus fuerit homo, *Pſal. 48.* & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius, Quoniam cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Quia anima eius in vita ipſius benedicetur. De Lazaro autem illud dici poteſt: Lætati ſumus pro diebus *Pſal. 89.* quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. Nunc mihi monendi ſunt diuites, ne poſthac obturatis auribus, clauſiſque oculis prætereant ante domorum ſuarum jacentes Lazaros, ne tandem cogantur mendicare ad ſinum Abrahæ, nihilque recipere vel conſilij, vel ſolatij. Qui enim obturat aures ſuas ad clamorem *Prou. 12.* pauperum, ipſe clamabit, & non erit qui exaudiet. *Et in his omnibus chaos magnum inter nos & vos firmatum eſt: &c.* Si quis ſpeciatim ſibi exponi deſideret, quid per hiatum iſtum magnum ſit intelligendum, reſpondebimus nihil aliud ſignificari, quàm firmiſsimum Dei ſtatutum, prohibens vtrorumq; permixtionẽ. Senſus igitur eſt, firmiſsimo Dei decreto ita diſpeſcimur, diuidimurque, vt nequaquam, etiam ſi maximè cupiamus, queamus conuenire.

Et ait: rogo ergò te Pater Abraham, vt mittas eum in domum patris mei, Habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant: &c. Meritò quæritur, quomodo diues hic pro fratrum ſalute precatur, cùm hic affectus planè à damnatis ſoleat eſſe alienus, vt alicui bene velint. Ad quæſtionem reſpondet B. Gregorius, qui ait, damnatos grauius puniri, & torqueri, cùm vident pœnas eorum, quos inutiliter ama-

M uerunt.

uerunt. Preces igitur illæ profectę ſunt,non ex amore fratrum, ſed ex pœna, & cruciatu, quo afficiebatur, Deo ita ordinante eum torqueri ex recordatione fratrũ. Carnali dilectione fratres amauerat, & ideo ſupplicium ei fuit, eos ad pœnas quoque trahi. Tartareus iſte precator iam omnem refrigerij ſpem exuit, pro fratribus igitur ſollicitus eſt, ſed fruſtra. Quid metuis miſer. Arbitraris infernũ eſſe anguſtum? Veniãt veniãt fratres tui mãmoniſtæ,vel quinque,vel decẽ,ſatis loci eſt,vt omnes veſtri ſimiles ſuauiter excipiantur. Habeo, inquit,quinque fratres. Faxit Deus,vt epulo iſte hac noſtra ætate habeat tantum quinque fratres. Imò iam vel quingentos habet, vel potius quinque milia. Quis enim commeſſatores, epulones, lurcones,& gaſtrimargos omnes numerare poterit? *Ait illi Abraham: Habent Moyſen, & prophetas, audiant illos.* Acſi dicat: Non eſt neceſſium,vt Lazarus à quiete ſua auocetur,ſi fratres tui velint eſſe frugi, habent libros, tum Moyſis, tum prophetarum. Habemus & nos quinque libros Moyſis, & prophetas, imò, & quo excellimus Iudæos, habemus Euangelium, & Apoſtolorum ſcripta: ſit Chriſtus,ſint Apoſtoli noſtri conſultores, vt non ſit opus ad defunctos confugere: fidiſsima conſilia præbent ſacræ literæ, quibus non ſunt humana conſilia conferenda. Si fratres tui,ô diues,quinque ſunt numero, habent quinque libros Moyſis, hos legant, voluant nocturna manu,atque diurna. His libris ſi fidem habent, non ea quæ tu, deſignabunt; quod ſi non deſignent, nequaquam ad tua

ad tua tormenta rapientur. *At ille dixit: Non pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiã agent.* Vnuſquiſque conuertitur ad vitam correctiorem eo modo, quem Deus ordinauit. Alius reſipiſcit metu tartareorum ſuppliciorum, alter amore bonorum cœleſtium, nonnulli morbo correpti mutant vitam, plærique lectione ſcripturarum, alij alio modo. At Iudæi nouo modo homines ad pœnitentiam duci volebant. Ait igitur improbus iſte precator: *Non pater Abraham.* Supple audient illos, ſat ſcio. *Sed ſi quis ex mortuis &c.* Mirum quàm peruicax ſit humanum ingenium, perpetuò noua conſilia comminiſcens, verbo Dei neglecto. Modus ſaluandi, & reſipiſcendi eſt per Decalogi, legiſque prædicationem, ſed diues epulo ſuum modum ac conſilium interponit, mortui ſcilicet reuelationem. Erat ferè hæc opinio recepta apud vulgus, quam eleganter, & eruditè Abraham refellit, retunditque.

Ait illi Abraham: Si Moyſen & prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Maior profecto eſt certiorque legis, & prophetarum auctoritas, quàm alicuius mortui. Poſſet enim quis cauſari, aut nigrum aliquem dæmonem, aut phantaſma apparere, ſed irrefragabile eſt quod vel lex, vel prophetæ docent, quippe cùm habeat diuinam autoritatem. Deinde ita pertinaces erant tum temporis Iudæi, vt Thracum, aut barbarorum citius, quàm eorum mollirentur pectora. Lazarus frater Marthæ, & Mariæ, ex mortuis reſurrexit, cui tantum abeſt vt crederent, vt potius illum inter- *Ioan. ca. 11. Ma. 28 c.*

imere cogitarent,& Dominum poſt eius reſurrectionem acrius in ſuis membris perſecuti ſunt. Sacra igitur ſcriptura potior nobis eſſe, quàm quiuis prædicator deber, etiam ſi è cœlo, aut ex mortuis adueniret. Poſtremò ſacra ſcriptura eſt purum, putumque Dei verbum. Vox autem mortui inde incertitudinem habet, quòd neſcias ſpiritúſue bonus, an malus ſit, qui loquitur, cùm transfigurent ſe nonnunquam dæ-
2. Cor. 11. mones in angelos lucis. Sed iam ſatis.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Epulabatur ſplendidè. *Græcè eſt εὐφραινόμενος, quod ſignificat propriè oblectatum, & lætantem. Non tantum ciborum delitiæ aderant, ſed ijs iucundè, & lætè vtebatur etiam. Idem vocabulum habes Lucæ cap. 15. εὐφρανθῶμεν, vbi interpres reddidit, epulemur, cùm potius reddere debuiſſet, manducando lætemur.*

SECVNDA.

Iacebat. *Græce eſt, ἐπιβέβλητο. id eſt porrectus vel proiectus erat ad diuitis ianuam.*

TERTIA.

Nemo illi dabat. *Non eſt in Græcis, neque quibuſdam Latinis libris.*

QVARTA.

In ſinum Abrahæ. *D. Aug. ait lib. 2. queſt. Euangelicarum, quòd Abrahæ ſinus, ſit quies pauperum beatorum. De hac quiete prolixè diſputat lib. 4. de anima & eius origine. cap. 16. vbi oſtendit non corporalem Abrahæ ſinum eſſe intelligendum, ſed remotam,*

motam, & ſecretam ſedem quietis, vbi eſt Abraham. Ideò verò Abrahæ dictam, quia ipſe pater multarum gentium ſit poſitus, quibus eſt etiam ad imitandum præpoſitus. Theophilactus ait, ſinum Abrahæ ſalutationem bonorum. Ideo autem illa quies dicitur ſinus, & receptaculum Abrahæ, quia domus eius, dum viueret, gremium, portus, & receptaculum fuit miſerorum. Geneſ. 18. & 19. cap. Quidam ſinum illum putant eſſe locum ſuperiorem inferni, & lymbum appellari, vti Aug. videtur loqui in pſal. 85. Negat tamen Epiſtola 99. inferos in ſacris literis in bono appellatos ſe poſſe inuenire. Porrò vt locus quietis ante ingreſſum regni cœleſtis, appellatur ſinus Abrahæ, ita & poſtea cœlum dicitur ſinus Abrahæ. Sic enim D. Martinus iam moriens ait, ſinus Abrahæ me recipiet. Cyrillus ait, ſinum Abrahæ eſſe locum quietis. Huic & D. Gregorius ſubſcribit: Non eſt igitur neceſſum multum de hoc ſinu diſputare, ſed ſatagendum eſt, vt eo tandem fruamur. Nam diſputatio curioſos, vita pios facit.

QVINTA.

Sepultus eſt in Inferno. *Græci ſic diſtinguunt: Sepultus eſt, In inferno autem eleuans oculos. Nam in terra oculos clauſos habuit, qui violentia pœnarum aperti ſunt.*

SEXTA.

Chaos magnum. χάσμα, *id eſt, hiatus, aut vorago, Teutonice,* een onderſtant / oft afgront. *Germani ſuperi aiunt,* ein groſſer riſs iſt zwiſchen uns beueſtiget. *Chaos autem dictum eſt à* χέω *fundo,* χάσμα *autem* χαίνω. *Hio.*

DOMINICA SECVNDA POST TRINITATIS EVANGELIVM.

Lucæ cap. 14.

H*Omo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.*

Clariſsimè vel exordium huius Euangelij docet, veriſsimam eſſe D. Pauli ſententiam, Deumq́ ita generis humani curam habere, ita illud amare, vt nullum perire velit, ſed cupiat omnem hominem ſaluum fieri. Non enim venit perdere, ſed ſaluare animas. Non eſt voluntas eius mors impiorum, ſed vt conuertantur potius, & viuant. Quod ſi quis perit, ſuo vitio perit. Si quis ab accipitre infernali abripiatur, aut diſcerpatur pullus, ſibi imputet quòd gallinæ alas deſeruerit. Quin incuſtoditæ diripiuntur oues. Mirum verò eſt, quòd Chriſto (nam hunc conuiuatorem, ac cœnæ huius inſtructorem intelligimus) ad tam ſplendidum, & lautum epulum inuitante, tam pauci auſcultant, tam pauci acquieſcunt. Quid ſi vocaret ad inediam, & ieiunium? Epicuri verbum eſt, vbicunque editur, ac bibitur, ibi viuo. Igitur Epicure, deſere tua, quæ hactenus amaſti, conuiuia. Linque ſuibus & porcis ſiliquas ſuas, & ad Chriſti cœnam accurre, in qua panem vitæ guſtabis, & calicem hauries ſalutarem. Vtcumque ſitias, vtcumque eſurias, hæc te cœna ſatiabit. Hæc te perpetuò beatum efficiet. Vnde nō iniuria phariſæi cuiuſdam cōuiua ad Chriſtum exclamauit; Beatus qui manducabit panem in regno

[Margin notes: 1.Ti.ca.2. — Ezech. 18. — Epicuri dictum. — Luc.ca.14]

regno Dei. Omnia hîc conuiuia nihil ſunt aliud, quàm cœna paupertina. Imò ſepenumero cœnarum noſtrarum poſtridie pœnitet. Laudat Plato eam cœnam, quæ non adferret matutinã pœnitudinem: cùm plerumque inter cœnandum liberius multa effutiamus multaque faciamus, quæ poſtridie cuperemus eſſe irrita. Ac in cœna vitæ æternæ nemo peccat, nemo non benedicit, nemo grauatur, nemo faſtidit, nemo nauſeam patitur. Porro ſicut vna eſt eademque, Eccleſia militans in terris, & triũphans in cœlis, vitaque æterna, quæ poſt mortem obitam ſupra perficitur, hîc infra per fidem exordium capit: ita vnum eſt conuiuium quo recreatur, & paſcitur militans, & quo triumphans Eccleſia: quia vnus eſt deus, quo hîc fruimur per fidem, & illic per ſpeciem. Vnus eſt Chriſtus, quo fruimur hic ſub ſacramenti velamine, illic ſine velamine. Vnus vtrobiq; panis, vnus vtrobique potus, quamuis diuerſo modo (pro conuiuantis conditione) hic & ibi paratus, ac ſumptus. Omnia verò huius mundi conuiuia, quę ſtulti mortales maximo ſumptu vel inſtruunt, vel celebrant, ſi noſtræ, de qua nunc agimus, cœnæ conferantur, vix minima mica, vix minima gutta ſunt. Magnificum ſanè erat, & tanto rege dignum cõuiuium Aſſueri, ſed ad noſtram cœnam mera erat inopia, mera eſuries. Niſi literis ſacris libẽter fidem aſtringeremus, incredibile videretur, quod de quotidianis regis Solomonis vel prãdijs, vel cœnis prodit liber Regum tertius. Verba ſubſcribam: Erat cibus Solomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ,

Verbũ Platonis.

Eſther ca. 1

3. Reg. 4

ſexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum atque bubalorum, & auium altilium. Sed nihil hæc omnia, ſi reſpicias quot apud Superos, quotque in hoc mundo quotidie paſcat, enutriatque Deus. Scribit Athenæus libro primo cap. 1. Cononem Athenienſium ducem, cùm nauali pugna Lacedæmonios viciſſet, celebraſſe conuiuium, ac centum in id boues mactaſſe, quo milites nonnihil, qui Athenienſes erant, recrearet, & non habebit militum ſuorum rationem Chriſtus? Imò pro temporario hoc certamine, quo ſub Chriſti ſignis fortiter prælíamur, atque aduerſus omnia Diaboli machinamenta in acie ſtamus, æterna cæna iam vita functos excipiet, ſedebimuſque in cœlo in requie opulenta, eritque quaſi flumen pax noſtra. Vocat autem cõplures, omnes ſcilicet Iudæos primum, deinde & gentes: Iudæos tanquam ſuos conciues, per propriam vocauit prædicationem, gentes verò per Apoſtolos. *Miſit autem hora cænæ ſeruum ſuum, dicere inuitatis, vt venirent.* Ipſe cùm eſſet conuiuator Chriſtus, imò & inuitator, ait in Euangelio: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Seruis autem Apoſtolis, ad idem munus deligens, ait: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Sed quare omnes Apoſtolos ſeruum appellat, & non plurali numero, ſeruos? Quoniam & ſi plures erant, vnus tamen ſpiritus loquebatur, & inuitabat per os eorum. De-

Athenæus l. b. 1. ca. 1.

Eſa. ca. 48.

Mat. ca. 11.

Ioan. ca. 7.

Mar. ca. 16.

rum. Deinde licet multi ſint in perſonis, vniti tamen ſunt in intentione ſalutis: ſicut & Paulus, qui plantauit, & Apollo qui rigauit, vnum erant. Omnes vos vnum eſtis in Christo IESV, ait alibi D.Paulus. *Gal. cap.3.* *Quia parata ſunt omnia.* Venite modò per fidem,& guſtate,quoniam ſuauis eſt Dominus, & inebriamini ab vberibus conſolationis eius. Haurite in gaudio de fontibus Saluatoris. *Eſa.ca.12.* Parata eſt in conſpectu noſtro menſa,& calix inebrians quàm præclarus eſt. *Pſalm.22.* Non pudet verò te ò ſocors, & ingrate homo, quòd cùm omnia ſint parata,tu paratus non ſis? Spiritus dicit veni, Eccleſia dicit veni, IESVS dicit veni,& ſequere me ad cœnã, *Apoc.cap. vltimo.* & tu vilis homuntio ſtertis adhuc, & heſternã ructans crapulam tergiuerſaris, & dicis: Sine me prius ſepelire patrem meum? *Luc.ca.11.* Diabolus exarmatus eſt, omniaque vaſa ſeu inſtrumenta, *Col.cap.2.* in quibus habebat fiduciam, iam ablata ſunt, pater reconciliatus eſt, peccatum cum chirographo mortis affixum eſt cruci: breuiter nihil reſtat aliud, niſi vt ipſe vltro venias. Sed audiamus iam ineptas & friuolas inuitatorum excuſationes. *Et cœperunt ſimul omnes ſe excuſare. Primus dixit, villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excuſatum.* Ecce quantum obeſt ſuperbia, dum enim villam villæ, agrum agro copulamus, dum ſplendida ædificia erigimus, ac prædiorum pomeria extendimus, ne tantillum quidem otij ſuffurari poſſumus, vt de cœna, ad quam vocamur, cogitemus. At pulchrum eſt, inquies, multis imperare, pulchrum,compluribus præ-

eſſe, Iucundum eſt, potentem eſſe. Propter hęc te excuſas miſer? Tecum (quæſo) cogita, quàm breuis ſit omnis potentia, & quàm plena curarum, & ſollicitudinis. Cùm inepta quædam muliercula regem Antigonum conſpicata, ore, oculiſque apertis eum intuendo attonitę ſimilis eſſet, conuerſus ad eam rex: Quid (inquit) ô mulier ad diadematis mei ſplendorem ita obſtupeſcis? Si probè cognoſceres, quantum ſollicitudinis hic pannus, hæcque corona ſecum adferant, ne humi quidem iacentem attolleres. Et verè quidem Antigonus. Reges enim vel bello petuntur ab alienis, vel inſidijs ſuorum exponuntur: aliquoties à coniuratis trucidantur: & ſi minus eis fauet Martis alea, vel bello pereunt, vel viui in hoſtium veniunt poteſtatem. In pugna cæſi Saul, Achab, & Ioſias Iudæorum reges. Captiuus ductus in Babylonem rex Iudæ Sedechias. Nonne potentiſſimus rex Macedoniæ Perſeus, dum Romanis bellum infert, Romam ad miſerrimam ſeruitutem eſt miſſus? Deinde vide quæſo, quàm reſperſa eſt omnis potentia morbis, ærumnis, &
Mat.c.2. terrore. Herodes exemplo nobis ſit: Is cùm audiret nouum regem eſſe natum, incredibile dictu, quantum trepidauerit, ſuſpicatus ſe, ſuoſque è regno deturbandos. Ecce ſenex ille tyrannus infantem metuit. Solent enim arbores in montibus ſublimes ad minimam auram commouêri: quæ verò in valle ſitæ ſunt, nihil huiuſmodi metuunt. Sic tyranni periculis obnoxij, humiles verò in tuto ſunt, valleſque illis pro munimento. Breuis potentatus pompa
eſt, Vix

eſt, Vix ſceptra contigimus, & morimur.
Villam emi, & eo videre eam &c. Quanquam non ineptè quidam, inter quos Helmeſius, de ſuperbia ac potentiæ cupiditate interpretentur hanc ſententiam, magis tamen arridet, quod Reuerendiſsimus Ianſenius, & Ioannes Hofmeiſterus ſcribunt, qui hunc primum excuſatorem de auaritia, præcipuè ea quæ in dilatandis, multiplicandis prædijs conſiſtit, reprehendunt. Egregiè verò miſer iſte Mammoniſta ſuam ſtupiditatem declarat. Quid enim ſtultius, quàm priuſquam videas, villam emere? Si empta eſt, ſiue videnti arrideat, ſiue diſpliceat, habenda, & retinenda eſt. Videtur mihi planè emptor iſte ita vehemétibus auaritiæ ſtimulis agitatus fuiſſe, vt villam nunquam inſpectam ſibi comparauerit, ne ab altero anteuerteretur. Rectè igitur à Domino dictum eſt, Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Quid enim aliud iſtum remoratur à cœna, niſi quòd terrenis affixus cœleſtia negligit? Quòd ſi quis huius mercatoris ingenium propius inſpiciat, cenſebit illum imprudentiſsimum eſſe, & huiuſmodi emptionibus rem potius minuiſſe, quàm auxiſſe: qui neque viſa, neque cognita emerit, quod qui faciunt, raro diteſcunt. Quapropter bis miſerum hunc cenſeo, qui & præſentibus facultatibus exciderit, & futuris. Deterret nos D. Ambroſius, ab opum cupiditate. Dum augere, inquit, opes, aggregare pecunias, occupare terras poſſeſsionibus cupimus, iuſtitiæ formam exuimus, beneficentiam communem amittimus &c. Et paulò ſuperius: *Amb. lib. 1. offic. ca. 28*

Natura

Natura ius cõmune generauit, vſurpatio ius fecit priuatum. Prædium (inquit Marcus Cato lib. de re ruſtica) cùm parare cogitas, in animo habeto, vti ne cupidè emas, néue opera tua párcas viſere. At noſter hic emptor & cupidè emit, & prædium non viſum emit. Quantas verò curas habeat prædium, facilè indicant tot conditiones ad prædium Italicum neceſſariæ. Sed verba eius adſcribam. Prædium quod primum ſiet, ſi me rogabis, ſic dicam: De omnibus agris, optimoque loco, ſi emeris iugera agri centum, vinea eſt prima, ſi vino multo ſiet, ſecundo loco hortus irriguus, tertio ſalictum, quarto oletum, quinto pratum, ſexto campus frumentarius, ſeptimo ſylua cædua, octauo arbuſtum, nono glandaria ſylua. Quod ſi hęc omnia curare oporteat, vides facile, quibus nexibus impediantur, retineanturque cupidi prędiorum emptores, ne expeditè ad cœnam Chriſti inuitati accurrant. Nemo tamen Chriſtum hic agriculturam ſugillare velle credat, cùm res ſit honeſtiſsima, & veteris teſtamenti patribus familiaris, & chara. Quis enim ignoret, patriarchas, & prophetas plæroſque à fumoſis vrbibus abhorruiſſe, & ruri vitam traduxiſſe? Non apud Romanos verò tantum, verùm & apud Græcos etiam agricultura ſemper laudata eſt. Eleganter id vitæ genus commendat Xenophon. Homini (inquit) honeſto ac bono agriculturam maximè conuenire affirmamus. Habet enim domus augmentum, animi voluptatem, exercitationemque corporis, quantum homini libero fas eſt. Non reprehendit igitur agricultu-

Cato de re ruſtica cap. 1.

Xenophon libello de dictis & factis Socratis.

agriculturam Dominus, ſed villarum, prædiorumue emptionem talem, quæ ex vana oſtentatione, aut cupiditate immodica proficiſcitur. Reprehendit (inquam) eos, qui ita de prædijs, agris, villiſque coëmendis ſunt ſolliciti, vt cœleſtis regni, vbi cœna æterna promittitur, expectationem exuant, & deſiderium.

Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum.

Sicut primus emerat villam, & poſt emptionem vadit videre eam, ſic iſte emit quinque boum iuga, id eſt, decem boues, & pergit vt videat, pingues ne ſint, an imbecilli, & tenues: fortes & aratro trahendo apti, an macilenti, & inutiles. Igitur ille agris, hic verò iumentis diteſcere cupit. Sed dic mihi ô infelix, & occæcate talpa, qui ſemper in luto, & cœno volutari cupis, ſi totum mundum lucriſacias, quid profuerit, ſi animæ tuæ detrimentum patiaris? An ne Paulum aliquando legiſti? Scribit ad diſcipulum Timotheum: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli. Quid, oro te cupide emptor, tandem poſt tot negotia conſequeris? Hîc ſemel empta relinques omnia, at tu hinc cogêris diſcedere, ſed quónam, tute ipſe ignoras, nouit Deus. Quòd ſi ingruat belli tempeſtas, ac læta ſata, boumque tuorum labores vaſtet, congeſtoſque nummos ſagax miles diripiat, vbi quæſo latebis? Notat Hieremias locupletes omnes, cùm Babyloniorum rex Nabugodonoſor Hieroſolymam expugnaſſet, captiuos fuiſſe abductos; mediocres verò, & tenues, in patria manſiſſe, nec capti-

Mat.ca.16.

1.Ti.ca.6.

Hie.ca.39.

uitati

nitati fuiſſe obnoxios. Quis enim detrahat nudo veſtimenta? Pauperes igitur, quocunque ſeſe inclinet victoria, ſunt ſecuri. Pauperes, Nabugodonoſore omnia depopulante, omnes ſecum ad carceres, compedéſq; Babylonicos rapiente, manent Hieroſolymæ in pacis, & tranquillitatis contemplatione. Diuites ſolum, atque hi qui re ſunt lauta, ab irato victoris exercitus milite deſpoliantur. Cantabit vacuus coram latrone viator. Habentes victum, & amictum, his cōtenti ſimus. Vides ne muſcas iſtas, quæ aſsiduo volatu ad pharmacopolarum officinas aduolant, vaſculorum, & cyphorum oras, in quibus mellis eſt copia, ſolùm delibare, ac ſummis veluti labijs ſuperficiem vnctam carpere? Quæ verò confidentiores, ſeſe omnino melli, vnguentóue immerſare properant, ac nimium auidè, quod ſuaue eſt, inuadere, frequenter hauriuntur, & pereunt: neque inde ſeſe expedire vlla poteſtas. Illæ verò quæ mediocri, modicóue melle ſunt contentæ, facile à cyphis illis auolant. Sic homo, ſi tantum ex diuitijs delibat, apprehenditque, quantum ſatis eſt, nihil iacturæ ſentit, nihil capit detrimenti: ſi verò ſe totum diuitijs dedat, ac tradat, vehementer læditur, primumque capit, nimia deliciarum ſuauitate delibutus, nimia opum copia abſorptus, obliuionem ſui, deinde obliuionem magnificæ, & opipare cænæ. Vir animo bonus, vbique ſui ſimilis eſt. Si illi diuitiæ vndique affluunt, nequaquam effertur, aut criſtas tollit, ſed largitur amicis, miniſtrat languidis, partitur egenis, & ſibi res, non ſe rebus, ſubmittere

mittere curat. Quòd ſi, reflante fortuna, opes illi adimuntur, duram callet pauperiem pati: & cum Paulo nouit abundare, & penuriam pati. Nam quemadmodum gemma, ac margaritum ſiue in luto, ſiue in harena, ſiue in ſerico, byſſóue iaceat, ſemper pretium ſuum habet: ſic viri boni ſemper, ſiue rebus in anguſtis, ſiue in proſperis, & ſecundis, dignitatem ſuam obtinent. Vt enim exigua, & puſilla ſtatua, ſiue in montis vertice, ſiue humili in valle collocetur, ſemper puſilla eſt: ingens verò coloſſus, vel ima in valle, vel celſa in rupe ſitus, ſuam non amittit magnitudinem: ſic mortales ferè omnes, quamcunque ſortem fuerint nacti, alij præclarè, & fortiter, alij iniquè, & nefariè agent. Quid igitur iuga quinque tam auidè nobis poſcimus, cùm vno Chriſti iugo tam ſuaui, mentis tranquillitatem parare poſſumus? At ex quinque iugis (inquies) non contemnendus promanat prouentus, vnde & quàm plurimum lucri metitur. Fateor quidem iſtud, ſed inde pluſculum etiam naſcitur edacium curarum. Canit Horatius: Creſcentem ſequitur cura pecuniam. Laudatur ille apud Sapientem, qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. In quem igitur fidutiam ſuam collocat? In Deum viuum, qui dat omnibus (ait Iacobus Apoſtolus) affluenter, & nō improperat. At quare non ſperem (inquis) expectemque ex quinque, aut ſex boum iugis, quibus agros meos proſcindo, inuertoque, vberem meſſem? Sperare licet agri vbertatem, multamque frugem, ſed ea moderatione, vt inde Deo ſacrifices, inde pau-

Eccl. ca. 31.

Iac. cap. 1.

de pauperes paſcas, & poſtremò inde nonnihil domi recondas in tuos, familiæque vſus.
Luc.ca. 11. Quod ſi aliò ſpectes, ſpei tuæ ouum tibi pariet
Mat.ca. 23 baſiliſcum, aut ſcorpionem. Spem præclaram habet ouum tuum, modò ſub alis gallinæ ſit. Etiam ſi centum boum iugis, centumque aratris agrum noſtrum vertamus, niſi inde naſcentem ficutiam alis gallinæ ſubdamus, nihil eſt. Spes impiorum tanquam hibernalis glacies diſſoluetur. Nobiles illi viri è captiuitate Babylonica domum repetentes, quicquid habebant vel auri, vel argenti, in templi ſtructuram
1. Eſd.ca.2 effuderunt. At decem boum emptor ſi adfuiſſet, & in Babylone, & in Iudæa ſuo potius auro, vt vigilans Draco, incubaſſet, & timuiſſet vti. Magi illi Perſici, theſauris ſuis apertis, pau-
Mat.ca. 2. peri Chriſto munera obtulerunt. At contrà Balach rex Moabitarum, cùm ingentes haberet
Numeri theſauros, illis eſt abuſus. Vti auro bonum eſt,
cap. 24. abuti malum eſt, frui auro ſcelus eſt.

Et alius dixit, Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire Et reuerſus ſeruus, narrauit hæc Domino ſuo. Non excuſat iſte, ſed indicat ſibi eſſe impoſsibile ad cœnam accedere. Totus erat vxorius, ac in carnales voluptates totus propenſus. Eant (inquit) ad cœnam, quibus collibitum eſt, mihi non eſt integrum. Videtur ne tibi ſtudioſe auditor, homo iſte pedicis quibuſdam, aut cathena vinctus eſſe, dum ſe negat ad cœnam ire poſſe? An igitur plus ſynceræ voluptatis habet vxor, quàm Chriſtus: tranſitoriæ nuptiæ, quàm cœna æterna? Narratu incredibile eſt, quàm ſtringit & illigat hominem luxus, carnalibus

vndique

vndique lenocinijs adiutus. Hinc Ozee propheta: Fornicatio, & ebrietas auferũt cor. Meditabatur aliquando D. Auguſtinus cum ſocijs Alipio & Euodio cœnobium, in quo in communi viueretur, & eruditioni opera daretur: ſed pulcherrimum, quod erat iam in manibus, negotium ſoluebatur propter mulieres, quòd illæ nequaquam fuiſſent paſſæ talem conuictum. Sed verba ipſius potiùs Auguſtini audiamus: Multi (inquit) agitaueramus animo, deteſtantes turbulentas humanæ vitæ moleſtias, & penè iam firmaueramus remoti à turbis ocioſè viuere: id ocium ſic moliti, vt ſi quid habere poſſemus, conferremus in medium, vnámque rem familiarem conflaremus ex omnibus. &c. Et paulò pòſt. Sed poſteaquam cœpi cogitare, an hoc mulierculæ ſinerent, quas & alij noſtrûm iam habebant, & nos habere volebamus, totum illud placitum quod bene formabamus, diſsiluit in manibus, atque confractum eſt. Inde ad ſuſpiria, & gemitus conuertebamur. Vides Lector, mulierculæ quid faciant, quantam remoram inijciant ad Chriſti cœnam properantibus? Ita verò fuit olim, priuſquam plænè ad Chriſtum conuerſus eſſet, carnalibus iſtis compedibus, & laqueis irretitus, (vt verbis eius vtar) mortifera ſuauitate trahẽs cathenam ſuam, ſolui timens, & quaſi concuſſo vulnere, repellens verba bene ſuadentis, tanquam manum ſoluentis, vt Alipius vehementer miraretur eum ſic hęrere viſco illius voluptatis. Semper quidem concupiſcit caro, teſte Paulo, aduerſus ſpiritum, ſed vbi vltro illi fomitem ſuggerimus,

Oſee ca.4. *Aug.lib.6. conf.ca.14* *Lib.6.cõfeſſ.ca.12.* *Gal.ca. 6.*

N

gerimus, materiamq́ue ſufficimus, nos totos abſorbet. Si enim caro noſtra Dalila eſt, machinabitur mortem Sampſoni. Si Eua eſt, pomum
Iud.ca.16. offeret viro ſuo. Si vxor Putipharis eſt, caſtum
Gen cap.3. Ioſephum ſollicitabit ad ſtuprum, & concubitum. Si ſaltatrix eſt, poſtulabit caput Ioan-
Mar.ca.6. nis Baptiſtæ. Plurimi autem, qui mentæ æternę ſacra cupidine tenentur, ſe caſtrauerunt prop-
Math. 29. ter regnum Dei. Laudantur tales in Apocalyp. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinqui-
Apo:ca.14 nati; virgines enim ſunt.

Quanquam vxorem ducere honeſtum ſit, quia tamen multi eam ducunt, libidinis & voluptatis cauſa, nequaquam verò prolis aut ſacramēti gratia, idcirco rectè per eos qui vxores ducunt, ſignificantur omnes; qui carnalibus deſiderijs æſtuant, ac luxui, voluptatibuſq́ue ſpurcis, & inconceſsis dant operam. *Et reuerſus ſeruus, narrauit hæc Domino ſuo.* Iſta renunciatio ſerui, nihil eſt aliud, quàm iuſta de hoc mundo querela: quòd ita ſit affixus rebus terrenis, vt nullis concionatorum blanditijs, nullis minis, aut commonitionibus inde auelli queat, ad amanda & proſequenda cœleſtia. Quid verò vetat huc referre quærulationem Heliæ dicen-
3. Re. 19. tis: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael, Altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occiderunt, & derelictus ſum ego ſolus? Sic Paulus ad Romanos queritur, de dura ceruice
Act.cap.7. fratrum ſuorum. Sic Stephanus ad Iudæos, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. *Tunc iratus paterfamilias, dixit ſeruo ſuo: Exi cito in plateas, & vicos ciui-*

vicos ciuitatis, & pauperes debiles, cæcos, & claudos introduc huc. Significatur hîc reiectio Iudæorum, & electio gentium. Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi (ait Paulus) 1.Corin.2.
ſunt nobiles, non multi potentes &c. ſed quæ ignobilia & contempta ſunt mundi, elegit Deus. Stomachobundus igitur conuiuator, & indignans aduerſus Iudæos, dicere videtur: Illos quidem conciues, & populares primos vocaui, neque habent quod querantur: illorum faſtidium tamen non perdet conuiuium meum. Erunt qui fruantur, etiam ſi illi contemnant oblatum honorem. Efficiam, vt qui ſibi videntur magni, cæcis, egenis, & claudis inuideant. Pingues ſunt, & ſaturi, neque meis cibis ſe indigere credunt, bene habet: ingrediantur igitur famelici pauperes, & infirmi, ac raris cœnæ meæ delitijs ſe expleant. Viſant faſtidioſi Hebræi agros, & emptas villas ſcrutentur, quantum quinque boum iuga lucri parere poſsint: iungant bellam vxorculam lateri ſuo, perinde atque mercator auarus peram ſuam: & dicant vno ore omnes, quotquot terra, & caro ſunt, ad Euangelium: Vale carum lumen. Abeant illi quo velint, ſatis conuiuarum aliunde mihi adſciſcam, qui & grati erunt, & gratiam mihi habebunt, quòd fuerint vocati. *Et ait ſeruus: Domine factum eſt, vt imperaſti, & adhuc locus eſt. & ait Dominus ſeruo: Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Significatur hîc, & declaratur quid ſit futurum, videlicet ingreſſurum potentiam in Eccleſiam, & poteſtatem ſæcularem, per quam fiet, vt reges,
 & prin-

& principes vtantur gladio, & portando gladium timori ſint, & contineant populum in officio, non ſolùm vtendo ferro, ac ſtringendo illud in eos, qui per furta ac latrocinia Rempublicam turbant, ſed in eos quoque, qui ordinem, & tranquillitatem Chriſtianæ religionis rumpunt. Quales ſunt hæretici, & ſchiſmatici, qui penis compelli debent ad vnitatem fidei. Errant igitur, qui (vt olim Donatiſtæ) principibus Chriſtianis perſuadere nituntur, nihil ad catholicos principes pertinere fidem, fideiue promotionem, aut eiuſdem contemptum, ac violationem, quod nihil eſt aliud dicere, quàm impunitatem peruicacibus, & ſeditioſis eſſe concedendam. Sed obijciunt quidam, Apoſtolum in eo conſtituere officij principum ſcopum, vt quietam, & tranquillam vitam agamus: quod futurum exiſtimant, ſi vnuſquiſque relinquatur ſuæ libertati, neque quiſpiam puniatur. Sed aduertant mentem, & videant ibi addi. *In omni pietate*, hoc eſt, in vero cultu, & vera religione. Quòd ſi ſolùm in fures, ſacrilegos, & piratas, latrones, & homicidas principibus gladium eſſe ſtringendum opinantur, quos ſolum Reipublicæ ferè perturbatores appellant, igitur in adulteros pacificè viuentes, in eoſque qui turpitudinem contra naturam exercent, animaduertendum non erit. Vtinam iſti hæreticorum patroni epiſtolā Cœleſtini Epiſcopi Romani ad Ioannem Antiochenum legant, in qua hæc habentur. Minor cura eſt obſidentis inimici, quàm intra mœnia debacchantis: leuiuſq; ſollicitat lupus extra

1. Tim. 2.

Celeſtinus pontifex epiſtola ad Ioannem Antbio. et

extra ouilia pererrans, quàm intra gregem lo- cum paſtoris inuadens; quia bellum pluſquam ciuile eſt, cùm in Eccleſiã, id eſt, intra Chriſti thalamum tela ſectæ impiæ iaciũtur. Hactenus Cœleſtinus. Si igitur gladio aut haſta hoſtes ar- centur à mœnibus, cur non ſtringẽtur in hoſtes qui intra mœnia ſæuiunt. Si fuſtibus aduerſus lupos vtimur; neceſſum erit eos, quos D. Paulus lupos appellare audet, ſemper popiſmo, & miti manu palpare? Sed iam ſermo claudatur.

habetur in ſynodo pri- ma Ephe- ſina.

Act. ca. 13.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Primo hic adnotandum eſt, priores illos ad cœ- nam vocatos, Iudæos intelligi debere: eos verò qui ex ſepibus, & vicis, ac locis inuijs extrahebantur, gentes eſſe.

SECVNDA.

Iuga boum, Σεῦχος *anceps eſt vocabulum, poteſt enim ſignificare ligneum illud, ſiue coreaceum iugum, quo boues, equique iugari ſolent, ſiue alio- rum iumentorum vehiculum. Sed præſenti loco de boum paribus accipiendum eſt, idque* κατὰ μεταλεψιν.

TERTIA.

Villam emi. *Sciendum nomine villæ non hic pa- gum ſignificari, vt quidam intelligunt, ſed ſimplici- ter agrum. Græce enim eſt* ἄγρον *vnde & apud La- tinos nomen ager, quam dictionem à Græcis mu- tuati ſumus.*

DOMINICA TERTIA POST TRINITATIS EVANGELIVM

Lucæ cap. 15.

ERant appropinquantes ad IESVM publicani, & peccatores, vt audirent illum.

Tanta fuit Domini IESV erga quoſuis benignitas, tam propenſus erga homines animus, vt tanquam ſol feruentior aquas, ita eos ad ſe pertraheret conſilio, auxilio, & re ipſa iuuando: Vnde & vndique ad illum ingens factus eſt concurſus, non aliter atque olim omnes concurrebant ad Dauidem ducem ſtrennu-
1. Reg. 22. um, & perliberalem. Conuenerunt ad eum, qui erant in anguſtia conſtituti, & grauati ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps. Nam ita legimus Primi Reg. cap. 22. Quòd ſi iucundum fuit, & conſultum, aut afflictis, aut his qui æs conflauerant alienum, ſub ſigna Dauidis confugiſſe, ac ei in re militari inſeruiſſe, quanto potius, & conſultius eſt, ad Saluatorem IESVM iter capere, ac illi proximum fieri, cùm ille ſit vnicus cordis humani medicus, imó & pater miſericordiarum, ac
Ephe. ca. 1. Deus (vt ait Paulus) totius conſolationis: cuius clementiæ exuberantiſsimo fonti propheta Dauid collatus, vix gutta eſt. Cùm miſella vidua Ruth multa pauperie premeretur, ſuaſu, & conſilio ſocrus nomine Nohemi, appropinquauit prædiuiti viro, cui nomen Boos, atque
Ruth. cap. 1. & 2. in illius ſe familiaritatem inſinuans, ita ſuppliciter precata eſt: Expande pallium tuum, quoniam pro-

niam propinquus es. Sed ſupplex vidua, quid eſt obſecro, precando conſecuta? A diuite illo iuuatur, ditatur, in vxorē ducitur. At plus omnino conſequitur, qui ſcelerum ſuorum ex animo pœnitens. Chriſto ſe propinquum reddit. Is enim perpetuò ditatur, atque illius paupertati diuitiæ Chriſti ſuccurrunt: deinde, ſi eius ſe lateri iungat, atque indiuulſè adhæreat, non aliter quàm ſponſus quiſpiam, nouam ſponſam diliget, defendet, locupletabitque. Iacob olim dum appropinquaret patri, benedictione donatur. Sed mirum eſt, quòd eos non abijciat, qui eum peccando, ac præuaricando abiecerunt. At quomodo abijceret, cùm tantæ ſit benignitatis, vt vel ſeptuagies ſepties in gratiam recipiat? Nonne Iepthe, peccatores qui ſe reiecerunt, & exilio multauerunt, ſupplices iam factos exaudijt, atque in ſuam curam recepit? Reuertimini igitur ò profugi peccatores, reuertimini, & reddite ei animas veſtras, quas peccando ab eius obſequio alienaſtis. Id enim iuſtiſsimum fuerit, cùm iuſtitia virtus ſit, quæ ſuum cuique diſtribuit. Reddite igitur illi animas eius, quas ſanguine pro ijs effuſo, fecit ſibi proprias. Empti enim eſtis pretio magno &c. Quanta eſt igitur iniuſtitia peccatoris, qui ipſum hominem Deo vero tollit, & immundis demonibus ſubdit: Hoccine eſt ſua vnicuique tribuere? An qui fundum aufert eius à quo emptus, & tradit ei, qui nihil in eo habet iuris, iniuſtus eſt: & qui ſe ipſum aufert dominanti Deo, à quo factus eſt, & malignis tradit ſpiritibus, iuſtus eſt? Iniuſti igitur omnes peccatores, qui Deo auferũt

Ge.ca. 27.

Ma.ca.18.

Iud.cap.11.

Aug.li.19. de Ciuita. Dei.ca.21.

fundum ſuum, & tradunt impio diabolo. Vah quantam inferet agro vaſtitatem. Quapropter aufer, ſubtrahe collum à iugo diaboli, & aſſere te per Dei gratiam in priſtinam libertatem. Sed valeat architectus malorum, Diabolus, & veluti ægri ad medicum properemus. *Vt audirent illum.* Tanta fuit verborum Chriſti, & doctrinæ dulcedo, tanta efficaria, vt eos qui rebus terrenis affixiſsimi, ad ſe alliceret, attraheretque, omneſque cuperent ſub eius ferula nouam vitam meditari. Quem vbi audiuiſſent, ita ſunt ad pietatem accenſi, atque animati, vt né momento quidem vno, ab illo pòſt auelli, aut ſeparari ſuſtinuiſſent. Quapropter vtile eſt peccatores IESVM accedere, & audire, propterea quòd maximis etiam tenebris obſiti, audito IESV verbo illuſtrentur. Hinc pſal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Si ſunt immundi, qui
Ioan. ca. 15 Chriſtum audiunt, expurgãtur. Iam vos mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Si ſunt frigidi, accenduntur. Nunquid verba mea ſicut ignis, & ſicut malleus conte-
Hiere. 23. rens petram? Si audieris verbum Dei, & fueris aurum, magis magiſque rutilabis: ſi fueris eruca, eris bombyx; ſi inanis ſtipula fueris, fies triticũ: ſi ſpina, fies lilium. Ibant peccatores vt audirent verbum eius. Verbum Dei ſpeculum eſt, in quo omnes tuas maculas facile viſurus es. Virgo quæ ſpeculum ſibi præſtituit, ne aciculã quidem affiget capiti, niſi conſulto ſpeculo: ſic nos quoque nihil vel tentare, vel agere poſſumus, niſi quemadmodum dictauerit præſcrip-
ſeritque

ſcritque verbum Dei. Qui perſpexerit in lege *Iacob.ca.1.*
perfectæ libertatis, & manſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in ſuo facto erit. *Et murmurabant ſcribæ & Phariſæi, dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum eis.* Acſi dicant, Hic IESVS qui nouam quandam ſanctimoniam profitetur, qui oſtendit (quantum poteſt) ſe eſſe Chriſtum, quem nobis omnibus vnum turba præfert, non abhorret à peſsimorum hominum commertio, ſed publicos etiam peccatores admittit ad colloquium. Hoccine eſt eſſe Meſsiam? Hoccine eſt collapſa erigere, nutantia firmare, ſolida ſeruare, & tueri? Sed parum eſt cum huiuſmodi nebulonibus, & ſycophantis miſcere colloquium, niſi & cibum cum illis ſumat. Quaſi verò qui cum eis manducabat, non edebat cum peccatoribus, quaſi ſcribæ & Phariſæi non ſint peccatores, ſed Angeli. Si Phariſæi volunt eſſe quod audiunt, nimirum iuſti, amici Dei, peccatorum oſores, non debebant murmurare aduerſus Chriſtum, quòd reciperet peccatores, ſed potius gaudere, quia peccatores ad meliorem vitam prouocaret. Sed cui quæſo obfuit, quod IESVM inuitatum publicani, & peccatores lubenter, & hylariter exceperũt: nihil decedebat ſacroſanctis illis Phariſæis, et plurimum emolumenti, et ſalutis attulit miſeris peccatoribus. Sani erant Phariſæi, non egebant medico, ſed quæſo, ne inuideant ægris, quibus opus eſt medico. Prandet cum peccatoribus, ſed facilè ſoluerit ſymbolum.

Peccatores qui inuitauerant, miniſtrãt quippiã tranſitoriũ,& terrenũ,Chriſtus ſoluit ęternũ,& cœleſte.Illi paſcunt Chriſti corpus, Chriſtus illorum animas. Sed quæ cauſa indignationis
4.Reg. 4. ô Phariſæi? Si vos ſanctiſsimi homines non inuitatis, quid indignamini, quòd rogetur ad ad prandendum à peccatoribus? cùm potius paſcat eos, quàm illi ipſum? Elias, relicto torrente, ad viduam Sareptanam properat, poſcit eleemoſynam. Non minuebat ea quæ vidua poſsidebat, & ei elargitus eſt, quæ non habe-
3.Re.c4.19 bat. Habebat apud ſe ampullulam olei, & pugillum farinæ, Hæc illi erant propria, quæ liberalis & benigna prophetæ obtulit. Sed quid ille? Quid? Dedit oleo atque farinæ creſcendi copiam, & continuum augmentum. Igitur bono & commodo fuit viduæ, quòd propheta illam pranſurus accedebat, plus enim recepit quàm dedit. Sic Dominum inuitant publicani, & peccatores, præbent terrenam alimoniam, ſed Dominus eos viciſsim paſcit cœleſti gratia.
Luc.c4.7. Sic iuit ad domum D. Mathæi, ſic ad domum Magdalenæ, adimens illi quod pectus eius vaſtabat, ſeptem illa dęmonia: & infundens quod eam locupletaret, gratiam, & miſericordiam. O miſeri, & malè conſulti phariſæi, ſi peccatores non ſunt recipiendi, quis vos recipiet? Si cum peccatoribus non eſt manducandum, igitur vos ſine IESV, hoc eſt, ſine ſalute edetis, aut fame potius moriemini. O quàm peccant iſti, qui fontem reprehendunt, quòd venas melliſluas ſentientibus, liberalis aperiat. O ſteriles, & exaridi rami, quàm amenos, quàm plenos fru-

nos fructus produceretis, ſi cum his peccatoribus ex infœcundo ceſpite, ex ſterili gleba vos tranſplantari ſineretis? Sed dicet quiſpiā, quid profuerit mihi proximum eſſe perhenni huic fonti, ſi ille miſericordiæ venas contineat? Enormia ſunt ſcelera mea, quid ſi me propellat, & à ſe iratus repudiet? Non ſolet iſtud facere, ſed quicumque ſe ſupplicem ad illius pedes demiſerit, ipſum largiſſuo rore imbuere, & abluere conſueuit. Nonne Dauidem, Manaſſen, Mathæum, latronem, alioſque iuuit peccatores? Sunt qui exiſtimant phariſæos in ea fuiſſe opinione, vt crederent Chriſtum conuictu, tanquam impuro contactu peccatorum inquinari, cuius fuiſſe Simon phariſæus videtur, qui Magdalenæ contactu IESVM contaminari putabat. Sed refellit hanc ſententiam Petrus Rauennatium Epiſcopus: Erras, inquit, phariſæe, lutum contingit ſol, ſed à luto non inficitur. Medicus tangit ſauciati vulnera, ſed ipſum putredo non inficit. Reus tangit iudicem, ſed cōmaculare non poteſt. Imò potius ſol terram vertit in aurum, & medicus ægrum ſua arte complexum ſanat, non ipſe vnà ęgrotat. Sed hic genius, hoc ingenium phariſæorum fuit, Ieſum vbique mordere, & carpere. Quòd ſi viri pij fuiſſent, meritò his peccatoribus congratulari debuiſſent, iam reſipiſcere cupientibus, & collaudare IESV benignitatem, quòd neminem faſtidiret, neminem accedentem à ſe ſubmoueret. Verùm difficile eſt veteratores iſtos allio Ægipti oppletos, & nihil præter allium calumniarum eructantes, veritati per Chriſtum re- *Luc. ca. 7.* *Petrus Rauennas.*

cens ad-

cens adductæ ſubſcribere. Allio aſſueti faſtidiunt manna cœleſte. Verum Chriſtus, vt omnium medicus, nec iſtos ægros deſpicit, vnde et eleganti parabola illis perſuadere conatur. *Quis ex vobis, inquit, homo eſt, qui habet centum oues. Et ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat. donec inueniet eam?*

Vult igitur dicere: Quàm Deus non auerſetur peccatores reſipiſcentes, ex ſuo quiſque animo conijectare poteſt, nimirum ſua cuique res chara eſt, nec cupit quippiam inde perire. Imò homines res ſibi gratas, ſi quo caſu perdiderint, diligenter quæſitum vadunt, donec reperiant: *Ioa.ca. 10.* & Chriſtus (qui ſe apud Ioannem paſtorem bonum appellat) qui tanto ardore complectitur gregem ſuum, vt etiam citius rurſus crucem conſcenderet, quàm totum diſpergi, & perdi ſineret, ſinat oues auxilio deſtitutas interire? At *Pſal. 99.* nos populus eius, et oues paſcuæ eius. Quod ſi ita eſt, clamet vnuſquiſque, qui ſe per flagitia, et ſcelera ſponte perditum iuit: Erraui ſicut ouis *Pſa. 118.* quæ perijt, quære ſeruũ tuum Domine. O quàm fuerunt Iacob patriarchæ oues, quas habuit, curæ? quem neque diurnus æſtus, neque nocturnum frigus à charo grege ſubmouere potuit. At oues illæ non fuerunt propriæ, ſed pertinebant *Gen. ca. 31.* ad Laban. Ille paſcit, & curat alienas, & Chriſtus negliget proprias? Voco proprias, tum quia creauit, tum quia redemit, & reparauit. Mirum ſanè quòd tam benignum, tam vigilem, tam noſtri amantem paſtorem deſerere poſſumus, & relicto Eccleſiæ ouili, vel ad

lupos

lupos deficere, vel ad mundi huius quiſquilias excurrere? Sed audi paſtorem tuum. Non eſt voluntas patris veſtri, vt pereat vnus ex his puſillis, pro quibus ſeipſum obtulit. & in eorum ſe totum impendit vtilitatem. Quod eleganter, & plenè oſtendit B. Thomas in hymno quodam. Mat. ca. 18

Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in precium,
Se regnans dat in premium. B. Thom. Aquinas in hymno de vener. ſacram.

Quod ſi quiſpiam hos verſiculos, breues quidem illos, ſed cœleſtibus fauis ſcaturientes, ſecum expendat, & veluti cum mundis animalibus ruminet; mētior, niſi incredibilē ſenſerit ſuauitatem. Quantæ enim benignitatis, & munificentiæ eſt, quod tanta Maieſtas viliſsimis ſeruulis dignetur in via eſſe ſocius, in conuiuio cibus, & morte intercedente, redemptionis precium, ac tandem eiſdem eſſe præmium? Ezech. cap. 18. Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Quàm bonus paſtor, qui pro oue vnica, ſcilicet Thoma dubitante, aperuit, & oſtendit vulnera ſua. Exemplo igitur Chriſti diligens ſit omnis prælatus, vt gregem ſuum paſcat. Quòd ſi quæ ouis à grege aberrauerit, aliȷs relictis eam quærat, ſuas inter deſerens voluptates, arripiēs itineris laborem, vt errātem in caulas referat. Iam apertū eſt, quàm debeat omnis paſtor ſuas oues habere in numerato, vt vel vnicàm errantem mox nouerit. Nūc quærēdū, quod ſit ouile ouium. Vtiq; Eccleſia eſt. Paſcua autē eſt verbū Dei. Leui. ca. 11. Eze. ca. 18.

Deſer-

Deſertum in quo ouis oberrare poſſet, eſt hic mundus, laquei, viſci, damnoſarum voluptatũ, exitialiumque periculorum vndique plenus. Vepreta, & vrticeta ibi plurima, in quibus plurimum lanę melioris perit. Sunt & noxiæ opinionum herbæ, hæreſeωnque mala gramina, quæ omnia gnauus, & vigil paſtor indicabit, ne pro ſalubribus carpant oues pernicioſa. Pulchrè verò peccator oui erranti cõparatur. Quid enim ouicula oberrante infœlicius? Quæ nec vnde veniat, nec quà ad caulas à feris, & lupis ſemilacerata redeat, ſatis nouit? Se ipſam autem aduerſus impetum, vim, & morſus tueri neſcit, niſi fortè balatu querulo, & miſerando, paſtoris operi implorando. Sed longum foret iſta proſequi. Quid verò faciet paſtor, ſi perditam ouiculam detur inuenire? *Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, & dicit: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Non tradidit eam tortoribus, qui ouem excarnificarent, vel excoriarent: non commiſit in carcerem, non ei maledixit, non abſtracta crudeliter lana vel percuſsit, vel ſauciauit, vel flagris conſcidit. Imò nec verbum quidem vnum duriuſculum prolocutus eſt. Quin ipſe potius vulnerari, flagellari, & lacerari propter ouiculas eſt paſſus, vt illæ aliquando ad paſtorem animarum conuerſæ, gratias agerent, aperteque profiterentur, quòd liuore eius ſanatæ, & ſeruatæ eſſent. Deinde iam & caput leuant
Iſa. ca. 53. olim perditæ oues, & laudant patrem in excelſis, qui iniquitates omnium noſtrũ, in dilectum filium ſu-

filium ſuum paſtorem noſtrum poſuit, vt lueret paſtor, quod ouis commiſit: & quæ non rapuit, exſolueret. Quæ obſecro hæc gratia eſt? Fur extrema quæque promeritus liberatur à carcere, & paſtor innocuus in crucem ſuſtollitur. Tantum autem abeſt, vt hoc omnes paſtores imitentur, vt ipſi potius contrà agant, adeo vt ipſi nonnunquam in humeros ab ouibus attolli velint, ac cum oneribus ſuis ipſi à grege portari. Chriſtus verò paſtor non imponit grauem ſarcinam, ſed ouem potius in ſe recipit, cum omnibus ſarcinis. Imponit tamen aliquando ouiculis crucem ſuam, ſed ea moderatione, vt & ipſe adimet molientes cum cruce iter ad Superos, & fructum omnem ob toleratam crucem oui tranſſcribens, & tribuens. Amici autem & vicini, angeli ſunt. Rectè autem amici dicuntur, quia ab eius volũtate nunquã diſcedũt, nunquam diſſentiunt. Vicini verò bene appellantur, quia à propinquo ſemper eius gloriam contemplantur. In eum cupiunt (inquit D. Petrus) angeli proſpicere. Sunt verò, qui ouem perditam interpretantur naturam humanam, nec omnino ineptè. Aſſcendit enim paſtor in cœlum cum noſtra natura, ferens eã tanquã ouiculam, in brachijs ſuis. Oſtendit autem hanc angelis, vt congratularentur, ac choros lætitiæ iungerent. Ecce, ecce, inquit, cũ duabus turmis regredior. Videte ò angeli, meſſem meã. Optimi certè vicini ſunt angelici ſpiritus, inter ſeſe perpetuò pacifici, nunquam de parietibus, nũquam de finibus inter ſe ambigentes. At homines miſeri, quantulis de rebus corrixantur?

Phi. ca. 2. | 1. Petri. 3.

Rurſus

Rurſus reuerti libet ad ouem humeris ſummi paſtoris inhærentem: Vulnerata erat, atque à lupis, & latronibus ſpoliata, nihil habebat virium ad redeundum, quod etiam ſi plurimum virium habuiſſet, iam viam qua abierat à grege, oblita erat, (ita peccatum faſcinat, & excæcat hominem) quod ſi viam optimè etiam calluiſſet, ea adeo erat inceſſa à latronibus, vt nemo perrumpere poſſet, quamlibet audax, & robuſtus, quantò minus imbellis, & meticuloſa ouicula? Quid hîc paſtor? Quid? Ipſe quæſitum vadit quod perierat, & inuentam reportat humeris ad reliquum gregem. Hoc fecit, cùm adhuc inimici eſſemus. Obſerua verò, quod additur, gaudentem id eum feciſſe. Quia licet fuerit acerbiſsimus dolor paſsionis eius, adeo vt nunquam fuerit ei ſimilis, hunc tamen omnem lætanter ſuſtinuit, vt perditam ouem recuperaret. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Iſtud gaudium quale ſit, pulchrè explicat D. Auguſtin. Gaudes in nobis (inquit) Domine, & in angelis tuis ſancta charitate ſanctis. Nam tu ſemper idem es. Quid ergo agitur in anima, cùm amplius delectatur in rebus inuentis, aut redditis, quas diligit, quàm ſi eas ſemper habuiſſet? Conteſtantur enim & cætera, & plena ſunt omnia teſtimonijs clamantibus. Ita eſt. Triumphat victor imperator, & non viciſſet, niſi pugnauiſſet. Et quanto maius periculum fuit in prelio, tanto maius gaudium eſt in triumpho. Iactat tempeſtas nauigan-

Ro. cap. 5.

Aug. lib. 8. confeſſ. ca. 3. 4. 5.

uigantes, minaturque naufragium, omnes futura morte palleſcunt. Tranquillatur mare & cœlum, & exultant nimis, quia timuerunt nimis. Æger eſt charus, & vena eius malum renunciat, omnes qui ſaluum cupiunt, ægrotant ſimul animo. Fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit, cùm antea ſaluus, & fortis ambularet. Edendi & bibendi voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi, & ſitiendi moleſtia. Et inſtitutum eſt, vt iam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpirauerit ſponſus dilatam. Vbique maius gaudium moleſtia maior præcedit. Hactenus D. Auguſtinus: cuius verba hanc ſententiam Chriſti, de gaudio ſuper vno peccatore pœnitente, clariſsimè explicant, etiam ſi nos ne verbum quidem vnum addiderimus. Sed pauca addemus. Dux in prælio plus diligit eum militem, qui, vbi congreſſus fuerit, fugam capeſcit, & pòſt reuerſus, fortius pugnat, quàm eum, qui nunquam terga dedit. Hinc D. Auguſtinus, contra Fauſtum ſcribens, ait, quòd illi agri plus placent, qui magno ſudore ſunt eruderati, & inutilibus ſtirpibus liberati, quàm agri, qui ſpinas ac rudera nunquam habuerunt. Sic mater ægrum filiolum tepido ſinu fouet, meliori cruſtula donat, ſuſpendit ad vbera, veluti geminos eos fontes ſemel in os eius vellet exprimere. Omnes quidem alios filios benignè aſpicit, ſed hic maiori eget cura. Sunt autem nonnulli in ea opinione, vt autument hîc Chriſtum loqui, non de verè iuſtis, ſed de Pha-

riſæis, qui ſe iuſtos exiſtimabant, & interim aſpernabantur cæteros. Similis eſt illa locutio Chriſti; Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Nam phariſæi ſeſe ſanctos, & ſanos eſſe aiebant, alios verò peccatores. Hanc explicationem non reijcit Auguſtinus, ſed amplectitur. Quem ſequuntur plurimi. Meminit huius in eruditiſsimus prælectionibus ſuis in Lucam, eruditiſsimus, & digniſsimus Cancellarius Louanienſis, Magiſter noſter Michael Bayus, & acutiſsimus S. Theologiæ profeſſor Magiſter Ioannes Heſſelius: quos iuncto pede lubenter ſequimur. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit dragmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inuenerit, & cùm inuenerit &c.*

Aug li. 2. de quæſt. Euangel. 32. cap.

Eiuſdem omnino ſententiæ eſt hæc parabola cum ſuperiori. Nam qui paſtor ſupra fuit Chriſtus, hîc per mulierem ſignificatur. Si igitur mulier, niſi quæ planè ſit prodiga, ne teruncium quidem aut obulum ex ſuo theſauro ſinit perire, quantò minus Chriſtus aliquam patietur perire animarum, ſi tanquam medicus, & paſtor, cùm animi pœnitudine quæratur. Quàm lætatur ſenior ille Tobias, quàm tota præ gaudio exultat, geſtitque Anna, cùm audit videtque Tobiam filium rediјſſe? Sic gaudent Chriſtus, & ſponſa eius Eccleſia, quando morbida, & vix triſtem anhelitum trahens ouicula domum reuertitur, et nummulus perditus refertur ad reliquum theſaurum. Habet hic Wycelius in poſtilla ſua piam admonitiunculã, quam non piget adiungere. Si quando (inquit) videris

deriſvſque in agro oberrantem, et longè à paſtore ſuo balantem ouiculam, ſtatim tibi in mentem veniant paſtor Chriſtus, et errabunda anima, ac miſeratus errantem, ſuſpira pro infœlicibus peccatoribus. Si autem conſpexeris mulierem aliquam ſurſum, deorſumque in domo ſollicitam, anxiamque diſcurrere, luſtrare ſingula, ſcrutari omnia, imò et puluerem, ſordeſque admotis ſcopis euerrere drachmámque quærere, mox obuerſetur animo tuo Ieſus, qui lumen in tenebris accendit, vt hominem veluti drachmam ad imaginem ſuam expreſſam, et excuſam, è puluere ſubuehat ad gazophilacium æternum. Quod ſi aſſueuerit quiſpiam facere, non pœnitendam inde referet vtilitatem. *Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agēte.*

Planè diuerſa ſunt hæc, pugnantque ex diametro peccator peccans, et peccator pænitens. Super iſto rident boni angeli in cælo, ſuper illo rident mali ſpiritus in inferno. Gaudent angeli, quia numerus beatorum augetur. Gaudent angeli, quia vident cuſtodiæ ſuæ fructum. Quid differimus igitur angelicis illis ſpiritibus noua inferre gaudia? Exiliamus ad pij illius paſtoris pios humeros, et illis nos diuinæ clementiæ manibus offeramus, qui ſe nobis paſtorem ſollicitudine, affectione exhibet mulierem. Cui honor et gloria. Amen.

Parabolarum iſtarum de oue videlicet, & drachma, Domini IESV ſcopus eſt, oſtendere Phariſæis, ſe cupere perditos quoſque ad numerum electorum perducere, ideoque cum publicanis, & peccatoribus ferè diuerſari, & congredi, atque ob id phariſæos, qui idcirco murmurabant, declarare velle diuerſam à ſe, & angelis mentem habere, ac proinde prauam, & Sathanicam. Quid enim aliud cupit liuidus Sathan, quàm oues Chriſti perire?

SECVNDA.

Centum oues. *Centenarius numerus perfectus eſt, & à perfectione decidit, qui tanquam ouis à centenario numero deficit.*

TERTIA.

Euerrit domum. *Non euertit, legendum eſt. Conſule textũ Græcum, σαροῖ τὴν οἰκίαν euerrat domum. Verbum enim σαρόω, idem eſt quod noſtrum euerro. Sed facilis fuit lapſus ſcriptoris, qui pro r, ſubſtituit, t.*

QVARTA.

Ioan. Gagnæus. Drachmas decem. *Drachma eſt idem, quod denarius valens tres ſolidos Turonenſes cum dimidio.*

QVINTA.

Geor. VVycelius. Quæ mulier. *Hæc mulier eſt Eccleſia, ſponſa altiſsimi, mulier amicta ſole. Hæc eſt pecunioſa, & incredibilibus præfecta theſauris, plurimas poſsidens animas, quæ ſponſo eius non ſolido auro, non rudi, ſignatóue argento, ſed precioſo cruore redemptæ ſunt. Quapropter plurimi eas facit, nolitque vel earum minimæ iacturam facere, quod tamen inuidia, & dolo*
1. Petri. 5. *diaboli contingit aliquando: Circuit enim ille, tanquam leo rugiens in prædam. Sed nonnunquam paſtores*

ſtores & rectores Eccleſiæ in culpa ſunt, quòd tot drachmæ perdantur, cùm videlicet luxu, & delitijs occupati, ac cuticulam curantes, de ſubditis vix cogitant. Non ait autem mulier: inueni drachmam meam, ſicut Chriſtus paſtor ait, inueni ouem meam: ſed ſimpliciter ait, inueni drachmam, quia oues ſunt Chriſto IESV propriæ (vt legimus apud Ioan.) imo & drachmæ ſunt Chriſto propriæ, qui ſponſus eſt, & non ſunt Eccleſiæ propriæ, quæ ſponſa eſt. Hinc non audet dicere, meam drachmam. Tantũ autẽ habet ſponſa, quantum ei ſponſus donat. Hinc pulchrè in Actis: Appoſitæ ſunt in illa die, ad Eccleſiam ſcilicet, animæ tria milia. Ioa. ca. 10. & 21. 1. Pet. ca. 5. Act. ca. 2.

SEXTA.

Gaudium erit in cœlo. *Ferè tota metaphorica eſt hæc locutio. Gaudent verò angeli in cœlo ſuper pœnitentia vnius. Quidam candidè & ſimpliciter interpretantes, aiunt, & trinitatem gaudere. Primò gaudet pater rex cœleſtis, quia filius ei eſt natus. Sic lætantur Zacharias, & Elyzabeth de nato Ioanne. Secundo gaudet filius, quia videt effectum mortis ſuæ, & paſsionis, vulnerúmque in hoc pœnitẽte efficatiã, & imaginem, ouémque ſuam ſibi redditam. Tertio, gaudet Spiritus ſanctus, quia videt templum ſuum iam mundatum. Gaudet, quia reuixit membrum, quod fuit mortuum. Gaudet quia membrũ paralyticum prius incipit operari. Gaudet ſpiritus ſanctus, quia iam vaſculum cordis humani expurgatur à fece, vel potius vappa amoris mundi huius, vt inſtillet ei SS. oleum puriſsimum, oleum, inquam, impinguans, & leniens vlcera peccatorum.*

DOMINICA QVARTA
POST TRINITATIS EVANGELIVM

Lucæ. cap. 6.

D*Ixit IESVS diſcipulis ſuis: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*
Nullum non mouet lapidem Chriſtus, vt diſcipulos reddat quotidié ſeipſis meliores: modò præceptis, modò verbis blandiuſculis, modò durioribus commonens: nunc terrens ſupplicio, nunc alliciens pręmio. In hoc igitur Euangelio, ſe ipſum tanquam perfectum, & abſolutum exemplar illorum conſpectui offert. Eſtote (inquit) miſericordes, ſicut pater veſter. Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Item: Sicut miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Si patris huius filij ſumus, decet etiam illius veſtigijs nos quoque ingredi, et illius indolem factis exprimere. Filij nonnunquam carnales patres ſuos ferè facie, loquela, riſu, moribus, & aliquo corporis ſigno referunt. Inde tamen, etiam ſi fuerint tam aſsimiles, quàm ouum ouo, nullam conſequuntur laudem: ſi verò diſsimiles, nullam vituperationem, propterea quòd non ſit in hominis poteſtate, qualem ſortiatur formam, quale corpus. Filij autem Dei, ſi patri fuerint aſsimiles, laudem: ſi diſsimiles, vituperium ſibi lucrifaciunt. Quæris quare? Quia in noſtri arbitrij poteſtate, cum diuinæ gratiæ ſuccurſu, patrem virtutibus, & moribus probatis referre, ſitum eſt. Nobilium, ac locuple-

Pſal. 144.
Pſal. 102.

cupletum (ait Chryſoſtomus) filij , ornatus gratia, aureum monile , aureamque, quam gerunt, torquem nunquam deponunt. Mutant veſtes, torquem non mutant: ſed velut gentilitium nobilitatis ſuæ argumentum, & inſigne, geſtant. Itidem & nos beneficentia indutos eſſe oportet, re ipſa declarantes, quòd ſimus filij patris noſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Miſeri cordia IESVM deduxit à cœlo, pro redẽptione miſerorum, inter ſpinas & flagra, ad crucem, imò & ad mortem, eamque acerbiſsimã, & probroſiſsimã contendere compulit. Vtinam illius exemplo etiam miſerorum incommodis condoleremus, ac oculi humani naturam indueremus. Nam omnium membrorum oculus tenerrimum eſt, ſtatimque in lachrymas ſoluitur: ſic & nos propenſi eſſe debemus, ad commiſerandum.

Chryſ. in epiſtolam ad Philip.

Mat. ca.5.

Admirabilis ſanè virtus eſt miſericordia, quæ aliorum malis fit illuſtrior, & clarior. Imo (quod mireris magis) aliorum ſordibus niteſcit, paupertate locupletatur, morbis denique aliorum ſanatur. Miſeria, incommoda, infortunium, inopia, poſtremo & aliorum calamitates ſeges eius ſunt, vnde plurimum ſolidæ laudis ſibi metere ſolet.

Hæc eſt illa benigniſsima regina, quæ onera portat aliorum. Quantò autem plura proximi portat, tantò magis oneribus propriorũ peccatorum ſe liberat, atque exonerat. Imò onera aliorũ frequẽter furatur alijs ignorantibus, dum ipſis pœnitentiam negligentibus, peccata eorũ aſſumit, & aſſumens lamẽtum dolẽdo, lugendo,

Gal. cap.6.

orando, pro eis eleemoſynam faciẽdo, fraternã exercet charitatem. Viuax ſanè virtus miſeri-
Mat. c4.8. cordia, quæ fœtore eorum, qui ſpiritualiter mortui ſunt, nequaquam moritur, ſed potiùs roboratur. Ipſa eſt, quæ colligit de peccatorum ſpinis vuas, & de tribulis ficus. Inſignis autem fons eſt miſericordia, in multos riuulos ſe diſpertiens, ac diuidens: Inſignis arbor multis ramis locupletata. Sed ramos, ac riuulos eius paulò diligentius conſideremus. *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Charitatis, & miſericordiæ eſt, quod quis proximum (quem vti ſeipſum diligit) non facilè iudicet. At iam ſanè hoc Domini præceptum ſub ſcamno, & pedibus conculcatum iacet. Nam mox ad minimam ventuli aurã dicimus, ille talis, ac talis eſt: Ille impius eſt in Deum, ille in parentes. Ille auarus, ille prodigus, ille ad rem attentior, ille ſui profuſior eſt. Vbi iam illud cœleſte prouerbium? Noſce teipſum. Quid? An tantum tibi ſuppetit otij, aliena vt cures, eaque quę nihil ad te attinent? Id vitiũ planè phariſaicum eſt, et ſcribis quoque peculiare. Phariſæi cùm ſibi ignoſcerẽt in grauiſſimis ſceleribus, in aliorum lapſus perſpicaces erant, et pluſquam lyncei. Quin et nonnunquam rectè facta in calumniam rapiebãt, ſiniſtrè interpretantes, quę erant ambigua: exaggerãtes, quę erant leuia: atque omnino, iuxta Domini verbum, excolantes culi-
Mat. c4.23 cem, & camelum glutientes. A phariſæis hoc tam tetrum venenũ etiam ad Chriſtianos demanauit, vt ad ſua mala nihil aliud ſint quàm talpæ:

talpæ:ad aliena,Momi, & lyncei.Petrus ſe non cognouit, quum iactaret ſe pro Domino mortem oppetiturum, quanta incertior aliorum notitia. Túne temerariè Mome, in pectorum aliorum abyſſum audes deſcēdere,cùm tibi ipſi non ſatis ſis exploratus, aut notus? Sed conſilium D. Bernadi lubēter ſequamur, qui piè admodum, vt ſemper, nos monet. Caue, inquit, ne ſis curioſus explorator, aut temerarius iudex, etiam ſi perperam quid actum deprehendas,nec ſic iudices proximum,ſed excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quòd ſi omnem omnino excuſationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſem, vehemens omnino fuit iſta tentatio. Quid de me illa feciſſet? ſi in me accepiſſet ſimiliter poteſtatem? Hactenus Bernadus. Paulus monet Roman. ſuos, vt ſi non mādućans alium videat manducantem, eum idcirco non iudicet. Verbi gratia. Eſt qui de ſtomacho queritur, & ideo ieiunare nolit: tu id non credens,edacitatis vitio tribuis,tum profectò temerariè iudicas.Sed vnde quæſo naſcitur tale iudicium? D. Gregorius,& D. Thomas Aquinas aiunt, huius mali radicē nullam eſſe aliam quàm ſuperbiam.Nam homines modeſti,& humiles alios ęſtimant ſe meliores.Deinde ſi proximum diligerēmus, in illius calamitate triſtes eſſemus, excuſaremuſque miſericordes eius lapſum. Sed tanta eſt cordis humani peruerſitas, vt alios ex noſtro ingenio facilè metiamur: ſicut quando funditur metal-

Bern. ſer. 40. in Cantic.

Ro. ca. 14.

Greg. li. 9. Mor. ca. 18. D. Tho. 22 quæſt. 60. artic. 1.

lum, illam prorſus accipit formam, quam in modiolo deprehendit: ſic qui cor habent deforme, quicquid cernunt, arbitrantur eſſe & informe. Ad eundem modum & infirmo vinum non magis ſapit, quàm vappa, non vini ratione, ſed propter palatum corruptum. Hinc optimè Eccleſiaſtes cap. 10. *S*tultus in via ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat. Quiuis enim prauis imbutus affectibus, ita philautiæ morbo laborat, vt cùm totus voluptatibus præſentis vitæ ſit addictus, arbitratur omnes earundem rerum ſtudio delectari debere, quarum ipſe delectatur. *Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Ne propenſi, ac procliues ſitis ad quenquam condemnandum. Etenim ſæpenumero fit, vt qui prima ſpecie mali, & improbi videantur, boni ſint. Quid properamus præcipitare ſententiã? Olim & homines & angelos iudicabimus. Suſpẽdite igitur ſententiam. Quid? Nũ ſententiam dicitis, priuſquam res in aperto eſt, priuſquam conſtet? Non potes de facto ambiguo certi quippiam ſtatuere. Propriè verò iudicare, eſt fratrem diris deuouere: vt ſi quis dicat fratrem ita proteruum eſſe, & contumacem, vt meritò diaboli filius appelletur. Vt ſi quis pronunciet: Hic carnifex, aut furcifer dignus eſt, qui corpore & anima quàm citiſsimè pereat: hic recta detrudendus eſt orcum.. Huiuſmodi voces minimè ſunt Chriſtianæ, ſed potius iræ inueteratæ, & odij germina. Hi fructus excandeſcentis animi. Sunt & plures huiuſmodi apud craſſum vulgus execrationes. Exempli gratia: quando

quiſpiã ex media vulgi fece ira impotenti ęſtu-
at & furit,ad hunc ferè modum exclamat:Dig-
nus eſt iſte rabula, vt in nullo habeatur nume-
ro,vt probi omnes cane vitent peius,& angue.
Indignior eſt, quàm qui ad communem men-
ſam admittatur, quàm qui cũ reliquis det ſym-
bolum.&c. *Dimittite,& dimittemini.* Ac ſi di-
cat:Cur ita ſeuerus,imò crudelis es in fratrem?
Cur perpetuo illius erratula, ac delicta,ad can-
delabrum prope candelam tuam ſtatuuntur,
crimina verò tua ſub ſcamno, vel modio latẽt
caueſque diligenter,ne ad lucem protrahantur?
An tu nunquam turbaſti aliquam aquam? An
vſque ad hanc ætatem fuiſti angelus?Quid?Ex-
pectas apotheoſim, & inſcribi catalogo Diuo-
rum? At me grauiſsimè (inquies) & indig-
niſsimè læſit. Eſto. An tu nunquam viciſsim
læſiſti illum?Nunquam,ais.Demus & hoc tibi.
Sed nunquam læſiſti alium? Nunquam offendi-
ſti Deum? Non diffiteris, Igitur ſicut optas,vt
tibi ignoſcat Deus, ita viciſsim fratri quoque
ignoſcas.Pulchrè Solomon: Remitte proximo *Eccl.ca.28*
nocenti tibi, & tunc deprecanti peccata tua
ſoluentur. Homo homini reſeruat iram, & à
Deo quærit medelam? Quòd ſi ad S. Scripturæ
exempla reſpicere velimus, complures profe-
ctò reperiemus, qui grauiſsimè læſi facillimè
condonauerunt ſibi irrogatam iniuriam.Quàm
grauiter, & indignè perſecutus eſt rex Saul
Dauidem? At ille,vt erat animo candido, regi *1.Reg.24.*
ignouit, nunc illi oram clamidis deſcindens, *& 26.*
nunc haſtam, & aquam auferens. Simili leni-
tate fuit Propheta ille, qui Heroboam regi ex-
candeſ-

3.Re.ca.13 candeſcenti, & hominem carceri mancipandum comminanti dextram iam inutilem, & aridam prece ad Deum fuſa, reſtituit. Quem non irritarent, quem non efferarent contumeliæ, & iniuriæ, quas in Ioſeph benignißimum, & humanißimum adoleſcentem accumulârunt fratres, dum illum interimere meditati, paucorum conſilio mutata ſententia vendiderunt? At quid ille? Cùm iam aſſertus in libertatem, rerum potiretur in Ægypto, fratres ſupplices iam factos in gratiam recepit, imò & Geneſ.cap. vltimo. benignè inſuper eſt allocutus: Nolite, inquit, timere, ego paſcam vos, & paruulos veſtros. Ignoſce igitur frater fratri, ſi Dei in te benignitatem, & clementiam experiri deſideras. Sed ais: Audio quod mones, & lubenter obtemperabo, fratrique quam mihi irrogauit iniuriã, cõdonabo: at poſthac diſſecto, ac dirupto familiaritatis mutuæ filo, nihil in illum beneficij collocabo, etiam ſi ſim opulentißimus, illeque meo fauore, auxilioque egeat. Quid ais? At Ioſeph non tam hoſtili in fratres fuit animo, ſed poſt donatam iniuriam liberaliter, & humaniter fratres affatus eſt. Ego (inquit) poſthac paſcam vos. Quòd ſi vobis aliquid humanitus contingat, aut aliqua neceßitas rebus viuentium eximat, veſtros liberos, non ſecus atque vos ipſos enutriam. Pudeat nos noui teſtamenti homines, à veteribus ſuperari, ac longè à tergo relinqui. Contra tales igitur, qui Ioſephum quidem imitantur condonando, ſed imitari grauantur ſupplices alendo, præcipit hic Chriſtus: *Date, & dabitur vobis.* Potéſne hoc cum Deo in-

Deo inire pactum, vt tibi ſolum peccata remittat, nihil tamen boni addat? Quapropter quemadmodum cupis tecum agere Deum, ita & tu cum proximo agas. Si danti eleemoſynam redditur, veriſsimum eſt vulgo tritiſsimum verbum: Eleemoſynam dare non reddit hominem pauperiorem. Aelmoeſſen gheuen en armet niet. Hinc pulchrè Solomon: Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, quia pauperes, quibus gratificamur modò, olim viciſsim gratificabuntur nobis, & recipient nos in æterna tabernacula. Hic quadrat verbum D. Pauli: Beatius eſt dare, quàm accipere. Qui enim dat, meretur: qui verè accipit, quid meretur? Diteſcis tribuendo, creſcitque dato tibi munere virtus. Hilarem verò datorem diligit (ſic D. Paulus ait) Deus. Coacta, & veluti extorta eleemoſyna, ingrata eſt. Si illubenter tribuis, nullam conſequeris mercedem. Oportet igitur largitorem hylarem eſſe, & beneuolum. Nam (teſte Ambroſio) nulla eſt beneficentia, ſi nulla eſt beneuolentia. Nemo ſeminat, & litigat. Si inuitus facis, quæ tibi merces eſt? Si ſapimus igitur, lubẽter & alacriter Domino fœnerabimur. Scribit D. Ambroſius, ſe plæroſque ſacerdotes cognouiſſe, qui quanto plus dabant, tantò plus abundabant. Alacriter idcirco donandum eſt, non animo triſti. Agricola non triſti ſpargit ſemina vultu, ſed gaudens potius, ac ſubinde etiam cantans, non aliter ac ſi manipulos colligeret, aut meteret, qui tamen in Iulium, aut Auguſtum differuntur. Sed poſt verba Chryſoſto. Auguſtini audiamus. Alacres (ait) pauperi-

Pro.ca.19.
Luc.ca.16.
Act.20.
2.Co.ca.9.
Lib.1.offi-cior.ca.30.
Chryſ.homil.55. in. Geneſ.

Auguſt. in pſal. 42. pauperibus eleemoſynas elargiamur, ne dum panem triſtis dediſti, reſpondeat tibi Deus, panem, & meritum perdidiſti. At reſpondebit auaritiæ mancipium: Egóne filias meas hæreditate ſpoliabo, vt pauperes alam? Sed tu mihi viciſsim reſponde quæſo, an debeas animam propriam fructu huius operis ſpoliare, vt filias relinquas ditiores? Nónne anima tua tibi pro filia etiam habenda eſt? Fac igitur, vt anima eleemoſynæ fructu & locupletior ſit, & ſpecioſior. Admodum verò abſurdi ſunt, qui id quod negant egenis, concedunt muribus, vermibus, & tineis: quum infinitis partibus homines pauperes præſtent iſtis beſtiolis. Grande piaculum eſt, res potius ſinere putreſcere, quàm alijs vtiliter expendere. Tales ſunt, qui panes malint eſſe mucidos, carnes vermiculoſas, & lintea, veſteſque à muribus arroſa, & foraminulenta, quàm inde inopes vel paſcere, vel veſtire. Quapropter Diuus Iacobus iubet, vt vlulent, et plorent. *Iac. cap. 5.* Agite nunc (inquit) diuites, plorate, vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, et veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum, et argentum veſtrum æruginauit, et ærugo in teſtimonium vobis erit, et manducabit carnes veſtras. Putrefactio diuitiarum, veſtimentorum corroſio, et metalli erugo, feret aduerſus vos teſtimonium, arguens tenacitatem veſtram (ait in hunc locum Oecumenius) *Oecumen.* Quin et teſtatur diuiti illi purpurato, eru- *Beda.* ginem pecuniarum in teſtimonium nequitiæ,

et in

et in augmentum verſam fuiſſe pœnarum. *Luc.c4.16.*

Porro quum plærique mortalium præmijs potius quàm minis duci, allicique ad virtutum opera malint, quid Dominus polliceatur ſe daturum, audiamus.

Menſuram bonam, & confertam, coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.

Ex quatuor conditionibus materialis menſuræ voluit Dominum oſtendere munificum, et perliberalem remuneratorem. Menſura bona eſt, quæ eſt iuſta, nequaquam contracta, ſed neque adamuſsim iuſta, ſed liberaliter iuſta. Menſura conferta eſt ea, quæ Græcè aptè dicitur, πεπιεσμένον, id eſt, preſſa. Hoc pacto fit, vt modius, vel medimnus, ac vas plus capiat. Tertio debet menſura eſſe coagitata, hoc eſt, bene concuſſa, vt triticum ſubſidat. Quarto, debet eſſe ſupereffluens, hoc eſt, vt completo vaſculo adhuc nonnihil accumuletur, quemadmodum fieri videmus in menſuris auenarijs, ſic enim metiuntur ſitopolæ in Flandria. Sed qui dabunt? Vtique pauperes. Illorum enim eſt reddere, qui antè receperunt. D. Ioannes Chryſoſtomus appellat pauperum ventres horrea æternitatis. Nam quicquid in præſenti ſæculo in ventribus et ſinubus ægenorum collocauerint, recondiderintque diuites, id in ſeculo futuro illis, veluti ex horreis, deprometur.

Stant modò pauperes ante ianuas domorum veſtrarum eſurientes, ſitientes, frigore rigentes, vt vel buccellam, micámue accipiant: at illi ijdem aliquando ſtabunt *Luc.c4.16.*

ad oſti-

ad oſtium regni cœlorum veluti hoſpitibus ad-uentantibus præfecti, & recipient vos in æterna tabernacula: & receptis, in ſinum defundent menſuram bonam, cõfertam, coagitatam, & ſupereffluentem, ſeu exuberantem. Hîc mendicant, ibi largientur: hîc egent, ibi abundabunt: hîc famelici, ibi ſaturi: hîc peregrini, ibi ciues. Quales vos hîc experiuntur pauperes, tales eos ibi viciſsim experiemini.
Eadem enim menſura, qua menſi fueritis, remetietur
Greg Nyſſen. *vobis.* Huc faciunt verba Gregorij Nyſſeni: Meſſem (inquit) habebis ô homo, ſemente dignam. Fugiſti miſericordiam, fugiet & illa à te. Deteſtatus es pauperem, deteſtabitur te, qui propter nos factus eſt pauper. Negauit diues epulo miſero Lazaro micam, negata eſt illi
2. Cor. 9. gutta. Qui parcè ſeminat (ait Paulus) parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. *Dicebat autem & illis ſimilitudinem: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadent?* Non excuſatur, qui ſequitur ductorem errantem. Qui vult proximum fallere, pro duce ſe gerere ſolet. Quando affecti ſumus iniuria, tunc volumus aliũ corripere. Profectò non ſumus tũ idonei, quia cùm habeamus animum exulceratum, & ira excæcatum, non poſſumus alijs rectum iter oſtendere. Læſit te quiſpiam vehementer, ac contumeliam, multaque conuitia ingeſsit, tu verò cùm non minori æſtues bile, par pari referre properas. Sed ô cæce, num conuitijs cõuitio mederi potes? num cœnum aſperſum cœnoſa manu abluere ſtudes? Laterem lauas.
Quin

Quin potius ambo in foueam ructis. Miſeri paſtores, infauſti concionatores, qui complu-ribus erroribus obnoxij, alios in viam rectam ducere conantur. Docent non furandum, & ſacrilegium faciunt: docent non mœchan-dum, et adulterium committunt. Legimus *Roma.2.* Lucæ capite 14. Si lumen, quod in te eſt, *Luca 14.* tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quantæ erunt? Si errore cæcus eſt paſtor, væ gregi eius: ſi hal-lucinatur concionator, væ auditoribus. Si lu-pum occultat paſtor ſub pallio, vę ouibus, quia omnes rectà ad exitium properant, omneś ad foueam vadunt. Rectè conqueritur Hieremias. *Hierem.35* Speculatores cæci omnes, canes muti, non va-lentes latrare. Maledicti ſanè duces illi cæci, qui tot milia animarum pertrahunt ſecum ad Tartarum. Maledictus, qui errare facit cæcum. *Deute. 27.* Eandem hanc ſententiam habet Dominus, contra Phariſæos: qui quum eſſent errorum *Matth. 15.* fermento corrupti, diſcipulis, & proſelytis ſuis, nihil niſi fermentum docuerunt. Quid prodeſt ô Phariſæi, circuire mare & aridam ad parandum vnum proſelytum, & cùm iam factus fuerit, veſtros illi errores affigere, ve-ſtram lepram affricare. Vtinam cæci duntaxat fuiſſent Arrius, Neſtorius, & Pelagius, & non etiam duces cæci, vnde & innumeros ſecum ad hæreſeωn barathrum abripuerunt. Cæci fue-runt decem tribuum exploratores, ſed hoc *Num.c.13.* parum eſt, ſed fuerunt & populo ductores cæci *14.* ad interitum. Nam dum detrahunt terræ pro-miſsionis, vulgus quoque eidem regioni ob-trectare docuerunt. Sic & Abſolon ductor cæ-

cus fuit, & populum ſibi addictum, & obſequentem in certiſsimam duxit traxitque perniciem. *Non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* Quaſi dicat: Si tu, qui te aliorum doctorem præbes, fueris in vitio, non eſt ſpes meliorem poſſe fieri, quem tu doces, & eruditiorem efficere laboras. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, qui in oculo tuo eſt, non conſideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine, eijciam feſtucam de oculo tuo; ipſe in oculo tuo trabem non vides?* Infœlix, & odioſe ſimulator, tu prægrandem in oculo geſtas trabem, quo igitur pacto proximi feſtucam cernere potes? Tolle tuum, quod te excæcat ſcelus, & tum fratris lippitudinem auferre pergas. An illum plus quàm teipſum diligis? Difficile crediderim. Sed vel ex hypocriſi de fratris feſtuca tractas, nempe vt cæteris videaris ſanctior, & vt videaris medicus, & frater æger. Vel ex mero odio hæc tua correptio proficiſcitur, vt frater apud alios traducatur. Charitatis autem ſtudium eſt prodeſſe, odij verò obeſſe. Ad regulam igitur charitatis exigi, & menſurari debet fratris correptio.

Actor. 9. Ne dicas igitur, ille ganeo eſt, iſta meretrix, *Luc. 9.* quia Saulús poteſt fieri Paulus, & peccatrix, pœnitens. Vnde tibi conceſſa libertas, omnes paſſim reprehendendi, & nunquam in teipſum deſcendendi? Teipſum naſo apprehende, tuam domum euerre, ſi otij fugitans es, & tantum tibi vndique negotij naſcetur, vt aliena facile negligas. Sed ita plerumque fit, vt nobiles,

& mag-

& magni fures cruci furunculos affigi velint, & Clodius Verrem accuſet, Catilina Cethegum. Euangelici accuſant Pontificios, iſti viciſsim illos. Maxima pars hominum morbo iactatur eodem. Hinc Germanicum illud prouerbium: Geenen en es onder allen/ die niet oock en can vallen. Bene autem hypocritæ præpoſteri iſti reprehenſores vocantur, quoniam cùm maxime ægri ſint, ſanorum, & medicorum perſonam induunt: vel quia prætextu correctionis fraternæ aliena vitia notant, & odioſè cenſent. *Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, vt educas feſtucam de oculo fratris tui.* Miſerere primum animæ tuæ, placens Deo. Medice prius cura teipſum. O hypocrita, cùm venter tibi in immenſum promineat, ac tumeat, nam hydropicus es, perpetuò clamas, & debaccharis in fratrem, quòd digitulo ſolùm tumeat, aut genis. Non pudet, cùm inſtar oui gallinacij in indice geras vlcus, eo oſtendere cuiuis fratris verrucam, aut puſtulam, quæ in manu eius hæret? Depone prius ventrem, adime tibi vlcus, & tum te vel medicum, vel chirurgum fratris exhibe. Tolle mortalia à teipſo peccata, & deinde ad venialia fratris delicta corrigenda accingere. Sed quàm præpoſterum eſt, totum mare claſſe immenſa perturbat Alexander, & à ſtultis hominibus rex appellatur: vnica nauicula mare ſulcat, percurritque alter, & pirata vocatur. *Luce 4.*

P 2 ANNO-

Nolite iudicare. *Non prohibetur hîc magiſtratui ſeculari, aut Epiſcopo iudicium exercere in facinoroſos. Nam & Paulus iudicauit fornicarium Corinthium. Et Dominus toties iudicauit Phariſæos, dicens: Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi. Sed temerarium hic ſolum iudicium prohibetur, quo noſtris neglectis, aliena temerè cenſemus.*

1.Cor.5.

SECVNDA.

Nolite condemnare, &c. *Hæc particula in Græco textu non inuenitur apud Mathæum, quamuis hic apud Lucam habeatur.*

TERTIA.

Remetietur vobis. *Eraſmus hic vertit, remetientur alij vobis. Cui ſenſui admodum cõſonum eſt quod ſequitur, videlicet, dabunt in ſinum veſtrum.*

QVARTA.

Dabunt in ſinum. *Caietanus intelligit veſtra merita, veſtrum non iudicare, veſtrum dimittere, veſtrum dare: Hæc dabunt mẽſuram bonam. Sed rectius ſequemur Auguſt. li. 2. de quæſt. Euangel. cap. 8. qui intelligit quòd pauperes dabũt diuitibus, ſecundum quem loquendi modum poſtea de pauperibus dicitur: quòd recipiant beneficos diuites in æterna tabernacula.*

QVINTA.

Feſtucam. *Calepinus ſequens D. Auguſtinũ, ait, feſtucam eſſe arboris nouellæ, aut cuiuſcunque ſati pullulum. Dictio tamen* κάρφος *magis videtur ſignificare, breuiſsimam ligni particulam, vulgari lingua* een ſplintere / *vnde* καρφολόγια, *hoc eſt, feſtucarum collectio.*

DOMI-

DOMINICA QVINTA POST TRINITATIS EVANGELIVM.

Lucæ cap. 5.

CVm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat iuxta ſtagnum Genezareth.

Cùm apud omnes, & paſsim indies latius inclareſceret fama Ieſu, tantus vndique fiebat hominum affluxus, vt iam non ſatis eſſet illum ſui copiam facere in ſynagogis, oppidis, ac vicis, verùm quoquo ſe ſubduceret Dominus, eò ſimul accurreret promiſcua virorum, ac mulierum multitudo. Nec tamen erat omnibus idem ſtudium, aut cauſa ſequendi. Plæroſque pellexerat amor ſanitatis, nonnullos inuitabat miraculorum nouitas, permultos cœleſtis doctrinæ vis attrahebat. Maximum enim erat audiendi verbi Dei deſiderium, quòd ſatis apertè notat Euangeliſta, dum ſcribit, turbas irruiſſe in Chriſtum. Nihil deterrebat eius auditores, non deſerti vaſtitas, non montium laborioſus aſſcenſus: Neque pudor arcebat irrumpendi priuatam domum, ſi domum fortè petijſſet, vt occultaretur. Denique ventum eſt ad ſtagnum, ibi nec nauigare quidem poterant, nec IESVM deſerere. Confluebant, irruebant, irrumpebant, hærebant, vrgebant. Videmus hîc quàm auidus fuerit Iudaicus populus doctrinæ cœleſtis. In pluribus verò locis oſtenditur hæc Iudæorum alacritas. De illis illud vulgatum meritò dici poteſt: Principium *Luc cap. 8. Marc. 2.*

ſeruet, ſed finis alget. Facile enim reſtringebatur hic audiendi ardor. Neque hic populi promptus animus ſolum commendatur, ſed & Chriſti ad docendum cupidos illos benignitas, dum eum teſtatur Lucas nihil offenſum vrgentis turbæ improbitate, ſed illorum deſiderio ſatiſfacere volentem, nauem conſcendiſſe, è qua à tumultu, & populi gregatim accurrentis liber, & tranquillius docere, & facilius audiri poſſet. Sanè ambiguum videri poſſet, vter alacrior eſſet, populus ad hauriendum, an Chriſtus ad vltro effundendum fluenta ſalutis. Illéne ad bibendum, an iſte ad propinandum.

Lib. ſecun. Æneid. Huc locum habere poteſt Virgilianum illud:

Conticuêre omnes, intentiq; ora tenebant.

Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum. Piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia.

Et hîc nihil obſcuri, omniaque apertiſsima, niſi miſticum hinc ſenſum eruere velimus, quo lauiſſe retia, nihil eſt aliud, quàm è ſacris literis aſſumere eruditionem, & verbum ſcriptum, vel per manus traditum diligenter excutere & reuoluere, & non venari, aut propria fantaſmata, aut aliena ſomnia. Hæc enim mirè contaminant retia Euangelica. D. Aug. ſermonibus 5. & 6. in Nouis ſermonibus, appellat mare iſtud ſæculum, piſcatores Petrum, Andræam, Iacobum, & Ioannem, eorumque ſucceſſores. Retia verò, verbum Dei. Omnibus autem verbi Dei concionatoribus lauanda retia ſunt, præcipuè à tribus, ſcilicet à quæſtu temporali, ab inani gloria, & ab adulatione. Hæc tria pulchrè comprehendit breui ſententia D. Paulus.

Auguſt. in ſermo. per Vlimmerij collectis.

1. Theſ. 2.

Neque fuimus (inquit) aliquando in ſermone adulationis (ſicut ſcitis), neque in occaſione auaritiæ (Deus teſtis eſt) nec quærentes ab hominibus gloriam. Rari ſunt hac tempeſtate concionatores, qui Paulum Apoſtolum imitari ſtudent, ſed potius apud rude vulgus inire laudem, aut apud proceres, magnateſque gratiam quærere cogitant: alij ſermonem Euangelicum vertunt in quęſtum, alijſque imponunt ſuo lucro. Nonnulli etiam hominum vitia palpant, & nequitiæ effreniq́ue licentiæ adulantur. Tales ingenium referunt pſeudoprophetarum, qui Achabo regi palpum obtruſerunt, et impoſturis ſuis illum in Syros concitauerunt. Quin et Zedechias filius Chanaana, ne non regi perſuaderet, cornua ſumpſit ferrea, et ait: His Domine rex ventilabis Syriam. O aſſentatorem peſsimum. Nam cùm huic ſcurræ plus fidei haberet, quàm veridico prophetæ Micheæ, armis ſumptis prælium cum Syris (quod fuit ei operum humanorum extremum) commiſit. Erat in eo conflictu Ioſaphat rex Iudæ. Is, quòd vir bonus eſſet, facile ſubodoratus eſt omnes illos pſeudoprophetas ad gratiam loqui, ac ſpectare quæſtum potiùs, quàm veritatem. Nã cùm rex ille verè ouis eſſet Domini, Dei præceptis obſequentiſsima, vi quadam naturali ſenſit, olfecitque prophetas illos ad vnum omnes, excepto Michea, nihil aliud eſſe quàm lupos. Vtinam auditores hodie, quando pſeudoprophetarum ingens eſt prouentus, tã ſagaci nare eſſent. Sed nihil facilius, quàm rudi, ac ſimplici verba dare popello.

3. Reg. 22.

Videntur mihi prædicatores illi, qui blanditijs ſuis, atque ad gratiam compoſitis verbis, virus afflant auditoribus ſuis, optimè locuſtis illis in Apocalypſi comparari, quibus data eſt poteſtas ſcorpionum, quibus omnis vis, omneque venenum in cauda eſt, Quoniam blando, & molli ſermone homines ad exitium pertrahunt. Hinc Eſaias Propheta: docens mendacium, ipſe eſt cauda. Non eſt igitur adulatione vtendum, ſed veritas ipſa, ſiue ægrè ferant, ſiue vltro amplectantur homines, dicenda eſt. Imò potius mors toleranda; quàm verbum Dei deſerendum. Conabatur diabolus prophetam Eſaiam ad ſuas partes trahere, atque perſuadere, vt quæ hactenus docuerat, non eſſe verbum Domini. Sed reſtitit Eſaias, nec à Domino alienari potuit, aut ſeparari. Nam cùm propheta in carcere eſſet; ac mole imminentis vrgeretur exitij, dixit ei diabolus: Dic quia non à Domino locutus es; quæ dixiſti. Quod ſi feceris, omnium in te mentes, affectuſque mutabo, vt qui indignantur iniuriam, abſolutionem conferant. Fuit propheta Eſaias acerrimus legis diuinæ vindex, & aſſertor, nec blanditijs, nec minis à recto, & iuſto dimoueri poterat. Id verò cùm doleret diabolus, nullum non mouebat lapidem, vt prophetam euerteret, & ad ſua mendacia traduceret. Sed ille adiutorio Domini fretus, tanquam rupes immobilis conſtans perſeuerauit, nec diabolo cedere voluit. Sed vide quæſo diaboli vafriciem. Dic, inquit, non prædicaſſe te verbum Domini: ſed potiùs mendacia, & falſa pronunciaſſe.

Apocal. 9.
Eſai. ca. 9.
Ambroſ. in Pſal. 118.

ciaſſe. Quod ſi feceris, omnium nobilium, procerum, purpuratorum, magnatumque fauorem ad te conuertam. Modò illis inuiſus es, exoſuſque, tum verò fueris multò chariſsimus, tum in ſinu & brachijs geſtabunt. Amat enim mundus ſua vitia palpari, nec ſeuerius, ac durius vlcera, quamlibet magna, & ſuppurata, tangi patitur. Non tamen idcirco Eccleſiaſtæ tacendum erit, ſed etiam ſi ſciret certo, propter reprehendendi libertatem, inimicos ſibi capiundos omnes homines eorum nequitiam, & flagitioſam vitam acribus verbis perſtringet, cùm prophetæ Eſaiæ præceperit: Clama (inquit) ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. Annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Cùm igitur piſcatores hominum, id eſt, concionatores, rete Euangelicum ex varijs ſcripturæ ſacræ ſententijs contextum, in mare, & procellas huius mundi proijciunt, cauebunt, ne quid vanæ gloriæ, auaritiæ, aut fœdæ aſſentationis reti inhęreſcat, ſed purè in capturam, & ſine ſordibus laxetur. Lotis igitur retibus Apoſtolorum *Aſcendit Chriſtus in vnam nauim, quæ erat Simonis, & rogauit à terra reducere puſillum, & ſedens docebat de nauicula turbas.* Nauim conſcendit, non quamlibet, ſed Petri. Et naui pro cathedra vtitur, nimirum docens exemplo, omnia colloquia noſtra, quocunque venerimus, debere ſapere ædificationem, ſiue foris, ſiue domi ſimus. Docet in carcere Hieremias. Mittit ad Chriſtum docendos diſcipulos Ioannes Baptiſta, prædicat idem in deſerto, docet in monte

Eſaie 58.

monte Chriſtus, docet in campo, docet in templo, docet ad puteũ Sichar, docet in naui. Sicut ſemper tempeſtiuum eſt ſpirare, ſic ſemper eſt tempeſtiuum docere, & Dei Euangelium populo annunciare. *Sedens docebat.* Is erat mos olim, vt ſedendo docerent doctores. Id quod in multis Euangelij locis patet. Iam non vacat myſterio, quòd IESVS neglecta altera naui, Petri deligeret ſibi nauiculam. Hoc enim ſignificat, quòd extra Petri nauiculam, id eſt, Eccleſiam, non prædicat Chriſtus, ſed potius Sathan ſeducit, & peruertit. Qui igitur Chriſtum audire cupit, ad Petri nauiculam properet, nec inde diſcedat. Ibi veritas eſt, & ipſiſsima animarum eſurientium alimonia. Solida hæc nauis, neque rimoſa, vt hac aut illac perfluat. Poteſt quiſpiam ex naui hac excidere, ſed ipſa nũquam mergitur, quantumuis aſsilientibus, nauemque pulſantibus procellis, & quantumuis furentibus aquilonibus & euris. Vt enim olim Nohe nauis, ſic modò *Gen.cap.8.* Petri fluctibus & periculis omnibus ſuperior eſt, auſpicijs, ductu, & gubernatiõe Chriſti Ieſu. Sed non peccauerit (inquit Chryſ.) qui Eccleſi- *Chryſ. homilia.3. de pœnitẽtia.* am arca maiorem eſſe conceſſerit. Arca quidem animalia ſuſcipit, & animalia conſeruat. Eccleſia verò animalia ſuſcipiens, eadem trãſformat. Nohe nauem ingreditur accipiter, & accipiter exit. Introiuit Eccleſiæ nauem accipiter, & exit columba. Introiuit lupus & egreditur ouis. Circe olim virga tactos ſocios Vlyſsis (ſi poëtis credere dignum) mutauit in porcos. At noſter Chriſtus, etiam porcos in ſuam receptos nauem,

nem, vertit in homines: & ex feris mites, ex impuris puros, & caſtos, ex indomitis cicures facit. Sed quo id facit modo? Efficatia pabuli ſui, hoc eſt, doctrinæ ſuæ vi, quam in naui Petri exerit, qua poteſt vertere, & mutare omnia. Hoc vnum verò multo fletu, largiſque lachrymis proſequendum, quòd quidam hanc nauim tam infenſe & pertinaciter odiunt. Neque ſibi ſolùm, ſed & alijs quos inde auellere, ne orthodoxam doctrinam audiant, agreſtéſque mores imbuere, nulla non arte contendunt. Tales ſunt hæretici, qui nunquam non veterem illam concinunt: Noſtra eſt Eccleſia, noſter Chriſtus, noſtra Scriptura. At quomodo veſtra cõciliabula Eccleſia eſſe poſsit, cùm medicinam pro ægris veſtris vel non habeatis, vel non admittatis? Verùm contra vos Lactantium Firmianum audite. Quia ſinguli quique coetus hereticorum ſe potiſsimũ Chriſtianos, & ſuam eſſe Eccleſiam putant, ſciendum eſt, illam eſſe veram, in qua eſt confeſsio & poenitentia, quę peccata & vulnera, quibus ſubiecta eſt carnis imbecillitas, ſalubriter curat. In hac igitur Eccleſia (vt Lactantij vtar verbis) fons veritatis eſt. Eccleſia eſt domicilium fidei, templum Dei. quod ſi quis non intrauerit, vel à quo ſi quis exiuerit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt. Sola igitur Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet. Vt ſi quis aquam vitæ cupiat haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam, ſed vberrimum DEI nouerit fontem, quò irrigatus, perenni luce potiatur: hactenus Lactantius.

Lact. li. 4 cap. 30.

Hier. ca. 3.

Si quis

Si quis velit & fuſius, & fortè ſolidius cognoſcere, quibus notis, & ſignis Eccleſia Catholica ab hæreticorum conuenticulis diſtinguatur, legat Cardinalem à turrecremata, & poſt eum Venerabilem Hoſium. *Sedens docebat.*

Cardinalis de turrecremata in Summa de Ecclesia. Hoſius Cardinalis in Cõfeſſ. Poloniça.

A verbo καθημα, ſedeo eſt cathedra, quod Latini ſuggeſtum appellant. Olim enim ſedentes, docebant Phariſæi. Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcunque dixerint vobis, facite. &c. D. Paulus & Lucas ſedebant iuxta flumen, apud ciuitatē Macedoniæ Philippos. Sic habetur enim: Sedentes, loquebamur mulieribus, quæ conuenerant. Paulus etiam ſedit ad pedes Gamalielis. Sed ô fœlix nauicula, quæ altiſsimum ferre potes. O fœlix nauis, in quam ſe demiſit altiſsimus. Profectò magnũ eſt pondus, quod geſtaſti. Quid? Nõne geſtaſti eum, qui portat cœlum & terram? Cœlum & terra eum capere nequeunt. O magna ſarcina, ô magnum pondus. O magna nauis. Prius in te ſederũt piſcatores magni, nũc ſedet in te Deus magnus. Prius ſeruiebas captioni piſcium, modò ſeruis capienti animas. Prius ſeruiebas lucro piſcium, modò ſeruis lucro animarũ. Prius fuerũt in te piſces, & piſcatores, & modò facta es ſuggeſtũ, & cathedra concionatoris. Prius in te audiebatur verbum mundi, modò auditur verbum Chriſti. Abite iam cum remis, & retibus, Chriſtus iam concionari cupit, non opus eſt retibus, vbi iam adeſt verbum Dei. *Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.* Iam ſermone abſoluto quem è ſcal-

Matth. 23. Act. 16.

mo

mo piſcatorio, tanquam è cathedra ſedens, ad populum habuit, ad Petrum, inter piſcatores illos non infimum, conuerſus (erat enim Nauiculæ Petrus moderator) iubet retia ad circumueniendos & concludendos piſces explicare, atq; nauigium prouehere in profundum, vbi veriſimile erat deliteſcere piſcium copiam. Sed vide quæſo amice lector, quàm eleganti Chriſtus ordine ſua omnia peragit, rebus diuinis primum, ac principem tribuens locum, hinc ad humana deflectẽs. Primo doctrina cœleſti, tum populum in littore cõſiſtentem, tum piſcatores ipſos imbuens & erudiẽs, deinde ad innocuam piſcandi artem adhortans, pulcherrimum viuendi ordinem docet. Quid hoc eſt aliud, quàm primum querere regnum Dei, & inde cætera quoque nobis adijci. Immenſum eſt lucrum, quod audito Dei verbo Petrus, conſequitur incredibilem verriculo piſcium multitudinem includens. Vtinam noſtratium vulgus id æmularentur, & nequaquam niſi audita re diuina ad negotia humanâ effunderent, & à ſacris irent ad prophana. Sed occinet hic nobis phylargyros, aut auarus quiſpiam: Interea dum ſacris occupamur, nonnihil perit lucri. Non ita eſt, ſed potius fœlicius ſuccedunt omnia. Apud Germanos iactatur id diuerbij: Gods dienſt hooren en verlet niet / almoeſen gheuen en armet niet. Sententiam hanc eleganti tetraſticho nobis reddidit Hofmeiſterus,

Matth. 6.

Iohannes Hofmeſterus.

Eſt mora, quæ te non remoratur, tempora ſacris
Impende officijs, & bene viue Deo.

Eſt ſum

Eſt ſumptus nihil abſumens, dare munus egenti,
Cadent hinc rebus fœnora magna tuis.

Prima igitur cura ſit animæ proxima corporis. Quid, quòd & Petri primatus hîc vel exprimitur, vel adumbratur? Nam quòd eius nauem potius, quàm alteram ingreditur Dominus, quòd illi peculiariter dixerit: Duc in altum, id eſt, profundum maris, nauim ſcilicet: deinde quòd illi vnicè dixerit: Noli timere, ex hoc iam homines capies, Petri in Eccleſia prærogatiuam indicat.

Reſpondens autem Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cœpimus. In verbo autem tuo laxabo rete. Quid obſecro in nocte comprehenderent. Sit labor noſter etiam maximus, ſi noctis eſt, nihil eſt. Qui in tene-
Ioan.11. brisambulat (ait Chriſtus) offendit, quia lux non eſt in eo. Fruſtra arat colonus, fruſtra piſcatur piſcator, fruſtra putat vineam operarius, fruſtra ſudat viator, fruſtra laborat faber, ſiue lignarius, ſiue ferrarius, niſi Deus cooperetur, aſpiretque lucis ſuæ fauorem. Illic in omni opere debet eſſe Alpha et ω, prora, et puppis.
Apoca.1. Qui nos creauit, in omni nobis adeſſe debet labore, manus et ars ſine Deo nihil efficiunt.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus. Si moralem hîc, vt plærique, ſenſum intueamur, apertè fatebimur, noctis et tenebrarum filiòs nihil capere, ſed potius oleum et operam perdere. Siue enim doceat quiſpiam, ſiue concionetur, niſi ad ſacræ dilectionis lucem præſentem hæc
1.Corin.13. peragat, nihil ſibi confert, ſed erit veluti æs

ſonans

ſonans, ac cymbalum tinniens. Qui enim extra charitatem eſt, alijs ædificare poteſt, ſed ſibi nihil niſi paleas parat. Lingua ædificans, nihil ſibi promouet, dum facinoroſa vita, corruptiſque moribus, tanquam manibus deſtruit. Vnus ædificans, et vnus deſtruens, quid illis prodeſt niſi labor? Hoc autem in confeſſo, arboris ramum vim omnem ſuam habere à radice, cui ſi non adhęreat, aut ſi ea deſtituatur, non video quem fructum proferre queat. Si autem auellatur ab arbore, totus exareſcit, tantum abeſt, vt fructus ferat. Nobis igitur radix eſt Chriſtus, in quo et robur, et virtus noſtra. Quandiu autem in Chriſto eiuſque charitate fundati, et radicati ſumus (vt ſcribit Diuus Paulus) fœcundi rami ſumus, fructuſque ſuauiſsimos ferimus. Quando verò, inſtigante ſerpente antiquo à Chriſto diuellimur, ac ſponte fœdus inimus cum morte: vel quando carnalibus illecebris inuitati, deſciſcimus à diuina dilectione, iam non poſſumus producere fructum. Id pulchrè nobis *Ioan. 15.* in Euangelio indicauit Dominus. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, et vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Heu quàm inexplicabilis, quàm incredibilis dolor erit peccatori, ſub mortem vrgentem ad emigrandum, cùm omnes labores ſuos cernet eſſe caſſos, omneſque curas inanes, et euanidas? Dicet fortè apud ſe:

Hei

Hei mihi, quantum me veluti venenata aranea euiſceraui, vt caperem muſcas, quantum me effudi, & delaſſaui ad quærendas paleas. Pluris feci lutum, quàm cœlum: aurum quàm Deum: carneas voluptates quàm ſynceri animi delitias. Diuitias quæſiui, Deum amiſi. Ah quem nunc fructum colligo ex pudendis peccatis? Omnia mea modò tranſierunt ſicuti vmbra.
Sapien. 5. Væ mihi ſtolido & imprudenti mercatori. Ah quantum nunc patior naufragium. Omnia in hac nauicula collocaui, quæ modò pereunt, merguntur que, & ego inutilis mercator nudus enato. Quid mihi in littus eiecto, & naufrago dicturus eſt Chriſtus? Quo pacto ſubducam vitæ meç, actorumque omnium calculum? Effundet in me omnes furoris ſui fluctus. Heus, inquiet, bone vir, redde rationem villicationis tuæ. Vbi ſunt talenta fidei tuç credita? Quare non poſuiſti pecuniam meam ad fœnebrem
Matth. 24. menſam? Porrò ſi rami ſunt dilectionis nodo, arbori Chriſto coniuncti, malintque in cineres verti, comburique, quàm mortali peccato aſſentiri: tunc congregabit ſibi immenſos fructuum thezauros, vnde perpetuò ſuſtentetur. Sed rogabit quiſpiam: Ergo nihil capiunt piſcatores in nocte laborantes. Capiunt conchas, ranas, lutum, algam, quæ ita exigui ſunt momenti, vt ſoleant piſcatores dicere ſocijs ſuis: Nihil cepimus. Ad eundem modum ſcelerati peccatores nihil capiunt aliud, quàm ſudorem, laborem, & dolorem: *In verbo tuo laxabo rete.* Domine (inquit Petrus) tota nocte inſidiati ſumus piſcibus, neque quicquam tamen cepimus,

mus: itaque diffiſi, ablutum prius, purgatúmque compoſuimus rete: ſed quia iubes, in verbo tuo laxabimus illud rurſus: verbo nimirum et præcepto freti. O promptam, et alacrem obedientiam. Sciuerat Petrus, ne caudam quidem piſciculi eo loci capiendam eſſe, cùm toties fruſtra tentaſſet: nihil tamē hæſitat, ſed totum ſe accingit, ad Domini Ieſu iuſſum faceſcēdum, fiditque eius verbo. Cogitabat ſecum: qui me piſcari vult, piſces etiam creare poteſt, vbi antè nulli fuerunt: itaque ſequar, quocumque me vocet. Quòd ſi quiſpiam incredulus adfuiſſet, riſiſſet Petri conatum, quòd capere velit, vbi ſciat nihil eſſe quod capiatur. Tales olim increduli et perfidi inter Iſraëlitas erant, qui negabant Deum ſuis poſſe ſternere, et inſtruere menſam in deſerto. Nunquid (aiebant) poterit Deus parare menſam in deſerto? *Pſalm. 77.* Fecit tamen populi ſui amore rem pœnè incredibilem, et manna coturnicibuſque eum pauit. *Exod. 16.* Alacriter igitur Petrus cum ſocijs retia conuoluta relaxant. *Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Et rumpebatur rete eorum.* Hinc diſcas benigne auditor, quàm debeas verbo diuino fidere, et de eius voluntate non minus, quàm de eius omnipotentia dubitare. Hoc eſt, vtrumque tibi perſuadeas, Deum et velle, et poſſe tibi benefacere. Quis iam Petrum reprehendat incogitantiæ, quòd comprehendere velit, vbi nihil eſſe ſciat. Videsne, quòd IESV verbum prompta fide ſuſceptum piſces concludat? Diſce hîc credere, diſce hic fidere. Tanta autem reti in-

hæreſcebat piſcium copia, vt impar ponderi dirumperetur, vſqueadeo vt vnica nauis non ſufficeret prædæ capiendæ. *Rumpebatur rete.* Non eſt hic Poætica hyperbole, ſed Euangelica veritas. Quòd autem rete rumpebatur, ſignificabatur, quòd prauorum hominum, qui ſimul cum bonis per Euangelicam prædicationem congregantur, culpa & improbitate, rete Euangelicum lacerandum, hæreticis ſcilicet contendentibus, diuinorum librorum contextas ſententias ſoluere. Quod ſi eueniat, Petri munus erit, conuocare ſocios, epiſcopos, qui ſecum diſpiceat, quo pacto rupta ſarciri poſſent. Eius enim, & conuocare Eccleſiæ primores, celebrare ſynodum, & controuerſias omnes componere, & dogmata ſancire.

Annuerunt igitur ſociјs qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos.

Ecce fraternæ charitatis inſigne, & præclarum exemplum. Petrus probè nouerat ſuos, qui cùm res poſtularet, vltro accurrerent, & adeſſent. Annuit itaque eis, vt adeſſent. Id ſignificat etiam, quòd Petrus, qui Apoſtolus & præfectus fuit Synagogæ, non ſufficiebat, neque par erat tantæ piſcationi, ſed deliguntur & Apoſtoli gentium, Paulus & Barnabas. Hi incredibilem fructum piſcando & laborando fecerunt in nationibus infidelium paganorum, & non penitendos piſces collegerunt. Quamuis autem vnica ſit Chriſti Eccleſia, tamen per duas naues typus eius oſtenditur: quòd videlicet ex duobus populis multitudo eius congreganda. Petrus igitur cum ſuis aduocat ma-

cat manus adiutrices eorum, qui in altera erãt naui. Neque illi cunctantur, ſed prompti opem laturi aduolant. *Et impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* Clarum & ſuſpiciendum miraculum, rete rumpitur, nauiculæ ferè merguntur. Quis autem per totum orbem nauta, quis piſcator ſimile quid aut vidit, aut audiuit. Sed rete, & naues ſenſerunt diuinam poteſtatem. Quid ais Lector, nonne cathedræ ſuæ vſum hic præceptor largiter & plenè ſoluit, tantam tribuens piſcium copiam? Ite, & currite ad forum fœlices piſcatores, & ſi quid æris alieni contraxiſtis, diſſoluite. *Id cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Petrus viſo tam ſpecioſo miraculo, in ſtuporem raptus, exclamat: Exi Domine. Sed quid tibi Petre, venit in mentem? Medico dicis, vt diſcedat ab infirmo? Quin potius rogare debes, vt maneat. Verùm dixit hoc Petrus, magna commonitus reuerentia, eo modo quo pauper & infirmus ruſticus loqueretur nobiliſsimo chirurgo. Exi à me, quoniam pauper ſum. Conſiderauit ſublimem illam maieſtatem, & ſuam vilitatem: deinde ſecum expendebat hinc attonitus, exi, ait, à me Domine. Ita et Centurio: Domine non ſum dignus, vt venias ſub tectũ meũ. Simile quid habes de vidua Sareptana ad Heliã: Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt rememorentur peccata mea, & interficeres filiũ meũ. Metuebat mulier-cula, ne ob cõmertiũ indignitatis ſuæ, cũ tanta prophetæ ſanctitate, vindicta ſumeretur iniqui-

Mat. ca. 8.
3. Reg. 17.

tatum eius à Deo. Huiuſmodi aliquid metuiſſe Petrum patet ex verbis Domini, dicentis: *Noli metuere, quia ex hoc iam homines eris capiens.* Metuebat Petrus, metuebat vidua ad tantam lucem, ad tam præfulgidam facem, peccatorum ſuorum caliginem in propatulo futuram, ac tum ſe pœnis ſubigendum. Aſpexit Abraham Deum, et ſe tanquam vilem homuncionem

Gen. ca. 18. deiecit, ſeque puluerem appellauit. Videbat Petrus duas naues tam piſcium plenas, ac ſi iam Deus recens creaſſet, imò tanquam ex cœlo delapſi fuiſſent: & hinc ita obſtupeſcit, comparans tantam potētiam ad ſuam fragilitatem. Ac ſi diceret: O ego impurus homuncio, quibus meis meritis hoc ſum conſecutus, vt tantum miraculum coram conſpicerem. O quàm iniquus et indignus coram tuis oculis hic Domine conſiſto, cùm tu filius Dei ſis, et ego contrà filius ſim hominis peccatoris: imò talis et ipſe peccator, vt indignus ſim qui te aſpiciam. Quapropter exi Domine, ab hac nauicula, quæ non poteſt tantam ferre claritatem. Simile quid paſſus videtur Eſaias. Vidi (inquit) Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, &

Eſaiæ 6. eleuatum, & plena erat omnis domus à maieſtate eius &c. Hac autem modeſtia ſua docuit, quid Apoſtolico ſit faciendum concionatori, ſi quando fœliciter ſuccedit opera prædicationis. Tametſi enim ea peragatur humanæ vocis miniſterio, ſumma tamen laudis totius vni Chriſto tribuenda eſt, cuius auſpicijs ſoluitur ad dicendum lingua, cuius & ſpiritus afflat dicentis pectus, cuius occulta attrahit animos audito-

auditorũ, tanquam piſces ad retia. *Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum eo erant, in captura piſcium. Similiter & Iacobum, & Ioannem filios Zebedei, qui erant ſocij Simonis.* Porro hic ſtupor typus quidam fuit ſtuporis conſequentis Apoſtolorum prædicationem. Quis enim non obſtupeſceret, conſiderans viros idiotas, numero paucos, qui nunquam eloquentiæ leges tenuerant, tot hominum milibus perſuadere, vt contemptis affectibus, neglectis neceſsitatibus, contritis idolis ad crucis IESV vexillum conuolarent, ac ſpretis principum aduerſantium minis, ſpretis ſupplicijs, ſimplicem Chriſti doctrinam amplecti? Sed audiamus quid Dominus Petro reſponderit: *Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.* Acſi dicat: Mi Simon, nihil tibi aduerſi, nihil incommodi affliget, aut premet, quia diuina poteſtas hîc præſens eſt. Hoc verò vnum te ignorare nolim, quòd quemadmodum in mari Galileę, hactenus piſcando lucrum facere conſueuiſti, ita aucto honore, cumulataque gratia, poſthac in ſpatioſiſsimo huius mundi freto, homines capturus es: hoc eſt, ab infidelitate ducturus es ad fidem & ſalutem: tanti apud me tua eſt modeſtia, & cor contritum. Petrum autem piſcatorem hominum indicat textus, Act. 2. vbi. 3 milia Iudæorum per rete Euangelicum traxit ad littus noui teſtamenti. *Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.*

PRIMA.

Stagnum Genezareth. *Mathæus, & Marcus vocant mare Galileæ. Dicitur & mare Tyberiadis, ab inſigni vrbe, quæ in eius littore ſita eſt. Hebræi vocãt Cinnereth, vel Cinneroth. Tempore autem Chriſti cùm Iudæi magis loquerẽtur Syriacè quàm Hebraicè, dicebatur Genezareth, vel Genezar. De hoc lacu ſcribit Plinius lib. 5. cap. 15. & Ioſephus, lib. 3. de bello Iudaico. Iuxta Plinium, lacus ſexdecim milium paſſuum longitudinis eſt, ſex verò latitudinis.*

SECVNDA.

Vt lauarent retia. *Hic admiranda eſt Domini diſpenſatio, vnumquémque ad ſe trahentis per propria, & familiaria ſua, ſicut tres Magos aſtronomiæ ſtudioſos, ad ſe euocauit per ſtellam, & hic piſcatores per piſces.*

TERTIA.

Homines eris capiens. *Pro capiens, Græcè eſt σωχρῶν, Eſt autem σωχρεῖν viuum capere, Proinde rectè intelligitur ſignificari, Petrum quidẽ capturum homines, ſed non quomodo hoſtis in bello, hoſtes ſuos capere ſtudet, quos aut mortuos capit, aut ad mortem, & ſeruitutem: ſed quomodo aliquis ſtudens captiuos de manu hoſtium redimere. Is enim viuum capere cupit, ac vitæ, libertatique reſtituere. Euangeliſta verò (vt ſentit Ioan. Gagneius) innuit diuerſam hanc Petri piſcationem futuram à priore. Nam olim piſces capiebat ad occidendum, poſthac verò homines peccatis mortuos piſcari cœpit ad Chriſto viuificandum.*

QVARTA.

Rogabat à terra reducere puſillum. *Eleganter hic*

ter hic notat VVycelius, quod moraliter interpretando, id nihil aliud ſit, quam concionatorem non dicere nimium terrena, neque etiam cæleſtia nimium populo proponere, ſed mediocria. Reducatur igitur prædicatio apud rudem plebem à terra, ſed puſillum.

QVINTA.

Ex hoc iam. *Intellige, ex hoc tempore.*

DOMINICA SEXTA POST TRINITATEM, EVANGELIVM.

Mathæi. cap. 6.

NIſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam ſcribarum, & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

Dixit Chriſtus paulò ſuperius hoc eodem capite. Putatis quoniam veni ſoluere legem, aut prophetas? Nō veni ſoluere, ſed implere. Quemadmodum diceret rex quiſpiam: Quid obſecro boni ciues exiſtimatis me facturum? fallit vos opinio, ſi putatis me vrbem veſtram deuaſtaturū, domicilia euerſurum priuata, & publica, muros denique (quibus cingitur ciuitas) deiecturum. Non in hoc venio, abſit, ſed potius huc aduolaui, vt ruinas vrbis inſtaurem, collapſa erigam, nutantia firmem, hiantia compleam: demum vt Rempublicam hanc reddam multò ornatiorem, imò florentiſsimam. Obtrectabant Phariſæi, & principes Chriſto, atque eum legis euerſorem, Moyſiſque aduerſarium criminabantur; ſed falſo.

Dico enim vobis,mei diſcipuli, quòd mea do-
ctrina nequaquam cum Moyſaica pugnet, ſed
cupio potiùs, vt iuſtitia veſtra ſit exuberan-
tior,& abſolutior,quã fuerit illorum.Illis ſatis,
ſuperque fuit continere manum, etiam ſi ira
æſtuarent: in vobis deſidero & cor eſſe paca-
tum.Illi externum hominem probè exornabãt,
tum verborum folijs, tum veſtimentorum in-
uolucris,tum pręceptorum chedulis, inaratorũ
deſcriptionibus; Vos præter hæc & animum
adferre volo,ac mentem magis, quàm veſtem
habere perornatam. Quid enim prodeſt veſtis
culta, ſi tegat animum ſordidum? Quid confe-
runt candida linthea, ſi mores ſint nigri? Pha-
riſæis omnia præpoſtero fiebant ordine. Nónne
præpoſterum, veſte vili & humili amiciri,
& interim cor geſtare ſuperbum, & præfra-
ctum? veſte fuſca ſe profiteri mundo valedixiſ-
ſe, cùm intus nihil niſi mundana cogites, ac
ſentias? Veſtra igitur iuſtitia debet eſſe exacti-
or,& perfectior. Illi ſepulchra erant dealbata
foris, intus autem pleni erant oſsibus mortu-
Matth. 23. orum.Bene prædicabant,malè viuebant.Furtũ
ſuggillabant, ſacrilegium committebãt. Mun-
dabant quod deforis erat calicis, intus autem
pleni erant rapina, & immunditia.

In tribus autem iuſtitia noſtra excellere debet
Phariſæorum iuſtitiam. Primò, vt non tantum
doceamus, ſed etiã opere impleamus, id quod
alios docemus. Secundò, vt non tantùm ab-
ſtineamus ab externis vitijs, aut tranſgreſsio-
nibus, aut legis extrinſeca violatione, ſed etiã
animum à ſcelere immunem ſeruemus, vſque-
adeò,

adeò, vt quod non licet, ne libeat quidem. Tertiò, oportet & fidem IESV Chriſti adiũgi, propterea quòd nihil ad perfectum adducat lex, in qua ſola ſpem, ac fiduciam collocauerant Phariſęi, non attendentes ad cordis, aut ſpiritus rectitudinem. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio.* Hactenus legi videtur feciſſe ſatis, qui neminem interemerit, nec ſanguine ſe cõmaculauerit fraterno, ſed hoc Chriſto non ſufficit, qui & iram homicidij radicem exciſam, exſtirpatamq; velit in his, quos regno cœlorum dignaturus eſt. Non enim ſatis eſt regi, vt in eius regia verſeris, quod nullum purpuratorum, aut procerum aulicorum vita ſpoliaueris, ſed oportet prętereà animum candidum, & erga regem regioſque miniſtros benignum habere: ita nemo admittetur ad regnum cœlorum, niſi cœleſti Domino, etiam animi beneuolentia probetur. Nam nõ ſolùm pulſaſſe, aut vulneraſſe regem, ſed etiam voluiſſe, crimen eſt. Homicida autem auctoritate iudiciaria plectebatur. Talis obnoxius erit iudicio decernenti, vtrum ipſe viciſsim quoque ſit occidendus. Nam ſi inueniebatur ſolùm ſe voluiſſe tueri, contra inuaſorem liber erat, etiã naturali ratione id docente. Porrò qui caſu quempiam occidit, ablegabatur ad vnam ciuitatem refugij. Qui verò veteri ſimultate & odio percitus, cùm iã iram in viſceribus diu aluiſſet, occidit, pœnas dabat capitales, vſqueadeò, vt ſi ad templum, veluti ad aſylum ſe recepiſſet, nihilominus inde auulſus, legi depoſita vita ſatisfacere cogebatur.

Hebr. 7.

Exod. 20.

Deuter. 5.

videat Lector Exodi cap.21. *Ego autẽ dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* In Græcis codicibus additur εἰκῆ, id eſt, temere, vel ſine cauſa. Ita legit Ioan. Chryſ. volẽs nequaquam omnem iram vetari, ſed ineptam tantum, & iniuſtam. Similiter legit & Auguſt. in huius ſermonis expoſitione. Verùm beatus Hier. particulam hãc è libris omnibus eraſam, & deletam optat, negatque in correctioribus codicibus haberi. Aſtipulatur Hier. Aug. aitque Græca exemplaria vocula hac carere, in quibus tamen ſolis iam habetur. Putat Reuer. Ianſenius à ſtudioſo quopiam adiectam, explicationis, aut declarationis gratia. Dicam liberè, & ingenuè, quod ſentio, patres illos Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium diuerſa à noſtris habuiſſe exemplaria. Vnde mihi nonnunquam viſum eſt, hæc quę circumferuntur Gręca, non eſſe genuina, ſed corrupta, vulgatamque editionem noſtram potius reſpondere cum Græcis libris, quibus ſunt vſi patres, ſæculo Aug. Id probauero etiam ex verbis D. Auguſt. Is enim explicãs illud Mathæi: *Eleemoſyna tua ſit in abſcondito, &c. Et pater meus qui videt in abſcondito, reddet tibi in manifeſto.* Sic (inquit Augu.) legunt quidam, ſed quia in exemplaribus Græcis hoc non reperio, non audeo ita legere. Et certè in noſtris Græcis exemplaribus ita inuenitur, vnde conſtat, Diuum Auguſtinum aliud tùm temporis habuiſſe exemplar Græcum, quàm modò habemus. Addam noſtræ ſententiæ veluti ſubſcribentem D. Ioannem Chryſo. vel ſaltem noſtra illuſtrantem. Ait enim ſtatim in principio

Aug. lib. 1. Retractationum cap. 19.

Mat. ca. 6.

pio Euangelij ſecundum Marcum, Biblia ſic habere: *Sicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta*, Quapropter apparet quòd Græcum teſtamentum Chryſ. non diſsidebat à noſtra editione vulgata qua hodie vtimur. Neque Eraſmus hîc refragatur, præfertque lectionem vulgatæ editionis, Græcis teſtamentis. Sed hæc obiter adnotaſſe ſuffecerit, ne ſtatim cedamus ſciolis, qui contempta vulgata editione, de Græco textu perpetuo nobis iurgia mouent. Poterant hęc videri parerga, & ſuperflua, igitur ad rem. *Omnis qui iraſcitur fratri.* Nemo hîc prohiberi putet, primos iracundiæ motus, qui in noſtra nõ ſunt poteſtate, ſed iram tantum deliberatam, & perfectá, cui accedit conſenſus. Loquitur autẽ Dominus de ira vulgari, quæ eſt animi motus maleuolentis alteri, aut vindictá ſui doloris cupiẽtis. Qualis etiá ſi fuerit in iudice ſontẽ iuſtè puniente, peccatum eſt. Sed nec polyticę tantũ legis pœna in lege Domini præſcripta, & à doctoribus explicata, per legis violationem incurritur, ſed æterna quoq; à Deo infligenda. Et ſic intelligẽda eſt illa particula: *Reus erit Iudicio.* Nõ enim talis effugiet iudiciũ diuinũ, cuius iuſtitia inflexibilis eſt. Nõ decernitur in iratũ pœna apud iudicẽ ſecularẽ, ſed apud iudicẽ cœleſtẽ, quia ira peccatũ mortale eſt. Sol (inquit Paulus) nõ occidat ſuper iracundiá veſtrá: Nolite locũ dare diabolo. Capitur diabolus locis turbulẽtis, & inquietis, cùm pacis & tranquillitatis hoſtis ſit iuratiſsimus, proinde cùm iracũdi hominis animus omnis inquietudinis, & turbationis veluti officina quædá ſit, lubẽter ibi diuerſatur. *Ephe.ca.4*

Quid

Ex Ludo-nico Viue lib. 2. de concordia. Quid tumultuoſius homine iracundo? Quemadmodum autem de repente, ſurgente tẽpeſtate, tota cœli facies perturbatur in tetrũ, & horribilem quendam aſpectum, non aliter ſe habet irati facies: pro fulgoribus ſunt oculi. Sic Homerus de Agamennone; Illi oculi, vt ignis fulgurabant. Tonitrua ſunt inconditum, & inamenum diſtorti oris murmur, Fulmina ſunt cõuitia, & ſcommata magis noxia, quàm fulmẽ. Breuiter, vt mare ventis, procelliſque agitatũ, ita totius corporis concuſsio. Catonis maioris verbum eſt, Iratum ab inſano tempore tantum differre. Quemadmodum enim inſanus omnia calcat, omnia frangit, alios pulſat, & calcibus ferit, ſibi quoque nonnunquam etiã manus afferens: ita ira percitus, litigat, clamat, percutit, manibus pedibuſque moleſtus eſt. Id *Seneca lib. 3. de ira.* Seneca pulchrè demonſtrat lib. 3. de ira: dum iracundiæ ſimulachrum ob oculos nobis conſtituit. Iratis (inquit) concutitur crebro ſpiritu pectus, rabida vocis eruptio colla diſtendit, truces, & minaces oculi, ſpumantia labra, os frendens, toruus, & horribilis aſpectus, deniq; totius corporis fluctuatio. Qualem in ira putas eſſe animum, cuius imago extra tam fœda eſt? Cùm igitur hominis irati pectus nihil ſit aliud, quàm nidus, & domicilium Sathanæ, cur Paulo prohibente, conceditis locum diabolo, & non potiùs tranquillitatis, & mititatis auctori Chriſto? Pudeat pro manſuetiſsimo agno intra pectoris arcana penetralia, recipere lupum. Neque tamen horſum omnia hæc dicta velim, acſi omnis ira malum ſit, aut res prorſus damnanda.

nanda. Quorſum enim diceret Paulus: Iraſcimini, & nolite peccare? Quorſum laudamus parentes, & præceptores, dum illi filiorum, iſti etiam diſcipulorum vitia, lapſuſque irati caſtigant? Speciosa eſt Lactantij Firmiani cõparatio. Sicut, inquit, Deus corpus humanũ multis, et varijs ſenſibus ad vſum vitę neceſſarijs inſtruxit, ſic et animo varios attribuit affectus, quibus vitæ ratio cõſtaret, vt libidinẽ producẽdæ gratia ſobolis dedit, ſic irã cohibendorũ cauſa delictorũ. Verùm hi qui neſciunt fines bonorũ, & malorũ, ſicut libidine vtuntur ad corruptelas, & voluptates, ſic ira ad nocendum, dum ijs quos odio habent, iraſcuntur, aut paribus etiã, aut ſuperioribus. Hinc quotidie ad immania facinora proſilitur, hinc tragediæ ſæpe naſcuntur. A cane igitur exemplum ſumamus: Contra extraneos latrat, domeſticis adulatur, oues non deuorat, etiam ſi eſuriat: lupis non parcit, etiam ſi ſatur ſit. Ita tibi faciendum: Proximum dilige, verùm ſi quid in eo videris extraneum, latra, caſtiga, corripe. Nunquam ſic proximum diligas, vt vitia eius diſsimules. Quando igitur ait propheta: Iraſcimini, & nolite peccare, non vtique iram euellit radicitus, ſed temperauit, vt in omni caſtigatione modum, ac iuſtitiam teneremus. Ira enim mortalium (teſte Lactantio) debet eſſe mortalis. Ira autem nobis à natura inſita eſt, non vt peccemus, ſed vt alios peccantes prohibeamus. Nunc cogita quæſo, ait Chriſoſtomus, quàm enorme ſit vitium, quando remedium venenum efficitur, quando pharmaco, quo aliorum vitijs medendum eſt,

Ephes. 4. *Lib. de ira Dei cap. 18.*

dum eſt, vulnera potius infligimus: quemadmodum ſi quis accepto ferro, quo aliorum vulnera ſecet, ac putrefacta exſcindat, ſe ipſum grauiter vulneret. Abſurdum eſt, ſi nauclerus clauo nauim ſubmergat. Huiuſmodi & ira eſt, vtile quidem inſtrumentum, vt noſtram excitet ſomnolentiam. Sed de ira ſatis, nunc de germine eius.

Qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio. Hoc eſt, opus erit, vt ad iudiciũ conſeſſum vel tribunal ducatur is, qui dixerit Raca, vt ibi fiat diſcuſsio, re videlicet poſita in deliberationem, vbi reo datur adhuc ſe purgandi locus, & multa ſpes elabendi. Ad concilium autem, ſiue conſeſſum non niſi graues deferuntur cauſæ. Athenis erat olim tale tribunal, quod Martis appellabant, vbi non tam de damnando reo, quàm de ſupplicij genere. & modo agitabatur. Quid autem iſta vocula Raca ſibi velit, variæ olim fuerunt ſententiæ. Georgius Wycelius, qui vt literarum, ita & linguarũ pulchrè doctus fuit, vocem eſſe ait excandeſcentis, imò ferè furentis hominis: veluti ſi quiſpiam velit alterum præ immodica bile vel ſaliua perfundere, vel dentibus, pugniſque inuadere: & cùm id non detur, iram prius latentem in buccas effundat, & dicat: pfui dich/ vel vt nos jnferi Germani dicimus, pfhi ſÿ v. Igitur Wycelius vocẽ eſſe docet Chaldaicam. Wycelio ſubſcribit in Euangelica Concordia Ianſenius, aitque vocem eſſe Chaldaicam, à dictione Hebraica Rec formatam. Poſſet autem hoc verbum videri poſi-
2. Re. c. 6. tum 2. Reg. cap. 6. vbi Regina Michol paternæ ira-

næ iracundiæ hæres, maritum Dauidem inter Harekim numerat, id eſt, inter ſcurras, hoc eſt, homines nihili, & vanos, quibus neque frons, neque mens eſt, ſed vani ſunt, & egentes pudoris, ac integritatis, probitatiſue. Videntur igitur iſti recentiores diſcedere ab Auguſtino, & Chryſoſtomo: quorum prior putat Raca eſſe interiectionem indignantis animi, poſterior verò lingua Syriaca ſignificare Raca, idem quod tu: vt cùm ſtomachoſius loquens herus, futili, & inutili ſeruulo dicit, abi tu, vel dic illi tu: Et tum Emphaticωs proculdubio dicitur. Sed malim ſequi recentiores, præſertim cùm pedibus ire videantur in Diui Hieronymi ſententiam. Quamuis autem Dominus hîc videatur ſeuerior, non temere tamen eſt. Nam cùm vehementer deteſtetur, odiatque homicidium, atque huiuſmodi conuitia ſæpius cædis, homicidiiue cauſam præbeant, hæc quoque nobis amputata cupit. Quoniam niſi mox repreſſeris animum efferueſcentem, ſed ira prorumpat in vocem, quæ contumelia afficiat proximum, periculum eſt, ne à verbis res ad manus ducatur. Vult igitur & hanc cauſam ab Eccleſiaſtico etiam ſynedrio, ſeu concilio cognoſci, atque examinari. Idque prorſus conſulto fit. Nam quemadmodum olim Nazaræi arcebantur à vino, ſicera, muſto, & vuis, ne horũ videlicet guſtu irritatiores redderentur ad ebrietatem, ita conuitia, & contumelias vult compeſci, ne hoc foramine laxato, ac ianua patefacta, plenis (quod aiunt) velis in homicidium proruat ira.

Qui an-

Qui autem dixerit fratri ſuo, fatue , reus erit gehennæ ignis. Si rebellis animi motus huc proruperit, vt fratrem, iam ira ardens, manifeſto (addita vituperatione) aſpergat conuitio, fatuum, inſenſatum, truncum, fungum, aſinum, beſtiamque appellando, igni æterno addicetur. Sed obijciet quiſpiam, quod eſt crimen, eum appellare fatuum, qui reuera eſt fatuus? Reſpondeo: Si fatuus eſt, certè frater tuus eſt, cuius ſtoliditatem honeſtius eſt diſsimulare, quàm conuitio traducere, aut exprobrare. Potiùs Deo gratias ageres, qui dedit tibi, quod ademit illi, cùm tu tamen nihil plus commeruiſſes, quàm ille. Nónne in Dei manu eſt, à te auferre, quod illi donet? Notum enim eſt, quod terram ſine aqua, Deus reddit irriguam: & quæ irrigua erat, facit vt deſerta reddatur. Nónne poteſt te fatuum Mydam facere, etiamſi non addat
Daniel. 4. aures aſininas? Quid? Nonne Nabugodonoſorem in beſtiam conuertit, ita vt à regia expelleretur? Deinde ſi atra bile, animíque maleuolentia commotus, fatuum appellas, iam incipis eſſe, quod ipſe fuit. Nónne & tu fatuus es, qui exigua libidine exonerãdi ſtomachi id effutis, vnde æterna plectaris gehenna? Quæ igitur poteſt eſſe ſtoliditas grandior? Sed age, fatuus eſt, quia res humanas tractare neſcit: quid ſi diuina tractare & conſiderare nôrit, quid ſi ſtultus factus eſt, vt ſapiens eſſet? An hunc fatuum vocabis? Nónne tu ſtolidus magis, qui in rebus diuinis inſipiens, in humanis ſapiens vis videri? Hîc habes amice Lector, quam alienum Chriſtus velit habere animum Chriſtiani ab

ira, odio

ira, odio, & contumelia. Caue igitur fratrē, appellare fatuum, ne ignis gehennæ te tandē coquat, imò excoquat. Paulus non ſolùm adulteros, ſed & maledicos à regno Dei excludit. Iudices terreni non animaduertunt hodie in maledicos, & blaſphemos, ſed Deus acri eos flagello ſubdet, etiam ſi iam lentus ad iram videatur. Sed nunc obijcitur, Chriſtum, & Apoſtolos, imò & Prophetas nōnunquam homines fatuos appellaſſe. Nónne Petrum duriuſculè increpuit, quando eum vocauit Sathanam? Abi poſt me Sathana, quod paulò plus eſt, quàm ſi appellaſſet fatuum. Sic odio craſſorum vitiorum, Phariſęos ſuis nominibus appellauit Phariſęos, hypocritas, nullo tamē erga eos motus affectu malo. Sic diſcipulos vocat ſtultos, & tardos corde ad credendum. Et Apoſtolus ſcribens Galatis, ait. O inſenſati Galatę, quis vos faſcinauit nō obedire veritati? Non tamen peccauit Paulus, qui tali eos inſignit nomine: quemadmodum neq; Eſaias, qui appellat proceres, & purpuratos Ægypti, ſtultos principes Thaneos. Et Hieremias quoſdam vocat populū ſtultū. Poteſt enim pater in filium dicere verbum duriuſculū, & herus in famulū, & Iudex in ſontē, et delinquētem. Si enim pater, herus, et Iudex verbere punire poſſunt, cur nō & verbo caſtigare? Nōne Dominus phariſæos vocat ſepulchra dealbata? Nónne & Ioānes appellat genimina viperarū? Verbū amātium gregem ſuum prælatorum, licet ſeuerum ſit, cùm ad fratris tendat correctionē, intra comitatis, & iuſtitiæ fines conſiſtit. Nā qui animo caſtigandi dicit, licet verbo dicat, animo tamē

1. Corin. 6. *Math. 10.* *Luce. 24.* *Galath. 1.* *Eſaie. 19.* *Hierem. 5.* *Math. 23.*

non dicit. Et vt chirurgus carnem diſcindens ferire non dicitur, ſed curare: ita qui contumeliam dicit, vt ſanet, atque emendet. Videndum igitur, quo animo quis dicat quippiã. Porrò de gehenna ignis multi multa ſcribunt. Fuit autẽ Gehenna locus haud ita longè à Hieruſalem, ad radices montis Moria, fontibus Siloë irriguus, ac nemoroſus, locus inquã, amenitate admirabili, qui dicebatur Ge ben Hinnom, id eſt, vallis filij Hinnom, vel omiſſo nomine ben, Ge

Ioſu.15. & 18. hinnom, hoc eſt, vallis Hinnom, vel, vt nos habemus, Ennom. Vide lib. Ioſue, ca. 15. 18. Iudęi autem ob vallis huius amenitatẽ erexerunt ibi excelſum, & altare idolo Moloch, cui filios exuſtos ſacrificabãt. Auctores habeo, qui Moloch Saturnum interpretantur. Moloch autem deus erat Ammonitarum. Legitur de Achas Rege, quòd adoleuerit incẽſum in valle Benhennom,

2. Par. 28. & quòd luſtrauerit filios ſuos per ignem, iuxta gentium infidelium ritum. Laudi adſcribitur Ioſiæ Regi, quòd contaminârit hunc locũ, coniectis in eum impiorũ oſsibus, vt nemo dein-

4. Reg. 23. ceps filios ſuos ibi conſecraret idolo Moloch, ſiue Saturni per ignem. Textus ita habet: Cõtaminauit quoque Topheth, quod eſt in valle filij Hennom. Topheth aũt appellabatur, à ritu ſacrificantium Moloch, cui cùm adolebantur infantes, pulſabantur tympana, ne audirentur eiulatus, & ploratus illorum in ipſa exuſtione, ne parentum pectora commouerentur, & pergerent ereptum ſupplicio tam horribili filios ſemel iam aris admotos. Ab hoc tam infami loco infernus, in quo impij poſt hãc vitam ſcelera ſua

ra ſua luent, nomen habet Topheth, aut Gehenna. Sic Dominus appellauit infernũ, addens ferè ob incredibilẽ cruciatuum vim, vocabulũ ignis. Atque hęc eſt dialectos Hebræa, pro Gehennæ incẽdio, aut Gehennæ ardente. Marci au tẽ ca. 9. explicat Gehennã per ignem inextinguibilem. Moloch aũt idolum erat concauum, habens caput vituli, & manus hominis extẽtas inter duos ignes, ad quod impellebantur pueri inter eius brachia comburendi. Ne verò parentes miſerabilem, extremumq́; morientiũ filiorum clamorem exaudirẽt, pulſabatur ſonorum tympanum (quod Hebræi toph appellant) Et quia vehemẽs erat ille ignis, & pueris, puelliſq́; formidatus, translatio inde facta eſt, vt per vallẽ Hennom ſignificaretur infernus, igne perpetuo ad torquẽdas ſontes animas fœcundus. Sed de hac re plura in annotationibus proximis.
Si ergò offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque ibi munus tuũ ante altare, et vade pri⁹ recõciliari fratri tuo, & tunc veniẽs, offeres munus tuũ. Efficax cũ primis eſt hæc ſentẽtia, ad ſtudiũ recõciliatiõis perſuadẽdũ, eò quòd doceat Deũ primũ concordiã malle, quã ſacrificia, & oblationes. Deinde nõ eſſe Deo gratas hoſtias, aut alia quęuis laudata opera, niſi adſit mutua dilectio, atq; ob id ante omnia recõciliatiõi ſtudẽdũ. Figurã huius rei pulcherrimã in Ge. habemus, vbi Iac. *Geneſ. 33.*
prius fratri ſuo Eſau recõciliari ſtudet, priuſquã erigat altare, in quo offerat. Verbis aũt blãdiã allocutus eſt fratrẽ, quem arbitrabatur ſibi adhuc offenſum, propter interuerſum iã dudum

benedictionis paternæ munus. Propitius (inquit) eſto mihi frater. Quin & preces, munuſculis datis, reddidit commendatiores. Deinde cùm iam munera dediſſet, ait, hoc tantum vno indigeo, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo Domine mi. Vides quot modis, quot verbis fratri reconciliari ſtudet, priuſquam offerat. Tandē vbi omnia ex ſententia accidiſſent, erecto altari Deo, litauit. Porrò ſi ante oblationem legalium ſacrificiorum quærenda eſt reconciliatio, quàm id æquius eſt poſtulare, priuſquā ſacrificium noui teſtamenti immolemus: eoquè magis, quòd hæc panis, & vini oblatio, nihil ſit aliud, quàm mutuæ amicitiæ & charitatis ſymbolum: noſtrumque iſtud ſacrificiū infinitis partibus, vincat veteris legis victimas omnes, vtpote indiuulſæ concordiæ certiſsimū pignus? Vnde & cōmunio appellatur, & ſynaxis: Hinc, opinor, ſub ſpeciebus panis, & vini hoc Sacramentum celebrari. Nā vti panis ex multis conficitur granis, vinumque è compluribus redundat, exprimiturque vuis, ita multi vnum corpus ſumus omnes, qui de vno pane, ac calice participamus. Opus eſt igitur ad rectè offerendum, vt ſciſſa concordia ſarciatur. Id cùm ipſe commodè facere non poſſes, licet nonnūquam per ſequeſtrum id agere, nempe miſſo viro aliquo graui, imò aliquoties cordata etiam matrona. Sic Dauidi patri reconciliatus eſt Abſolon per mulierē ſapientem, quæ erat (teſte Angelomo) auia Amos prophetæ. Cōtingit enim ſæpenumerò non expedire, vt is qui læſit, accedat læſum, propterea quod vterque ſit bile irri-

tabili

tabili. Ne igitur ex fumo ſurgat flamma, & ex ſcintilla, incendiũ, prȩſtat offenſi neceſſariũ aliquem aut familiarẽ adire, eumq; rogare, vt intercedat, ac diſsidiũ componat. In Belgio ferè huic muneri gerundo religioſum aliquem eruditum, & grauem deligunt, aut certè loci eius paſtorẽ. In grauibus aũt, ac longo odio confirmatis ſimultatibus cõponẽdis ferè & certũ aliquod tẽpus præſtitiuunt, nempe ſacram ante Paſcha hebdomadẽ, aut diẽ paraſceues. Nam id tẽporis ferè homines animũ per pœnitẽtiæ ſalutare lauachrũ abluere, ac expurgare conſueuerunt, vt purius ipſis ferijs Paſchalibus munus ſuũ offerant, cœnamq; agni celebrẽt. Et meritò ea hebdomada concordiæ ſarciendȩ deligitur, cũ tũ reconciliationis illius in cruce per Ieſum mediatorẽ peractæ admonemur: vnde fas non eſſe putat Eccleſia, vlcera diſsidij, & ſimultatũ in animo ſeruare filios ſuos, aut mutuis diutius odijs inter ſe flagrare: ſed poſitis potius diſſidijs in gratiã redire, mutuoque amore inter ſeſe connecti, ac veluti ferruminari. Quamobrem non abſurdè inſtituit, vt his præcipuè diebus, priuſquam ad ſumendam illam ſalutarem alimoniam, illud ſacrum manna guſtandum fideles accederent, confiterentur alterutrum peccata ſua, & veniam peterentque, darentque viciſsim. Quo confecto, accedunt ad altare peracturi ſacrificium ſuum. Adeo nullum Deo donarium gratius, quàm cõſenſus mutuus. Nullum illi acceptum eſt munus, quod non offert, commendatque charitas. [illegible]des hic frater, quòd Deus miſericordiam vult, & non ſacrificium:

Math. 9. hoc eſt, quòd Deus plus amet concordiam & pacem, quàm ſacrificiū? Clamat per Prophetam *Eſaia.1.* Eſaiam: Solennitates veſtras odiuit anima mea. Incenſum abominatio eſt mihi, quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Vides odium omnia ſacrificia reddere ingrata. Non enim hîc ſolum de Euchariſtia loquitur Saluator, ſed etiam de laudis, precumque oblatione: Quæ omnia Deo placere nequeunt, ſi diſsidemus animo. Vnde Paulus viros vult orare, habentes manus puras abſque ira, & diſceptatione. Similem precandi modū præſcribit & Petrus, prima epiſtola cap. 3. Sed obijciet quiſpiam: Quid ſi frater (vt multi, *1. Tim. 2.* ſaxum, aut ferrum geſtant in ſinu, ac procliuius eſſet Thracū mollire pectora, quā iſtorum) reconciliari bis etiam, ac ter rogatus, nolit ignoſcere? Extra noxam tum es. Hinc bene ait Dominus: vade prius vt reconcilieris, & tum offer. Satis eſt optare concordiā, & conari, vt frater condonet. Non ait, recōciliatus offer, quia multi nolūt redire in gratiam. Verùm ſi ille renuit, & abijciat ſupplicem, & rogantem, iā ex te reconciliatus es, & ideo offerre munus licebit.

Vade prius reconciliari fratri tuo. Non autē vult *Ianſeni. in Concordia Euangel.* Chriſtus, vt ſtatim, vbi recordatus fueris, fugiendum è templo tibi putes, ac omittendas preces, & relinquendum ibi munus ad altare, ſed ſufficit, firma propoſita voluntate, vbi tempus, locus, & prudentiæ ratio poſtulent, aut permittāt adire fratrē. Quid enim, ſi læſus eo ſit loco, quo adiri nequeat? Num eò properandum, aut eò irrump[illegible]dum? Nequaquam. Quapropter nō tam ſpectanda ſunt verba præcepti huius

huius, quàm ſcopus & intentio præcipientis.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Raca. *Eruditus quidam legendum arbitratur Raa. quod tantum ſonat, quaſi dicas vafer, aut verſipellis.* Sch ſcalck. *Quod ſi ita eſt, igitur vitium erit impreſſoris, qui pro Raa Raca ſubſtituit.*

SECVNDA.

Qui dixerit fratri ſuo, fatue. *Licet diſciplinæ, & correctionis cauſa & iraſci, & conuitio aliquo ferire proximũ ſubditum, vt peccati ſui turpitudinem agnoſcat, ſeq; emendet, nũquã cauendum, ne nimiũ ſimus acerbi, ita vt Chriſtianæ mãſuetudinis limites excedamus, niſi fortè excuſat nos præferuidus zelus, quo accẽſus Polycarpus Marcionẽ primogenitum Sathanæ appellauit. Hæreticos enim nonnunquã S. Scripturæ nominibus inſignire zelo moti poſſumus, ac eos vocare pſeudoprophetas, falſos fratres, duces cæcorũ, canes, operarióſq; ſubdolos, cùm cõſideramus quantã cladẽ inferãt Reipub. ac religioni Chriſtianæ.*

TERTIA.

Reus erit concilio. *Textus quidã noui teſtamẽti hic corrupti ſunt, dum conſilio habent pro concilio, Succurrũt hic nobis Græca, vbi eſt dictio συνεδρίω quæ conſeſſum iudicum ſignificat.*

QVARTA.

Reus erit gehennæ ignis. *Id eſt, ignis infernalis. Sed quid reſpondebitur Hieronym. qui ſcribit in cap. Math. 10. nomen gehennæ in veteribus libris non inueniri, ſed à Saluatore primo poſitum? Hoc reſponſi dabitur D. Hieronymo. In veteribus libris non inuenitur eo ſignificatu, quo vſus eſt Chriſtus, ſcilicet pro inferno. Et optimè vſurpat pro inferno; erat enim vallis, in quam vel cadauera, vel*

immunda quæque, & execranda eijciebantur extra Hieruſalem. Deinde erat ibi ignis Moloch, id eſt, Saturni: poſtremo erant ibi & eiulatus, clamorq́ue parentum, & filiorum horrendus ploratus, ſtrepitúſque raucus tympanorum. Quæ omnia in inferno erũt, ignis videlicet, & lamenta, eiulatuſq́ue dãnatorum, fletus, & ſtridor dentium. Abijcientur etiam eo cadauera impiorum extra pacem ciuitatis noſtræ Hieruſalem. Quid ſi hic Virgilium audiamus, inamenam Plutonis regiam depingentem?

Virgil. Æneid. 6. *Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus Orci*
Luctus, & vltrices poſuêre cubilia curæ:
Pallentéſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas,
(Terribiles viſu formæ) lethúmque, labórque:
Tum conſanguineus lethi ſopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferúmque aduerſo in limine bellum,
Ferreíque Eumenidũ thalami, & diſcordia demẽs.

QVINTA.

Si quid frater tuus habet aduerſum te. *Non dicitur, ſi tu habes aliquid aduerſus fratrẽ, ſed ſi ille habet aduerſus te: quia nõ præcipitur, vt læſus ante oblationem ſatagat, curétque fratri cõciliari, quamuis id magnæ eſſet virtutis, & perfectionis, igneo erga fratrem flagrare amore: & cùm ipſe læſus ſis, ne frater pereat, pro quo Chriſtus mortuus, eũ inducere ad concordiam, & reconciliationem.*

SEXTA.

Reconciliare fratri tuo. *Imperantis eſt* διαλλάγηθι. *Id ſeruat moderna Eccleſia ante ſynaxim Paſcalem (vt oſtendit venerabilis Cardinal. Hoſius in Cõfeſ. Polonica ca. 4) Obſeruauit quoque Eccleſia antiqua (quod prodidit Paulus à Palatio in Mathæũ) In pri-*

In prima (inquit) Eccleſia omnes Chriſtiani diebus Dominicis conueniebant ad communionem. Vnde tum facilè erat à læſo ſine pudore magno petere veniam. Imò fortè (ait) omnes communicaturi publicè veniam petebant,& publicè donabant. Vnde mos ſolennis ad noſtra tempora demanauit , vt confeſſario dicat communicaturus , veniam ſe dare offenſoribus, & petere ab offenſis . Inoleuit & mos iſte in noſtra Flandria, in omnibus ferè ſanctimonialium cœnobijs, ſcilicet pridie eius diei , quo communicant , inuicem mutuas donare culpas . Locus eſt Gandaui, tum ſoli gramineo virore, tum cinctu fluminis Legiæ quo quaquauerſum abluitur, ameniſsimus, Diuæ Elyzabetæ dicatus, vbi ferè ſexcentæ virgines (Beginas vulgus noſtratium appellat) mira pietate præditæ , cohabitant, conſtituúntque ferè 18. ſimul vnum domicilium. Hæ communicaturæ, certis quibuſdam, conceptiſque verbis ſibi viciſsim (ſi quid fuit offenſarum) indulgent, hoc modo ſingulæ, quæquæ ordine ſuo precantes. Precor vos ex animo Reuerenda Domina Præfecta, ac quotquot vna adeſtis ſorores dilectiſsimæ, vt mihi donetis propter Chriſti amorem, ſi quam veſtrûm verbo factóue læſi , ſi cui fui ſcandalo, vel offendiculo: Ego in culpa ſum, pænitétque facti, poſthac, gratia Dei, emendabo. Orate pro me.

EPISTOLIVM AD LECTOREM.

Nõ feres grauatim(ſpero) Lector amice, quòd hic Euãgelium Dominicæ ſeptimæ à ſolẽnitate S. Trinitatis omiſſã, nã ſi quis cupiat de panibus, & piſciculis ſermonẽ apud plebem habere, ſupra ad Dominicam quartam Quadrageſimæ reuertatur. Vbi hac de re abunde, cùm illud Euangeliũ non ſit omnino diuerſum ab iſto. Igitur ad Euan. Dominicæ. 8. explicandũ accingor:

DOMINICA OCTAVA A TRINITATE EVANGEL.

Matth. cap. 7.

A*Ttendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Cùm Dominus hoc cap. dixiſſet, paucos eſſe admodum, qui anguſtá petunt portam, vel arctam ad cœleſte regnũ viá inueniri, ne hæretici qui paucitate ſe tuentur, ac cõmendant, ſe nobis inſinuent, ac ſi ipſi eſſent, qui paucorum nomine intelligũtur à Domino, non abſurdè ait: Attendite à falſis prophetis. Quid enim paucitas, aut multitudo facit ad veritatẽ? Cùm adoleſceret Eccleſia, paucorum filiorum mater erat, ſed qui ferè inſignes erant, & vitę fideique ſplẽdore admirabiles: poſt annorum aliquot ſpacium cumulatim fælici partu aucta eſt, vt ſuo ſemine (auſpicibus Superis) iam orbem vniuerſum locupletatura videretur, piè, & ſanctè cõtra aduerſarios eius, conſpirantibus nõ ſolùm Epiſcopis, ſed etiam regibus, & principibus. Sub mundi verò interitum ad paucitatem eam contrahendam verò
Prou. 31. ſimile eſt: vt non malè naui mercatoris à Solomonis teſtimonio compararetur. Quę vt proram & puppim priorem ſui ac poſteriorem partes habet anguſtiores, & veluti acuminatas, ita mediam aluum ſpatioſam habet, & latam, exporrectamque. Siue autẽ Eccleſia paucos, ſiue plures, ſiue plurimos habeat filios, ſemper ſpõſa Chriſti, ſemper columba, ſemper vnica eius, ſemper

ſemper ab eius ſpiritu edocta eſt, vt errare nequeat, cùm ſit (iuxta Paulum) firmamentum, & 1. ad Ti. 3.
columna veritatis. Attamen non in ſolo opere virtutum, aut in ſola obſeruantia mādatorum, ſed etiam in tramite fidei anguſta, & ardua eius via eſt, quæ ducit ad vitam: & magni laboris eſt, magnique diſcriminis, inter dubias imperitorum opiniones, & veriſimiles falſitates per vnam ſanæ doctrinę ſemitam, inoffenſis greſſibus (ait Leo Pōtifex) ambulare: & cùm vndiq; ſe laquei, erroreſq; opponant, omne periculum Leo ſer. 5.
deceptionis euadere. Quis autem ad hæc ido- de Chriſti
neus, niſi qui ſpiritu Dei & docetur, & regitur? natiuitate.
Ait Apoſtolus: Nos autem non ſpiritum huius mūdi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, 1. Cor. 2.
vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis. Canente etiam Dauide: Beatus homo, quem tu eru Pſal. 39.
dieris Domine, &c. Habentes itaq; chariſsimi, inter pericula erroris præſidia veritatis, & non humanæ ſapientiæ verbis, ſed doctrina ſpiritus ſancti eruditi, quod didicimus, credimus: quod credimus, prædicamus. Hactenus ſanctiſsimus Leo. Non eſt igitur mirum, ſi pauci inueniāt fidei viam, cùm eos prius lucis munere cœleſtis afflari oporteat, quod certè non cuiuis cōceditur. Deinde non parum ſunt multi, qui veritatis viam, & ſyncerae tramitem religionis nouerunt tegere, perinde ac ſi publica via niue tegatur, vt difficilè ſit cognoſcere, qua ſit eundum. Quapropter auditores benigniſſimi, *Attendite à falſis prophetis.*

Ab iſtis, inquam, qui in gremio veritatis vobiſcum nati, eiuſdem matris vberibus, aliti,

aliti, & enutriti, eadem doctrina ab eadem imbuti, in cohæredes, & conſortes ſponſi Ieſu aſciti, tandem per operationem ſathanæ ab omnibus his non deſciuerunt tantum, ſed & quotquot mater filios habet reliquos, immani, & nefario auſu ab ea auertere, & è ſinu eius, vt crudeles plagiarij, abripere, nulla non opum vi contendunt. A Chriſtianis enim naſcuntur hæretici, & perinde vt ferrum æruginem, lignum teredinem concipit in ſe, vnde abſumatur, ita Eccleſia parit filios, qui facti aſtorgi, imò hoſtes, eam pungant, lancinent, vexent, perſequanturque. Miraris iſtud? Etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ, ventoſa, & vana caprificus exurgit, ait Tertullianus. Ita & hæreſes de noſtro fructificauerunt, non noſtræ, degeneres varietatis grano, & mendacio ſylueſtres.

Tert. li. de præſcript. hæret.

Optimè & meritò in Canticis lamentantur Eccleſiæ Filij, qui incredibilem à falſis fratribus perſecutionis, & deceptionis vim perpetiuntur. Filij matris meæ pugnauerunt aduerſus me. Ab iſtis pſeudoprophetis tam vafris, tamque impijs nobis cauendum eſt. Attendite, ait, hoc eſt, diligenter, & prouidè cauete, ne vobis imponant. Sunt autem pſeudoprophetæ in duplici genere: quidam enim ſunt apertè Chriſtianiſmum oppugnātes, vt Turcha & Machumetes. Alij ſunt, qui Chriſti nomen, & Chriſtianiſmum profeſsi, docent quæ ſunt veritati, & Euangelio, ſanæque doctrinæ contraria. Tales ſunt hæretici. De his Paulus ita: Spiritus manifeſtè dicit, quia in nouiſsimis tēporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiri-

Cant. ca. 1.

Tim. ca. 4.

ſpiritibus erroris,et doctrinæ dæmoniorũ, &c. Quòd verò ex Chriſtianis ſurgant hęretici,oſtẽ dit D.Paulus:Ex vobiſipſis,inquit, ſurgent viri loquentes peruerſa, vt abducãt diſcipulos poſt ſe.Ex vobiſipſis,hoc eſt,ex veſtro grege.Si Paulus metuiſſet extraneos perſecutores,hoc indicaſſet:ſed vidit grauius periculum à domeſticis oriturum.Idcirco ait:Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos,regere Eccleſiam Dei,quam acquiſiuit ſanguine ſuo.Ego ſcio , quia poſt diſceſſum meum intrabunt lupi rapaces in vos,non parcentes gregi . Attendite . Nam iſti lupi graues ſunt,& grauia damna inferunt . Leones , vrſi, pardi,lupi inuadunt corpus, iſti animam . Vitandi nobis ſunt lupi, qui palam in nos irruũt, & pro lupis apertè ſe gerunt : at magis eſt attendendum,& cauendum ab his,qui intrinſecè lupi ſunt , & ſub ouis habitu lupum tegunt. Act.14.20
Nihil eſt negotij lupum ab oue dignoſcere , ſi vterque ſuam edat vocem, ſi vterque ſua pelle tectus veniat. Verùm quid facias oro , cùm lupus ouillo vellere , ouilla voce ouem ſimulans,irrepſerit in ouile,non vt ouis fiat , ſed eo conſilio,vt audacius, latens, & crudelius oues dilaniet ? Quapropter ſi tanto ſtudio ouibus imminent , & inſidiantur lupi , an dormitandum, aut ceſſandum erit paſtoribus ? Vt iugulent gregem,pellem mutant,imò & vocem lupi : & nihil operæ nauabunt paſtores, vt oues propugnent , & pro virili defendant ? Agunt, geruntque rem aſtu lupi,gerant & rem aſtu paſtores,ne grex Chriſti redemptus ſanguine,ali-
quid

quid capiat detrimēti, ſed potius ſtructis technis, ac poſitis inſidijs perſonatam ouem in laqueis, aut retibus deprehenſam, falſis deſpoliet induuijs, et ab ouili arceat, condigno de illo ſumpto ſupplicio. Seruiet propoſito Æſopi apologus, Lupus ouillā indutus pellē, gregi ſe miſcuit, ac quotidie aliquā ouiū occidit, et latuit. Paſtor ſentiens damnum, ferā mira ſagacitate deprehendit, atque in crucem egit. Mirati nouū exemplum paſtores, rogāt quid cauſæ ſit, quòd ouem ſuſpēderit. Reſpondit ille: Pellis quidem (vt videtis) eſt ouis, opera verò erāt lupi. Cauete ab huiuſmodi lupis. Iuſtum enim eſt, vt Adam ſerpentem vitet, Nohe aquas diluuij. Æquū eſt, vt Loth fugiat à Sodomis, & à Gomorreis, quos etiā vidiſſe, exitium peperit eius vxori. Caueāt filij prophetarum à colocyntidis, quæ in ſpeciē eſui apta videntur, quæ licet in olla ſint, tamen certa mors ſunt. Denique caueāt adoleſcentes, Eccleſiæ filij à muliere, quæ verba ſua dulcia facit, pręparata ad decipiēdas animas: garrula, vaga, & quietis impatiēs eſt hęc mulier. Rectè ait propheta Dauid: Libera me Domine de manu filiorū alienorū, quorū os locutū eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quidni filij ſunt alieni, qui relicta matre tam caſta, tam pia, conati ſunt à ſcabioſa & impura adultera hæreſi produci? *In veſtimentis ouium.* Quæ ſint hæc ouium veſtimēta, magna eſt Scriptorū varietas. Antiquiſsimus autor Tertul. ait, eſſe Chriſtiani nominis exteriorem ſuperficiē. Lupos autem rapaces, ait eſſe, ſenſus ſubdolos ad infeſtandū gregē Chriſti. M. Ioannes Heſſelius cum

Æſopus. *Geneſ. 3.* *Geneſ. 19.* *4. Reg. 4.* *Prouer. 7* *Pſal. 143.* *Tertul. de præſcript. hæretic.*

cum Reuer. Ianſenio aſtipulantur potius Vincentio Lirinenſi, qui interpretatur veſtimenta ouium eſſe, prophetarum, & Apoſtolorum proloquia, quæ ouili quadam ſynceritate agno illi immaculato, tanquam vellera quædam, texuerunt. Sed qui (ait ille) ſunt lupi rapaces, niſi feri, & rapidi ſenſus, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti, quaqua poſſunt, dilacerant? Sed vt facilius incautis ouibus obrepāt, manente luporum ferocia, deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe diuinæ legis ſententijs, velut quibuſdam velleribus obuoluunt: vt cùm quiſpiam lanarū mollitiem ſenſerit, nequaquā dentium aculeos pertimeſcat. Sed quid ait Saluator? *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Hoc eſt, cùm cœperint illas voces nō iā proferre tātum, ſed etiam exponere, tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc nouitium virus exhalatur, tunc prophanæ nouitates aperiuntur, tunc primum ſcindi ſepem videas, tunc transferri patrum terminos, tunc catholicam fidem cædi, tunc Eccleſiaſticū dogma lacerari. Tales erant ij, quos percutit Apoſtolus Paulus in ſecunda ad Corinthios, dicens: Nam eiuſmodi (inquit) pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Quid eſt, trāſfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti? Proferebāt Apoſtoli diuinæ legis exēpla, proferebant: & illi: Proferebāt pſalmorum auctoritates, proferebāt & illi. Proferebāt Apoſtoli ſententias prophetarū, & illi nihilominus proferebant. Sed cùm ea quæ ſimiliter protulerant, non ſimiliter cœpiſſent interpretari, tunc ſim-

Vincentius Lirinenſ.

ſimplices à ſubdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à peruerſis, tunc poſtremò veri Apoſtoli à falſis Apoſtolis diſcernebantur. Scripturas autem non pertinere ad lupos, ſed potiùs ad oues, præclarè docet Tertullianus his verbis: Hæretici non Chriſtiani, nullum ius capiunt Chriſtianarum literarum. Ad quos meritò dicendum eſt. Qui eſtis? Quando, & vnde veniſtis? Quid in meo agitis nō mei? Quò deniq; Marciō ſyluam meam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos tranſuertis? Qua poteſtate Apelles limites meos cōmoues? Mea eſt poſſeſsio, olim poſsideo: habeo origines firmas, & ipſis autoribus quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum: Vos certè exhæredauerunt ſemper, & abdicauerūt, vt extraneos, vt inimicos. Hactenus Tertullianus. Vides amice Lector, vellera, ſeu veſtimenta ouium, hoc eſt, prophetarum oracula, Apoſtolorum proloquia, Dauidis pſalmos, denique tum veteris, tum nouæ legis dogmata ad caulas ouium Chriſti pertinere, nequaquam verò ad hęreticos? Vnde interuertūt, & prædātur peculium Eccleſiæ, hoc eſt, gregis Chriſti, quoties S. Scripturæ teſtimonijs vtuntur.

Tertull. li. de præſcri.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Fructus ſunt doctrina, et opera. Etenim ex doctrina nonnunquam apertiſsimè cognoſcuntur, videlicet cùm manifeſtè contraria doctrinæ veritatis prædicant. Vnde et Ioannes docet hoc iudicio cognoſcere pſeudoprophetas, dicens: Chariſsimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. Quapropter etiam

1. Ioan. 4.

etiam atque etiam nobis videndum, & attendendum eſt, vt cùm nouus aliquis concionator exurgit, qui & noua inculcat, num illius doctrina conſonet, conueniatque cum recepta veritatis doctrina. Veritas longo vſu probata lydius lapis eſt, ad quem omnes doctrinæ examinari debent. Alij fructus per quos cognoſci poſſunt, non eſſe ex Deo, pſeudoprophetę ſunt externa opera. Nam quantumuis ſimulent, atque diſsimulent, alicubi produnt ſe diuino ſpiritu eſſe deſtitutos. Quidni ſe prodant, cùm ne diaboli quidem ita ſe poſsint tegere, quin vel vnguiculus aliquis ſe vſpiam aperiat. Nam ſi quis exactè, & accuratè mores eorum veſtiget, ex ploretque, reperiet ſibi inmodicè placentes, gloriæ ſitientes, aſſentatores, inuidos, & blandiloquétię ſeruilis, degeneriſque vera mancipia, vt rem faciant, metantque vera lucra, vbi falſa, & adulterina ſeminauerunt grana. Notas apertas, quibus cognoſcãtur, habet Paulus: Rogo vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſentiones, & offendicula, præter doctrinã, quã vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. *Rom. 16.* Ad Gal. 6. notat pſeudoprophetarum ſuperbiam. Phi- *Galat. 6.* lipp. 3. notat eos, quòd ventris vſque adeo habent curam, vt illum pro Deo colant, & venerentur: quemadmodum & ſacerdotes Belis, qui ſacrificia plebis verterunt ad cultũ ventris ſui. *Philip. 3.*

Nunquid colligũt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?

Impoſsibile eſt, quod dicit Saluator: Quo pacto enim, cùm ſint ſpinæ vulnificæ, & tribuli pũgentes hęretici omnes, mites vuas, & ſuaues ficus, vt abundè tibi colligas, ferre queant?

Non niſi veri prophetæ hos fructus ferunt: figu-
Num.21. ram venuſtiſsimam habemus Numeri. 21. vbi exploratores à Moyſe & Iudęis miſsi, ad luſtrãdam promiſsionis terram, ficus, vuas, & malogranata adferunt. Iſti ſunt veri concionatores, qui in ſacris Biblijs explorant opulentiam regni cœlorum, à Chriſto nobis promiſsi: ac populo Chriſtiano ſuadent, illuc iter affectare, illuc reciſis remoris omnibus tendere. Inde adferunt verba, & opera, quæ cœleſtem dulcedinem referant. Adferunt charitatem cœleſtem, quæ in vua ſignificatur. Afferunt dulcedinem multiplicem gaudij æterni (qualis in noſtro deſerto non reperitur) per ficum ſignificatã. Cùm igitur oues intelligunt in concionatore cœleſte quid eſſe, & charitatem, proculdubio argumẽtum eſt, eum ficus, vuaſque adferre. Quæret hic ſtudioſus Lector: Cur Chriſtus hic duntaxat vuarum, & ficuum meminit, & non malogranatorum, cùm & huiuſmodi poma in libro Numerorum narrentur. Certè quia in lege noua ceſſant malogranata. Veritas enim non eſt amplius contecta malogranati putamine,
Galen. lib. ſimplicium medicamẽtorum. ſed aperta in Euangelio proponitur. Galenus auctor eſt. Vuas, & ficus habere calorem, ac igneum quiddam. Oportet igitur verum prophetam auditorum animis infigere charitatem ardentem. Eſt ęt aliud, quod in ficu, vuaque conſiderare poſſumus. Indicant enim hi fructus, & veritatem, & vnitatem, quas ſi quis docet, ac commendat, argumentum eſt, eum verum eſſe concionatorem. Ficus, & vua multa habent grana, quę tamen omnia vno includuntur tegumento.

mento . Si igitur concionator ſchyſma docet, aliam fidē,alios mores,quàm vniuerſitas, veritas,& vnitas habent,prædicans, falſus indubiè propheta eſt. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit:mala autem arbor,malos fructus facit. Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neq; arbor mala fructus bonos facere.* Sed quomodo dicitur mala arbor fructùs facere bonos,cùm mali frequenter bene predicent,& docendo in auditoribus fidem,charitatēque, tanquam bonos fructus producant? Quomodo etiã bona arbor nõ facit fructus malos,cùm nullus ſit quantumuis bonus,qui non ſepè labatur,& nonnunquã praua cõmittat?Optimè reſpondet D. Aug. Quod ſi aliquãdo malus ſit vtilis,nõ hoc ipſe facit,ſed fit de illo, diuina prouidentia procurãte. Impij enim per diuinã prouidentiã legē Dei prædicãtes,poſſunt audiētibus eſſe vtiles,cùm ſibijpſis tamē ſint inutiles.Non igitur qui eos audiũt,et quæ ab his audierũt,faciũt, de ſpinis vuas colligũt,ſed per ſpinas de vite vuas carpunt:tãquã ſi quis manum per ſepē mittat,aut certè de vite quæ ſepi fuerit inuoluta,vuã legat. Et profecto non ſpinarum iſte fructus eſt,ſed vitis. D. Aug. arborem bonã prõptam, & bonã voluntatē intelligit,& ſic nunquã bona arbor malos fructus poteſt facere,quia cùm homo operatur malum, hoc non proficiſcitur niſi à corrupta , & praua voluntate.Verùm hæc reſponſio, licet Aug.ſit, non ſatiſfacit Ianſen . Vult enim non dici hîc à Chriſto fructus , opera illa quæ conſequuntur ex concionatorum verbis in animis auditorũ, ſed fructus vocat illorum dicta.Exempli gratia.

S 2 Si ma-

Si malus quiſpiàm veritatem prędicet propter quæſtum, vel inanem gloriam, & auditores ex ipſa prædicatione ædificentur, ipſa ædificatio non vocatur hic fructus mali huius hominis, ſed veritatis, quæ per malum hominem ſe exerit: ipſa tamen prædicatio, mala dicitur, quòd ſit corrupta per quæſtum. Et eſt malus fructus huius hominis. Sic ſi quis praua intẽtione pauperi tribuat eleemoſynam, ſubuentio non eſt fructus eius, ſed ipſa elargitio, quæ praua intentione vitiata eſt. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, & ardet.* Vtinam igitur fructuoſę arbores ſimus, vt ab æterno illo, horribilique incẽdio liberemur. Et profectò, niſi me fallat opinio, facilè efficeremur fructuoſæ arbores, ſi omnes ramos noſtros ſurſum extenderemus. Cuius igitur quæſo crimen eſt, quòd infœcunda ligna ſimus? Num cœlum nobis vocandum in crimen? Nónne ſatis imbrium, ſatis roris, denique ſatis ſolis ad nos demittit? Cœlum extra noxam eſt. Sed nos potius accuſandi, nobis, inquam, ſcribẽda eſt dica, quòd nimium terræ adhęremus, imò quicquid eſt ramuſculorum, ad terram, lutúmque deflectimus. Hinc quicquid fructuum eſt, terram refert. Metuant tales arbores exciſionẽ, tremiſcant ad ignis commemorationẽ. Simus
Pſalm. 1. potius tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum
Daniel. 4. proferet in tempore ſuo. Sub bonis arboribus omnia animalia quieſcere poſſunt, & aues in ramis eius nidos ſtruunt: ſub ſpinis verò, & tribulis ſerpẽtes ſolùm agunt, & bufones. Sic iu-

xta

xta fidelẽ,et catholicũ eccleſiaſten,magnũ ſolatium habent viri boni;hæreticũ verò vitant cane peius,& angue:& nullos habent aſſeclas,ni ſi eos qui ſub ſentibus eſſe delitias exiſtimant. *Iob.30.*
Circuunt pſeudoprophetæ iſti mare & aridam, vt faciant proſelytum vnum: & cùm id effecerint,reddunt illum filium Gehennæ, pluſquam ſint ipſi. *Matt.23.* Veniat tempus,veniat aliquãdo,& ponatur ſecuris ad radicem arboris, ne homines nefarij,& ſceleſti ſub vmbra eius deliteſcant.
Excidetur, & in ignem mittetur. Obturatur hîc os hæreticis omnibus,qui cupiunt viuere inter ſcelera ſua impunè. Aiunt enim excommunicationem rem eſſe inutilem,nec Eccleſiam huiuſmodi fulmine vti debere: Deinde nolũt gladiũ in ſe ſtringi,aut ignẽ ſibi admoueri,vt perdãtur, & è grege Chriſtiano auferantur.Sed cur ſpõſa Eccleſia non poſſet hîc meditari,quod aliquando facturus eſt ſponſus eius Chriſtus? Quę obſecro inuidia eſt,eã non poſſe ſcabioſam,& cõtagioſam ouem arcere à grege,excludere à caulis,cùm Chriſtus ſeparaturus ſit oues ab hędis? Simile eſt,quod ait Dominus:Omnem palmitẽ in me non ferentem fructum,pater tollet,& in ignem mittet. *Matth.25.* *Excidetur, & in ignem mittetur.* *Ioan.15.*
In his verbis,ait Chryſ. duplex includitur ſupplicium, vſtio ſcilicet Gehennæ, cœlorumque amiſsio,quæ certè pœna longè maior eſt,quàm cruciatus ille flammarũ.Noui(inquit)plurimos qui Gehennam horreãt,& non iniuria,ſed ego tamen gloriæ illius amiſsionem multò magis, quàm Gehennam cruciare exiſtimo.Intolerabilis eſt Gehẽna,& ſupplicium horribile quis ne-

get? tamen ſi mille facias Gehennas, nihil tale ponas, quale eſt à beata illa gloria excludi, exoſum eſſe Chriſto, & audire vocẽ, nõ noui vos. Et audire: Ite in ignem æternũ. Eſt enim ſatius, & tolerabilius, mille fulmina ſuſtinere, quàm vultum illũ manſuetudine plenum in iratum conuerſum, & nos cum indignatione auerſantem, atque eius tranquillos oculos nequaquàm nos aſpicere ſuſtinentes. &c. Elegantiſsima ſunt, quæ ibi habentur reliqua, vnde eò, volentem, remitto. *Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Arbor bona non ex folijs, non ex pulchritudine, non ex proceritate, non ex radicis firmitate (hæc enim omnia & mala arbor habere poteſt) ſed ex fructu agnoſcitur. Sic doctrina non ex verborum folijs, non ex inanibus lenocinijs, non ex perſonæ autoritate, ſed ex fructu cognoſcitur. Mali corui, malum ouum. Neque imbellẽ feroces progenerant aquilæ co-

Horatius. lumbã (ait Flaccus) Qualis vir, talia eius facta.

Heb. 4. Quando cõcionatoris verba ſunt ſicut gladius acutus, pertingens ad diuiſionem animę, & ſpiritus, tum ſperandus eſt fructus. At de falſis pro-

Pſal. 118. phetis dicitur: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Narrant fabulas, ex quibus guſtus dulceſcit, non ex quibus gladio penetrante animus diſcinditur. Non in verbis igitur ſpecioſis, aut blãdis fructus eſt, ſed in ſpiritu, & virtute. *Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui fecerit volũtatem patris mei, qui in cælis eſt, hic intrabit in regnum cælorum.* Vides quos fructus à nobis Deus exigat. Dicere Domine, Domine, folia,

folia,& frondes ſunt,ſed facere voluntatem patris cœleſtis,fructus ſunt. Dicere Domine, Domine, eſt orare, benedicere, & prædicare. Sed hæc non facient te ſaluum, ſed facere voluntatem Dei,hoc eſt implere Dei mandata. Factores enim legis,ait B. Iacobus in epiſtola ſua, ſaluabuntur. Quaſi dicat,non eſt arbitrandum,quòd *Iaco.1.* omnes arbores plantatæ in horto Eccleſiæ,ſint frugiferę, ſed plæræque ſunt inutiles, folia tantum verborum habentes,ſed nullos fructus. Dic mihi ô homo, ſi haberes ſeruum aſſentatorem, perpetuò tibi benedicentem,nudo capite ſalutantem, imò nonnũquàm & genua flectentem, num idcirco eum fidelem,& frugi eſſe dixeris? Nequaquàm: ſed ſi voluntatem tuam impleuerit,& quicquid iuſſeris,egerit, tunc illum fidelem,& ſeruum vtilem pronunciabis. Ita verborũm tuorum fucos,ac nugas,ſplendidaque promiſſa nihili facit Deus,ſed opera pia exigit: quæ ſi habueris, etiam deſint reliqua, gratiſsimus eris Domino Deo tuo. Non enim titulus, aut nomen Chriſtianum facit, ſed vita Chriſtianè tranſacta, & mores Chriſtiano homine digni. Multi aiunt, Domine, Domine, ſed reuera alijs Dominis, ijſque longè imperioſiſſimis ſeruiunt, Mammonæ, ventri, & liuori. *Matth. 25.* Dicebant & quinque virgines,Domine Domine, aperi nobis, ſed audiunt, clauſa eſt ianua, & neſcio vos.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

A falſis prophetis. *Græci vnicam habent dictionem, ψευδοπροφητῶν à pſeudoprophetis.*

SECVNDA.

Excidetur,& in ignem mittetur. *Non habent Græca futurum, ſed præſens, exciditur, & mittitur. Quòd verò ſupra in ſermone diximus,ſponſam Eccleſiam poſſe æmulari ſponſum ſuum in caſtigandis rebellibus per excommunicationem , & flammarum vſtulationem , plauſibilius,quàm fortius dictum eſt. Nihil enim his verbis conficitur contra aduerſarios, cùm ſenſus myſticus parum efficax ſit ad confirmanda dogmata controuerſa. Sed hoc agendi alibi ſe offeret locus , & oportunitas.*

TERTIA.

Intrinſecus ſunt lupi. *Omnes quidem intrinſecus lupi ſunt, ſed extrinſecus aliter, atque aliter ſe gerunt . Nam alij veſtimentum aſſumunt manſuetudinis , admirabilem quandam manſuetudinem præferentes . Alij pœnitentiæ veſtem induunt , perpetuo mundum, eiúſque vanitatem lingua traducẽtes. Alij miram in egenos prætendunt charitatem,& liberalitatẽ. Aliud alij veſtimentum ſibi aſſumunt : nõ enim omnibus piſcibus eadem eſca proponitur . Securioſo itaque nomine fœdam contegunt maculam,vt ſit eorum ſermo nihil aliud, quàm melle litus gladius. Quò verò occultiores, hoc ſunt proculdubiò nocentiores. Venenum enim quò tectius,hoc periculoſius. Hæretici igitur quamcunque ſibi tandem pellem ſumant, ſemper ſunt lupi , tametſi non ſemper mordeant : nõ enim ſemper habent oportunitatem , quòd videant maiorem ouilis Chriſtiani futuram propugnationem, quàm oppugnationem : viroſq́ue eſſe præſtrennuos , qui ſe*

totos

totos irrumpentibus lupis obijciant. Auguſtinus ſic agit contra Rogatiſtas, qui videbantur alijs ſectarijs eius tempeſtatis manſuetiores, ac modeſtiores. Dicebant ſe nulli nocere cupere. Reſpondet Auguſtinus, eos hoc non cupere, non quia omnino nolint. ſed quia quod intus volunt, non poſſunt. Luporum catuli etiam morſibus gaudent, ſed neminem mordent, quia dentibus carent. Vnde non eſt conſultum huiuſmodi catulos alere. Nam tametſi ſint puſilli modò, tempore grandeſcent. Vt autem periculi plenum eſt, anguem in gremio alere, ita & lupi catulum. Vnde & oue quauis imperitiores ſunt, qui lupos, quamlibet teneros, & exungues in grege, aut caulis enutriunt. Memini quæ legi, lib. primo Græcorum epigrammatων; vbi ſtolida ouis lupi catulum aluit. Sed audiamus nutricem. Auguſtin. epiſt. 48.

Lupum ex proprijs mammis nutrio inuita,
Sed me cogit paſtoris ſtultitia:
Auctus enim à me, contra me rurſus fera erit,
Beneficium mutare naturam non poteſt.

DOMINICA NONA POST TRINITATIS EVANGELIVM.

Lucæ cap. 16.

DIcebat Ieſus ad diſcipulos ſuos: Homo quidam erat diues, & habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſsipaſſet bona illius.

Retuderat iam Dominus tribus proximis parabolis phariſaicum murmur: nunc eorum auaritiem pluſquam ſordidam, quarta hac parabola perſtringit, vna eademque opera ſuggillans, & iugulans, quicquid auarorum reliquus

habet orbis : nam ita ſacculis implendis hodie ſtudẽt,non Iudæi ſolũ,ſed & Chriſtiani,vt nullus,quaquauerſum reſpicias,deus ſit,cui vel pluribus in locis, vel à pluribus ſacrificetur, quàm Mammoni,vſqueadeò, vt non iam oeconomi, aut diſpenſatores videantur noſtri pluti, ac locupletes,ſed Domini potius, ac poſſeſſores. Multi auaritiç laqueis impediti,& irretiti ſunt, & tamen adhuc quotidie plures his irretiri ſtudent. Quid prodeſt arca plena laqueis, referta nummis,circumlita viſco,aperta diabolo? Au-
Augu. ſer. 12. de verbis Domi. guſtinus.Quid prodeſt arca plena bonis, ſi inanis ſit conſcientia?Bona vis habere,& ipſe bonus eſſe non vis? Erubeſcendum ſanè tibi, ſi domus plena bonis, te malum habeat Dominum ac hoſpitem. Quid verò conferet tibi, ſi habeas plurima,& eum qui omnia tribuere poteſt,non habeas? Domini columba es ô Chriſtiane,ſubrige te à rerum temporalium,et diuitiarum amore,quæ nihil aliud, quàm viſcus eſt ſpiritualium pennarum. Deinde ſi vapor inuadat alas tuas, vide ne in laqueos tartarei aucupis incidas.Ad quid tibi diuitiæ (aiunt barbari illi ad Alexandrum Magnum) quæ te cogunt eſurire? Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Nunquàm diuites tranquillo ſunt animo: ſed cùm poſsideant plurima,plura
Valer. Maxim. lib. 3. petunt. Atqui ille (inquit Valerius) verè locuples eſt,non qui multa poſsidet, ſed qui pauca deſiderat. Quæ enim tranquillitas eſſe poteſt, vbi perpetuis curis deſiderijſque anhelis, veluti quibuſdã ſpinis,animus pungitur,ac nihil aliud
Luc. 15. clamatur, quàm Affer, Affer? Sic filius ille aſo-
tus

tus, & prodigus ad paternas aures opplorat: Da mihi pater, partem ſubſtantiæ meæ. Hìc diteſcere volumus, etiam ſi à morte perpetuò nobis eſſet mendicandum. O miſeri, cur non potius ad æternas illas opes in cœlo nobis repoſitas, anhelamus? Iſtę enim fluxæ, & caducæ ſunt, ac poſſeſſori ſuo nunquàm ſatis fidę. Optimè Pythagoras: Contemno (ait) diuitias, quæ & liberalitate perduntur, & parcitate putreſcunt. At quare (inquis) deus non mihi quoque dedit, quantum iſti? Nónne pariter mihi, vt illi pater eſt, nónne ſum illi filius? Es ſanè. Sed hoc non diceres, ſi bonus filius, quia tum omnia patris conſilia, & facta placerent. Nunc ad Euangelij interpretationem. *Homo quidam erat diues &c.* Quis verò iſte diues eſt, niſi Dominus Deus noſter, pater & creator noſter? Is in ſua manu omnia habet bona, ſiue corporalia, ſiue ſpiritualia, ſic vt poſsit ea tribuere cui, & quádo vult, Diues eſt miſericordia: diues ſapientia, Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo. Homo hic diues *Habebat villicum.* Vnuſquiſque noſtrum villicus, vel potuis oiconomus eſt, ac bonorum à Domino Deo acceptorum diſpēſator. *Hic diffamatus eſt apud illū, quaſi &c.* Diſpenſatores, & oiconomi ſumus, ſed vtinam fideles. Monet D. Petrus, vt vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtremus. Et Paulus: Nunc (inquit) quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?

Diogen. Laert. *Ephes. 2.* *Rom. 11.* *Pſal. 23.* *1. Petri. 4.* *2. Cori. 4.* *Luca. 12.*

Vtinam

Vtinam Domine, fidelis ſim, vt Eliezer, vigil, vt Iacob, prudens denique oiconomus, vt Ioſeph? Eliezer ille ſacramento maximi iuriſiurandi Abrahæ obſtrictus, profectus eſt in Meſopotamiam, ad domum Nachor, vt ibi peteret ſponſam herili filio Iſaac. Qua verò fide munus legationis obierit, largiendo nouæ ſponſæ monilia à patriarcha ſibi tradita, & moras omnes recidendo, vt deſiderio Iſaac
Gen. 24. fieret ſatis, vtque ſimul & expectationi patriarchæ reſponderet, narrat librorum ſuorum primo legiſlator Moyſes. Incredibili verò prudentia vſus eſt Eliezer in domo Nachor, dũ puellæ futuræ ſponſę, vaſa aurea & argentea dedit (vnde opulẽtia ſpõſi facile declarabatur)
Gen. 30. & parentibus filiæ, & fratri Laban, vt illorum beneuolentiam ſibi demereretur, ac lucrifaceret, alia dona tribuit. Pari fide, & diligẽtia apud auunculum Laban egit Iacob, cùm Laban ingenuè, & apertè profiteretur ſe à Domino benedictum, atque opibus auctum ad aduentum Iacob. Non enim ille aliter rem auunculi curabat, quàm ſi ſua fuiſſet. De fide verò & prudentia
Gen. 39. Ioſeph, ſiue cùm apud Putiphar oiconomũ, ſiue apud Pharaonem regẽ præfectũ annonę ageret, quid opus eſt dicere? Nihil illo fideli9, nihil prudẽtius, nihil caſtius. Quas dotes vtinã oiconomi omnes habeãt, nec patrisfamilias ſui facultates minuant, ſed magno potius ſudore, magnaque diligentia augeãt, ne apud eum aliquando accuſentur. Diffamantur diuites auari apud Deum, cuius ſunt oiconomi. Primo reum illum apud Deum agunt diuitiæ, quòd ſcilicet res domi-

domini ſui,veluti incarceratas,teneāt,videlicet nummos in crumena,frumentum in horreo,vinum in dolio,veſtes in ciſta.Imò quatuor illum accuſant elementa,quæ ſecundū Hugonem de S.Victore, ita loquuntur cuique auarorum: *Hugo de S. Victore.*

Accipe,Redde,Fuge. Accipe beneficium: Redde debitū:Fuge ſuppliciū.Nōne beneficiū eſt,oiconomum eſſe tanti regis, & rebus eius præfici? At ea lege præfectus es,vt in pauperū,piorúmque neceſsitates, veluti debitum, erog[illegible] tibi ſeruans vnde honeſtè victites interim. Quod ni præſtes,periculum, ne apud Plutonem propter plutum tuum perpetuo mēdices, ac varijs ſupplicijs ſubigaris.Quid reſpōdebis ſordide,& dure oiconome, quādo cœlū, & terra contra te ſtabunt,& clamabunt? Oues gerunt tibi lanam, vermiculi apud Seres populos (bombyces appellant) tibi nent,apes tuis commodis mellificant, mare præbet vſibus tuis piſces, & conchas: terra, herbas, fructus,precioſumque metallum:cœlum ſua ſydera,vt tibi tenebrioni fulgeant,& luceant.Et tu nihil interim das proximo tuo, & cùm omnes creaturę tibi promæ ſint, tu omnibus es condus, & ex tanto nihil fratri emetiris aceruo? O miſer homuncio, ſi perpetuo hîc victurus,ſi perpetuò hîc manſurus es, neque apud Deum rationem rerum tuarum aliquando redditurus:age reponas,ac recondas ſerueſque hic omnia,intereant,pereantque potius omnes vbique pauperes,quàm tuus Mammon;hoc eſt congeſta pecunia,vel obulo diminuatur.Si autē hinc breui emigraturus es,præmitte per egenorum manus illuc, vbi es habitaturus. *Auguſtin. ſerm.7e.*

taturus. Huc facit, quod habet D. Auguſtinus: Si meditareris proficiſci in regionem longinquam, & hîc fortè fortuna incideres in ciuem aliquem regionis illius, dares ne hîc illi, & alacriter, & lubenter, vt viciſsim tibi ibi redderetur? Quid ſi ibi cum fœnore queas recipere? Id docet Bernard. Da terram, vt accipias cœlum: *Bernar. ſermon 4. de aduentu.* da nummum, vt accipias regnum: da florem, vt accipias fructum: da terræ glebam, vt accipias lum[illegible] cœli. Si igitur auari fuerimus oiconomi, & perpetuò ſomniemus de augendo cenſu, de corradendis nummis, dilatandis ad meſſem horreis, nec pauperum nos vix vnquam ſubit recordatio, inuocabit Dominus contra nos cœlum & terram. Cœlum dicet: ego huic auaro *Luc. 12.* Euclioni, tot ſydera, veluti faces aperui, & ille *Deut. 32.* veluti talpa cæcus, terrena quæſiuit, neglectis cœleſtibus. Mare dicet: ego piſces præbui, qui cùm nihil ex meis donis, fratri proximo diſtribuit, dignus eſt, qui à me demergatur. Terra dicet: ego ei triticum, gemmas, aurum, argentumque largita ſum: at ille, mea munera perpetuo claudens, dignus eſt, qui à me, hor- *Sapient. 5.* ribili facto chaſmate, abſorbeatur. Sed (vt generatim loquar) totus mundus armatus in vltionem aſſurget, ac grauiter increpabit. Ego (ſi neſcis) ò homo, factus ſum propter te, vt tu ſeruias illi, qui te, & me fecit, propter ſe: & ſi ſentis beneficium, redde debitum: ne, qui fecit me, & te, puniat te, propter me.

Diffamatus eſt apud illum.

Geneſ. 4. Multa ſunt quæ contra nos clamant ad Deum. In Geneſi, Abelis ſanguis clamat de terra, ad cœlos.

cœlos. In eodem libro, aſcendit & clamor Gen. 19.
Sodomorum. In Exodo, & in Eccleſiaſtico, Exo. 22.
clamant pupillorum ac viduarum gemitus, &
lachrymæ. Sic in Iona legimus. Niniuitarum Ione. 3.
malitiam, ad Dominum aſſcendiſſe. Ex his
facile intelligimus, quomodo villicatio noſtra,
vel potius oiconomia Domino innoteſcat.
Quomodo verò nos alloquatur, aut quo pacto
nos citet, audiamus. *Et vocauit illum.* Nuncij,
& viatores, qui nos citāt, ſunt, infirmitates, febris,
calculus, epilepſia, cancer, peſtis. Quando
igitur morbus aliquis acutus, ac periculoſus te
petit, cogita te ad Domini tribunal citari, ac vocari.
Et ait illi Dominus: *Quid hoc audio de te?*
Non ſtatim oiconomum ſuum carceri dedidit,
nō adſtrinxit compedibus, nō admouit quæſtioni,
ſed cauſam dicere iubet reū, totūque negotium
diſcutit. Nō oportet omni ſpiritui credere.
Sic in Geneſi ait Dominus: Clamor Sodomorum, 1. Ioan. 4.
& Gomorreorū, multiplicatus eſt, ibo
& videbo &c. Rei aut cauſæ inſpectionem (vt
loquuntur) fieri oportet, priuſquam feratur ſententia.
Quis iudex corruptior Pilato? Ille tamē
explorat cauſam Ieſu, & ait: Tu es rex Iudæorum? Mat. 27.
Sic examinat Saul populum ſuum, eum 1. Reg. 14.
ſeorſum à ſe & filio Ionatha, conſtituens.
Vel in membris, vel in capite peccatum fuit,
& ſorte deprehenſus eſt Ionathas, cùm prius
ad Deum preces fudiſſet, vt fontem indicaret.
Sic & Nabugodonoſor rex poſt accuſationem Dani. 3.
audit, et examinat tres pueros: an contempſiſſent
regiam ſtatuam, & poſtea cognita
tranſgreſsione, eos damnauit.

Hic

Hic certè iuris ordo eſt,vt prius crimẽ examinetur,et re diſcuſſa, plectere preuaricatorẽ. Ait itaq; : *Redde rationem villicationis tuæ: Iam enim amplius non potes villicare.* Oiconomus prudẽs, vbi tempus adeſt reddendæ rationis, explorat rationem dati, & accepti, ſecumque ſubducit calculum, vt vocante patrefamilias,omnia habeat in promptu,& in numerato. Ita & nobis faciendum arbitror.Id ſuadet Paulus:Si nos ipſos (inquit) diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Statue te homo, ante te, ne Deus te ponat ante ſe. Sit(ait Auguſtinus)ante te,quod non vis eſſe ante Deum.Si autem poſt te poſueris peccatum tuum,retorquebit illud aliquando Deus ante oculos tuos: & tunc retorquebit, quando pœnitentiæ fructus nullus erit, quando amplius non poteris villicare.O quàm durum erit peccatori hoc verbum, quàm premit infœlicem animam, & negligentem, dolor acerbus, vbi tempus villicationis ſuæ iam abijſſe,ſeu præteriiſſe conſpexerit?Sinit te Deus in hoc mundo, ſuum eſſe oiconomum, & tanquam inutilis arbor,nihil fructuum adfers:quid igitur reſtat, niſi vt admota,vel potius librata ſecuri,te ad radicem vſque amputet? Et faceret quidem iſtud, niſi genuina eius longaminitas obſiſteret, & ſineret fimo,ac ſtercore,arborem infructuoſam,ad fructum inuitari.Propterea ſis prouidus,& prudens, & non ſinas querelas de te fieri,nec gemitus viduarum, pauperumque lachrymas contra te in cœlo audiri. *Dixit igitur villicus intra ſe: Quid faciam.* Semper pecunia ſuam habet anxietatem, ſemper ſuas ſpinas.

1. Cor.11.

Vbi

Vbi beatus Iob rationem ſibi reddendam eſſe cognouit: Quid faciam (inquit) cùm ſurrexerit *Iob. 31.*
ad iudicandum Deus, & cùm interrogauerit, quid reſpondebo ei? Semper quaſi tumentes fluctus ſupra me, timui Deum, & pondus eius ferre non potui. Iob exhorreſcit, dum ſecum reddendam eſſe rationem cogitat. Atqui hodie ita licenter, veluti excuſſo timoris freno, inter ſe viuunt, & conuiuũt impij, ac ſi iuſtorum opera haberent, nullaque eis reddenda eſſet vitę apud Deum ratio: & tanquam ſur in nocte dum nihil minus expectatur, irruit mors, ſecum trahens illam vocem: Redde rationẽ villicationis tuę. Vis audire cantilenam auari & cupidi alterius cuiuſdam oiconomi? Lucę cap. 12. ait Diues ille, & auarus: Quid faciam, quòd *Luc. 12.*
non habeo vbi congregem fructus meos? Hæc eſt anxietas omnium auarorum, vt etiam ſi nolint, perpetuo eis illud in ore, & lingua natet: Quid faciam? Sed conſilium demus infœlicibus oiconomis. Cõnſulamus illis, vt Dominum ſuum, ſubducta ratione, accedant, ac ſibi reddant propitium, priuſquam vocentur, aut citentur. Quæris quid facias? Transfer frumentum tuum in locum tutum & ſiccum, ne humi putreſcat. Aperi horrea tua pauperibus: quia frumentum ſi ſeruas, perdis: ſi in viduarum & pupillorum ſinus ſpargis, cum fœnore olim metes. Quid faciam, ais? Puteus tuus limo, & cœno obducitur, & obturatur: éxpurga eum, & fœlicius fluet, & diriuabuntur fontes tui foras, vſque ad gremium inopum & miſerorũ. Vt enim ſtagnum, quod clauſas habet aquas,

fœtet, & grauem odorem exhalat, ita pecunia coacta, & congeſta, de qua nihil egenorum neceſsitatibus decidi poteſt, Deo & hominibus nauſeam mouet.

Quid faciã: quia Dominus aufert à me villicationem? Vrget morbus, ſupremum indicat medicus adeſſe diem, fortè hac nocte exhalaturus ſum animã, fortè hac hora. Citor ad tribunal iudicis, apud quem nihil iuuerint theſauri, vel Cræſi, vel Solomonis. Nil ſuccurret eloquentia, vel Tulliana. Iudex non flectitur, vel munere vel obſequio. Vel dilapidaui, vel putreſcere, perireque paſſus ſum, Domini mei ſubſtantiam omnem. Ad reſtim mihi planè res rediit. Tam impiè egi, & iniquè, vt puniri ſatis nequeam. Solet extrema anchora eſſe, facultatibus, opibuſque lapſo, vel opificium, artificiúmue aliquod, vel certè mendicitas. Ego verò quid ſperem? *Fodere non valeo, mendicare erubeſco.* Manus tenellas habeo, ſi quid laboris capeſcerem, mox ducerent liuorem, ac facile læderentur nobiles digiti. Mendicitas ſupereſt, ſed hęc ſi non multum laboris, certè plurimum ſecum ducit pudoris. Clamaretur per tonſtrinas omnes, & fora: Ecce nobilis ille oiconomus, deſcẽdit ab equo ad aſinos, iam factus impudẽs, & improbus mendicus. Nõ omnino verò ad extremum malorũ redactus eſt: non enim furti meminit, quod multi noſtro ſęculo faciũt: quos & fodere, & mẽdicare iuxta pudet, interim tamen furto, & raptu viuunt, vel cedunt bonis: et deceptis creditoribus, abeunt militatum, hoc eſt, miſeros agricolas ſpoliatum

liatum, donec vel trucidentur, vel in crucem agantur. Si autem pudor eſt, hîc mendicare, & eſſe apud quoſuis ſupplicem: quàm pudendum erit, poſt hanc vitam, in inferno mendicare? Hic mendici noſtri, vel precibus, vel arte, ac importunitate, nonnihil diuitibus extorquent: ſed in inferno nihil vnquam impetratur. Perpetuo igitur eſſe mendicum, quantus pudor, & dolor? Ibi nec gutta aquæ, nec panis mica, obtineri poteſt. Mendicat diues epulo, & gutta negatur: mendicant fatuæ virgines, & modicum olei obtinere non queunt. Poſtpoſita igitur mendicitate, & reiecto manuum labore, callidum comminiſcitur noſter mendicus, conſilium: *Scio (inquit) quid faciam, vt cùm amotus fuero, recipiant me in domos ſuas.* *Lucæ. 16.* *Math. 25.*

Sophia autodidactos. Sic ſibi proſpexit Ionathas: Cùm enim facile ſecum colligeret, patrem ſuum Saülem, ob malitiam, regno deiectum iri, Dauidemque moribus, & fortitudine inſignem potiturum ſceptro, fœdus cum eo ſanxit, ea lege, vt ſi aliquando regni habenas capeſſeret, ſüi, ſuorumque rationem haberet. Sic Ioſeph filius Iacob, apud regis Pharaonis oinochoũ, ſeu pocillatorem, prouidus futuri, gratiam iniuit, atque explicato ſomnio, ait: Memento mei, cùm bene tibi fuerit, mecumque fac miſericordiam. Id conſilium nos quoque in re afflicta, & difficili meditemur. Hęc noſtra oiconomia, ſiue diſpẽſatio, non diu duratura eſt: ſed velimus, nolimus, hinc nobis eſt emigrãdũ: & certè niſi caudice, & fungo ſimus inſipiẽtiores, futuri temporis, imò potius æternitatis, rationẽ habebimus. *1. Reg. 20.* *Geneſ. 40.*

Quid enim prodeſt hîc viuere? ſi non detur aliquando ſemper viuere? Quid prodeſt hîc eſſe oiconomum, & dinumerandis pecunijs, digitos denigrare, atque poſt hanc vitam, ne obulũ quidem, aut quadrantem habere? *recipiant me in domos ſuas.* Sic Miphiboſeth filius Ionathę receptus eſt, poſt mortem patris ſui, in regiam domum Dauidis, imò ita aſſcitus in eius familiam, vt menſæ illius principibus, atque aulæ proceribus admoueretur. Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus: dum igitur incolumes ſumus, cogitandum eſt de futura habitatione: quę proculdubio perpetua futura eſt, ſiue apud Superos glorioſa, ſiue apud Inferos calamitoſa. Hîc tranſeunt ac fluunt omnia: ibi manent, atque perſeuerant omnia. *Conuocatis igitur ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & ſcribe cito quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & ſcribe ſexaginta.* Ecce veteratorem nequiſsimum, & oicónomum fraudulentum. Non ſatis fuit, decoxiſſe turpiter Domini ſui ſubſtantiam, niſi ſcelus ſceleri, & improbitatem adderet improbitati, & diſpendio Domini ſui, ſibi necteret amicitiam debitorum. Quicquid enim hic remittit, ſubſtantiæ heri ſui decedit. Iubet autem cito ſcribere, ne Dominus conſilium eius anteuertat, & ſceleratum impoſtorem agat in crucem. Tales ſunt hodie fraudulenti oiconomi, qui aiunt: Ipſe Dominus

nus tam locuples eſt, & opulentus, vt ignoret omnino quantum habeat, quantumque poſsideat, imò (vt dici ſolet) neſcit finem facultatum ſuarum. Quapropter, cùm debeas ei centũ cados olei, & vix ſis ſoluendo: Remitto tibi quinquaginta: commodus tibi ſum, & te viciſsim mihi commodum fore cupio: ſic enim manus manum lauat. Neſcio enim, quamdiu Domino huic meo, ſim futurus oiconomus, gratia gratiam pariat, hoc eſt: ſis mihi propitius & beneficus, quemadmodum ego tibi.

Sede cito, & accipe cautionem tuam, & ſcribe quinquaginta. Iſtud ſic videtur intelligendum: quòd tradiderit debitori in manus ſyngraphã obligatoriam, olim ab eo ſcriptam, eaque iam rupta, alteram conſcribi iuſsit, in qua fateretur ſe tantum debere 50. Non tamen neceſſum eſt dicere, ad eum modum impoſitum fuiſſe Domino, videlicet noua conſcripta ſyngrapha: tam enim callidum, et aſtutum hominum genus eſt, vt plurimæ ſint artes, vel corrumpendi, vel expungendi characteres, vel his deletis alios ſubſtituendi. Incredibile dictu eſt, quantũ doli, fraudis, iniquitatiſque tenuis fundat calamus. Væ (ait Eſaias) qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt. Abſtineant (oro) Chriſtianæ manus candidæ, papyro fraudes iniquas illinere, cùm ſimplices eſſe moneamur, ſicut columbæ. Quiſquis igitur quæſtor ærarii es regi, quiſquis oiconomus heri, fidem, & diligentiam præſtate. Nam hæ, vel præcipuę veſtræ dotes ſunt. Quòd ſi decoquis aut interuertis bona Domini tui, venturus Mat. 10.

 eſt ad

eſt ad iudicandum omnium Dominus, & nequitiæ te, fraudiſque reum ſtatuet ante tribunal. Si igitur Dominum Deum, ſi hærum (vti ſimulas) ſi teipſum diligis, nihil bonorum tibi creditorum vel corrumpas, vel minuas. Porrò debita ſoluenda ſunt, vt docet Elyſeus propheta: Vade (inquiebat viduæ) vende oleum,
4. Reg. 4. & redde creditori tuo: tu verò & filij tui viuite de reliquo. Quod ſi creditor tibi remittat paululum, vel ſi vniuerſum, vt habes Lucæ
Luca. 7. cap. 7. Age gratias Deo, qui hanc mentem afflauit creditori. Rex Dauid ſoluit terrã, quum
2. Reg. 24. dato eam potuiſſet habere, ab Obededom.
Geneſ. 23. Soluit & Abraham, emens terram, vt ſepeliret defunctam vxorem. Sed quæritur, an iſti debitores peccauerint, qui ſecuti fuerunt conſilium villici, vel oiconomi? Peccauerunt: quia fraudi, & dolo malo ſubſcripſerunt. *Et laudauit dominus villicum iniquitatis: quia prudenter feciſſet.* Non laudat fraudem, ſed prudentiam: neque enim laude, ſed patibulo, & laqueo potius is nebulo dignus fuit: & quia corrupit, vel rupit obligatoriam ſyngrapham, vel literas, dignus fuit, qui longam (vt in prouerbio eſt) faceret literam. Prudentia itaque oiconomi, qua ſibi in futurum proſpexit, laudatur. Vtinam & nos in futurum proſpiciamus, largis eleemoſynis, & beneficentia, nobis cœlum comparantes. Interim tamen ea quæ proximo elargimur, bona Domini noſtri ſunt: noſtris & proximorum vſibus, ab eo conceſſa.

Cùm igitur Dominus noſter Ieſus fons ſit exuberantiſsimus, omnium bonorum copia perpetuo

petuo ſcaturiens, in noſtram vtilitatem, à Deo patre expoſitus: mirari libet, cur in tanta egeſtate, ad eum non reſpiciamus, illius copia noſtræ inopię medentes. Vtamur igitur bonis ſponſi noſtri, fons eius ſemper patet, ſemper plenus, ſemper inexhauſtus. De hoc fonte propheta Zacharias: Erit fons patens domui Iacob, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. *Zachar. 3.* Fons hic ſemper fluit, nunquam congelantur aquæ eius, nunquam exſiccantur. Puteus Laban clauſus erat, non ita puteus IESV. Si ratio villicationis reddenda eſt, & deſit quo ſoluamus, rupta peccatorum ſyngrapha, nouam conſcribamus formulam, in qua vulnera IESV, cum ſacroſancto eius ſanguine pro vade & fideiuſsione conſtituamus.

Quia Filij huius ſeculi, prudentiores ſunt filijs lucis, in generatione ſua.

Hoc qui non videt, nihil videt: Quis enim noſtrum, tantum ſtudij impendit, & dedicat animæ, quantum corpori? Quòd ſi ægrum ſit corpus, quantum agitur, quantum ſatagitur, vt redeat perdita valetudo? Quis tantum curæ impendit inſtaurandæ valetudini animæ? Quantum periculi vel mercator, vel miles ſubeunt, vilis, & exigui lucelli gratia?

Regnum cœlorum in lucrum addicitur, & nemo properat adipiſci. Quis, obſecro, tantum laboris capit, pro honeſta & ſpecioſa vxore, quantum procus aut impurus amator pro ſcorto? Quis non paulò diligentius curat agros, quàm pueros? In rebus temporalibus, ſumus Solones: in ſpiritualibus, moriones.

Lucrum terrenum proponitur, vel Argo, vel aquila oculatior es: cœleſte lucrum offertur, & talpam te exhibes. *Filij huius ſæculi prudentiores ſunt.* Non ſunt tamē filij huius ſæculi commendandi, propter hanc prudentiam. Non enim laudatur veſpertilio, bubo, aut nycticorax, quia nocte vident, cùm ad clariſsimam diei lucem planè cæcutiant. Potius laudandi eſſent, ſi, vt aquila, nocte nihil viderent, aciem tamen oculorum in ſolis radios intendere poſſent, ac inoffenſo viſu conſpicere ſolem. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Non fraudando aliena, ſed largiendo propria, amici nobis parandi ſunt. Diuitiæ natura bonæ ſunt, ſed veſtra tenacitate iniquę ſunt. Omnes enim opes, quæ cupidè quæruntur, & auarè retinentur, proprijs nocent Dominis; igitur iniquæ meritò appellantur, cùm Domino ſuo incommodēt. Sunt etiam iniquę, quia non æqualiter expenduntur. Tunc autem æqualiter expendis: ſi tibi ſerues, quantum ſatis eſt, & cætera indigentibus largiris. Excluditur hîc verbum illorum, qui aiunt: ſi omnia dedero, mihi quid ſeruabo? Rogo, quis tibi pręcepit omnia dare? Manu, non corbe ferendum. Non autem ita impertiendum, vt alijs ſit remiſsio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate, in pręſenti tempore veſtra abundantia, illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abundantia, veſtræ inopiæ ſit ſupplementum: vt fiat æqualitas (ſicut ſcriptum eſt) qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. In qua Paulina

Euſebius Emiſen.

2. *Corin.* 8.

Paulina ſententia,planè oſtenditur , quod non omnia noſtra , ſed tantum ſuperabundantia, dare iubemur. Non enim vult Apoſtolus,vt ſic dando ſimus prodigi,vt ipſi poſtea penuria tribulemur. *Recipiant vos in æterna tabernacula.* Pauperes certè cũ Chriſto regnabũt,& dominabũtur populis : Ipſorũ enim eſt regnũ cœlorũ. *Math. 6.* Ieſus recipiet ibi Marthã, Paulus purpurariam, Helias viduã Sarephtanam . Imò & diuitem in regno reciperet Lazarus,ſi in exilio,diues epulo , recepiſſet Lazarum . Quoniam igitur ita nobiſcum comparatum , eſt , vt breui tabernaculum terrenum , & ruinoſum , ſcilicet corpus hoc, relinquere debeamus,de tabernaculis ęternis cogitemus. *2.Petri.1.* Adueniet dies Domini,ſicut fur, in quo cœli magno impetu tranſient , elementa verò calore ſoluentur:terra autem , & quæ in ipſa ſunt opera,exurentur.Libera igitur habitationem tuam ab incendio,vt exuſto hoc tabernaculo,ad æterna poſſes ſubuolare tabernacula, nunquã exurenda,nunquam deſerenda. O bonitatem , & benignitatem. Vult fœnerari ex ijs,quæ tibi ipſe largitus eſt. Profers paululum ex tuo tabernaculo,& largiris pauperi : id omne,pauper olim in æternis tabernaculis tibi reddet,ſed cum fœnore.Sed cur(inquis)Dominus non & hunc mendicum,ſicut me, diuitem fecit? Noluit certè benigno conſilio , vt tu ab eo cœlum emeres.Fecit miſerum,vt agnoſceret miſericordem:Fecit inopem,vt exerceret opulentum . *Paulinus epiſtola de gazophylatio.* Materia diuitiarum , tibi eſt fraterna paupertas. Excitant interdum ad ingentem nummorum vim effundendam,ſplendida ædificia,

ficia, quæ tamen à te empta, vel igne nonnunquàm corripiuntur, vel aquarum eluuie hauriuntur, vel ruinam tandem patiuntur: & non mouent te, ad paululum dandum, æterna tabernacula, nunquàm ruitura, nulliſque vndis nulláue flamma abſumenda? Nec inopia, ſi in pauperes liberalior ſis, tibi metuenda eſt, quoniam phiala aurea es, in manu Domini: ſi proximo largiter propines, & haurias, ipſe deſuper tibi viciſsim liberaliſsimè infundet. Non poteſt riuus inareſcere, cui fons inexhauſtus nouas aquas perpetuò ſuggerit. Noui (inquit B. Ambroſius) pleroſque ſacerdotes, quo plus contulerunt, plus abundaſſe: quoniam quicunque bonum operarium videt, ipſi confert, quod ille ſuo officio diſpenſet, ſecurus quod ad pauperem ſua perueniat miſericordia. Sed hæc ſatis.

Amb. li. 2. offic. c. 16.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Qui habebat villicum. *Græcis eſt, οἰκονόμος, id eſt: diſpenſator. Sic vertendum erat ait Hieron. quæſt. 6. ad Algaſiam, vbi & hanc parabolam tractat. Villicus (ait) propriè villæ eſt gubernator: οἰκονόμος autem, tam pecuniæ, quàm frugum, & omnium quæ dominus poſsidet, diſpenſator eſt. Oiconomicos Xenophontis (Cicerone teſte) liber eſt elegantiſsimus, qui non villæ, ſed vniuerſæ domus diſpenſationem docet.*

SECVNDA.

Centum cados olei &c. Cētum coros tritici. *Græce eſt batos. Sic hoc loco legit Hieronym. Neque enim idem ſignificat cadus, & batus. Cadus Græcū eſt,*

men-

menſuræque genus , continens ſextarios ſeptuaginta duos : hoc eſt decem congios: batos autem, continet ſextarios ſeptuaginta duos, vt teſtatur Ioſephus lib. 8. Antiquitatum, eſtque vox Hebraica, Nam Hebræi dicũt bath בַּת*. vnde batus, ſicut & corus à cor* כֹּר *quod & Chomer illis dicitur. Eſt autem (teſte Ioanne Gagneio , corus aridorum menſura , capiens medimnos Atticos, vnum & quadraginta . Vide Budæum , & Rodolp. Agricolam.*

TERTIA.

Accipe cautionem tuam. *Græce eſt* τὸ γράμμα σοῦ*, hoc eſt, cautionẽ, vel aſſecurationem tuam, vel literas ſupputatorias, Iuriſconſulti appellant repertorium, vel inuentarium.*

QVARTA.

In generatione ſua. *Neſcio quid ſibi velit Eraſmus, qui vertit , in natione ſua . Ion. Gagnæus ait: In generatione ſua, hoc eſt, in genere ſuo. Hunc ſequitur Ianſenius. Vel in generatione ſua, id eſt inter ſuos vt ſint duæ generationes: ſcilicet filij lucis, & filij tenebrarum.*

QVINTA.

Facite vobis amicos de mammona.

Mammona, μαμμωνᾶς*. Vox eſt Syriaca, diuitiarum Deum ſignificans . Quem Græci* πλοῦτον *vocant. accipitúrque pro ipſis diuitijs. Qui plura de eo noſſe cupit , videat Eraſmi annotationes in Mathæum. Latiſsimè ſanè patet huius Dei imperium , cùm pecuniæ obediant omnia , & , quod ait propheta, à minore , vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudeant . Pœnis autem , ſiue Afris mammon dicitur, teſte Diuo Auguſtino . Non poteſtis DEO ſeruire , & Mammonæ , ait apud Mathæum,*

Eccleſ. 10. Hierem. 6. & 8.

Mathæi. 6.

Chriſtus

Chriſtus: Non enim bene conuenit Deo vero, cum hoc falſo Deo. At incredibile dictu, quot vbique reperias, huius Dei ſacris initiatos, quibus nihil æquè dulce eſt, ac ſeruire pecuniæ. Pingitur in quibuſdam locis Deus hic, vel potius demon, in forma diaboli prægrandis, & bene turgidam crumenam manu tenentis: hanc ſumma opum vi expugnare conantur pontifices, reges, proceres, ſacerdotes, religioſi, ac vulgus omne, ſenes, iuuenes & puellæ, improba cupidine nummi eò adducti. Sunt qui in dæmonem ilium grandes bombardas exonerant, diſploduntque, alij miſsilibus iaculiſque certant, nonnulli arcubus, & balliſtis, plurimi admouent perfringendo muro arietes, alij ſtricto ferro perrumpere tentant. Talem habet Gandaui domi ſuæ imaginem, Guilhelmus Milthon, gente Anglus, moribus candidus, religione catholicotatos. Neque huiuſmodi ſtatua, aut imago vel nupera, vel nouitia eſt, cùm apud Græcos olim idem Deus ſub nomine Pluti fuerit cultus. Teſtis eſt Pauſanias in Atticis. Pauſanias

DOMINICA DECIMA POST
TRINITATIS EVANGELIVM

Lucæ cap. 19.

V*Idens IESVS ciuitatem, fleuit ſuper eam, dicens &c.* Præſens Euangelium duabus partibus abſoluitur: Prior habet apertam prophetiam, de excidio Hyeroſolymitano, quo videlicet pacto Romani Imperatores, Flauia de gente, Veſpaſianus & Titus illam totius Orientis metropolim, vi expugnauerunt, vaſtaueruntque. Neque excidij cauſa in Euan-

in Euangelio tacetur, ſcilicet ingratitudo in Dominum Deum, & cæcitas futuri. Horribile ſanè, & nullis antea ſæculis auditum excidium, in quo Ioſephus Iudaicus auctor, vndecies centena Iudęorum milia perijſſe, ſcribit. Cornelius Tacitus Latinus milia ſexcēta, omnis ætatis, virilis ac muliebris ſexus. *Cornel. Tacitus lib. 21.*

Poſterior Euangelij pars paruam habet hiſtoriā, videlicet expulſionem vendentiū, & emētium è templo Hieroſolymitano, flagellatis, magna cum ſeueritate, abuſibus, ac addita ſalutari, doctrinæ Euangelicæ, prædicatione. Poterint alijs aliæ videri euerſionis tam famoſæ cauſæ, ego verò cum Egeſippo primam, & veriſsimam eſſe duco, publici illius ſceleris in Chriſtum commiſsi vltionem: Nam poſt Filium Dei tam crudeliter in crucē actum, ciuitas furiarum ſtimulis agitata, nunquàm à diſcordia, & ſeditione quieuit, quoad ſupremum impietatis ſuæ diem pateretur. Tanta fames in vrbe fuit, vt filij, ex ore parentum cibum raperent, nec frater fratrem miſerari, nec ſororem ſoror vel vellet, vel poſſet: cùm in tanta rerum neceſsitate, omnes ſibi mallent ſubuentum, quàm alteri. Medimnus tritici, talento venijt, quapropter multi bubalum fimum mandere ſunt conati. Erant qui cloacas rimarentur, vt inde cibos obſcænos eruerent. Coria ſcutis detracta, fænique laceramēta nonnullis victui fuêre. Scrutabantur miſeri, glebas intraneorum hortorum atque agrorum, ſicubi fortè vnum, alterúmue vel auenæ, vel hordei granum deprehendere poſſent. Vulſę ſunt ex terrę

viſce-

viſceribus, variarum herbarum radices, etiam noxiæ, & eſui ineptæ. Sed quid obſecro facerent, cùm vndique bulimia, durumq́ue telum, neceſsitas miſeros premeret? Hanc famem excepit peſtis teterrima, quæ ex infamibus, & impuris cibis orta, multa mortalium milia inſtanti Romanorum furori eripuit. Vnde

Egeſippus. nihil mirum, ſi Egeſippus CXVI cadauerum milia vna vrbis porta elata, commemoret. Quis verò verbis commemorare, ac proſequi poſſet, tranſfugientium ex Hieroſolymis, calamitatem? Nam cùm tranſfugarum Iudæorum vnus, ex proprijs incrementis aurum legere eſſet à Romano milite notatus, fama ſparſa in exercitu, Iudæos viſceribus auro plenis tráſfugere, ad duo milia tranſfugarum, nocte duntaxat vna exenterati ſunt. Fuerant multo plures, ad eum modum gladio, (pecuniæ cupiditate) confodiẽdi: niſi Titi interceſsiſſet edictũ: ne quis tráſfuga ferro lederetur. Erat enim Titi tãta humanitas, tanta in quoſuis benignitas, vt à Romanis, generis humani delitiæ appellaretur. Quoties duces Iudæorum, blandis verbis, vt deditionem facerent, cohortatus eſt?

Egeſippus li.5.c.46. Narrat Egeſippus, quàm luculenta oratione, poſtremum eos ſit affatus, in qua ita Titus: Quoties à mœnibus veſtris, vocaui exercitum? Quoties poſtea à penetralibus templi retraxi? Quoties reſtinxi incendia? Quoties monui? Sed nunquam audiſtis. Populus extinctus eſt, templum ardet, vrbem tenemus. Quid reliqui ſperatis, niſi vt vita vobis donetur? Proinde ponite arma victi, & viuere vobis donabo, &

bo, & ſi non meremini. Sed de eius humanitate, qui plura deſiderat, Suetonium legat.

Chriſtus verò, vbi obſeſſæ vrbis calamitatem, omnium calamitoſiſsimam, veluti in clariſsimo ſpeculo contueretur, non potuit à lachrymis, & luctu abſtinere, non ob id certè, quòd muri, aut arx ipſa, aut ſplendida vrbis domicilia vaſtarentur, ſed quòd incredibilis fieret iactura animarum. Nunc mihi cogita (benigne Lector) quanti momenti, quanti precij ſint animæ, pro quibus ad lachrymas ſe flectit æternum gaudium. O ſi quis pios oculos, in penetralia pectoris I E S V, defigere potuiſſet, dum vbertim fleret: & ipſe quoque, eius exemplo, animam propriam lugeret, & in ipſis ferè lachrymis liqueſceret.

Nemo verò exiſtimet, eum mortem hanc corpoream defleſſe. Non enim mori, ſed malè mori miſerum eſt. Erant mulieres *Luc. 23.* aliquot, quæ plangebant D O M I N V M I E S V M, dum ad Crucis ſupplicium duci viderent: horrebant enim, vt natura eas molles finxit, mortem eius corporalem.

Sed ille repreſsit inutilem fletum, monuitque prudenter, vt potius plangerent animas ſuas, vnà & filiorum. Quid enim prodeſſet *Math. 16.* homini, ſi mundum lucraretur: animæ verò ſuæ pateretur diſpendium? Si in ſtatera poneretur, quicquid auri, & argenti, quicquid Margaritarum, vaſtiſsimus capit orbis, imò ſol, ac aſtra omnia, & vt verbo dicam, omnes creaturæ (de Angelis non loquor) non poſſent conferri aut æquari vel animæ vni: tantum eſt

anima-

animarum precium: Nónne animarum gratia, Chriſtus Dei filius, omnes ſanguinis ſui fontes, per hiantia, & latè patentia vulnera, fudit? Quid tu hîc dicis ſtupida, & craſſa corporis humani moles: non tui cauſa (ne erres) ſed hoſpitis tui gratia, filius Dei laborauit, ieiunauit, ſudauit, et alſit: non tui gratia, eſurijt, ſitiit, paſſus eſt, mortuus eſt: ſed propter animã, tecum veluti in exilio, vel potius in carcere, commorantem: Nobilem ſanè hoſpitem habes, cui vt perpetuum gaudium cõparet, largiter fleuit Dei filius, imò tandem et cum lachrymis, ſanguinem quoque profudit. Hinc 1. Petri 1. Non corruptibilibus auro, & argento, ſed precioſo agni immaculati ſanguine, & incõtaminati Ieſu Chrſti redempti eſtis. Pulchrè D. Auguſtin. O anima, nobilis creatura, quo te deijcis, quo amorem tuum dirigis? Si terram amas, meliores: ſi ſolem miraris, pulchrior es: ſi cœlum, altior es: ſolo enim creatore tuo inferior es. Quid igitur iam miremur magis, an animarum dignitatem, an Dei erga eas charitatem? Magna animarum dignitas, quarum gratia, in lachrymas ſoluitur æternum gaudium: ſed maior, & infinitis partibus excellẽtior eius charitas, cui in ſumma illa, ſibi à ciuibus Hieroſolymitanis cumulatim tributa gloria, cohibere non potuit oculos à fletu. Mira res, mortem ſuam deflere vetuit: quia mors eius non fuit detrimentum, ſed magnum ornamentum, & tamen ipſe hîc quod alijs vetat, abundè præſtat. Sed nihil mirum, cùm hic defleat interitum animarum: mulieres verò plangebant mortem eius corporalem. Illius autem

1. Petri. 1.

Auguſt. lib. de ſpiritu & anima.

autem, ſicut & omnium martyrum mors, precioſa eſt, in conſpectu Domini. Mors verò peccatorum peſsima. Planxit fleuitque olim Hieremias, ſcelera Iſraëlitici populi. Sic Saülem fleuit Samuel. Sed mirũ, inquies, quòd flet IESVS, illis ridentibus. Facit ſanè quod piæ matres facere ſolent, quæ filiabus phreneticis effuſè ridentibus, ad commiſerationem, & fletum ſe vertunt. Quid aliud quàm furor, & phreneſis fuit, mitiſsimum agnum Ieſum, ad mortem, indicta cauſa, condemnare? Capiant ex hoc Chriſti facto exemplum ſibi iudices omnes, vt defleant eos, quos condemnant, & plectunt. Vides hîc ſympathiam Chriſti, vides & æquitatem. Ipſe Iudex viuorũ eſt & mortuorum. Iuſta erat ſentẽtia, qua decreuit Iudæos horribili interitu plectere: paternæ verò miſericordiæ fuit, collachrymari miſeris. Sed quur Domine, tam vbertim flere pergis, cùm tuteipſe auctor ſis tantæ calamitatis, tamque horrendi excidij? Túne mittis duos illos vrſos, qui dilanient & deuorent filios Iſraelis? Vrſos dico Titum, & Veſpaſianum? Mitto quidem, ſed coactus Iudæorum impietate intolerabili, & motus mea æquitate. Compatior tamen afflictis, ne me ex animi liuore punire, quiſpiam iudicet. Damno ſceleratos, ſed compatior imagini meæ: cædo præuaricatorem, ſed diligo hominem. Huc facit quod habet Origenes: Captus eſt latro publicus facie liberali, & honeſta, ætateque integra: pro illo rogant, parentes, coniunx, paruique liberi, iam ſtatim orbi futuri. Quid hîc Iudex?

Hiere. 9.

4. Reg. 2.

Orige. homil. 9. in Hierem.

Si miſeretur, reuertitur latro ad ſcelus priſtinũ: ſi non miſeretur, nec exaudiat ſupplicũ, & eiulantium preces, vnus homo interibit, & totus populus ſalutari exemplo ſaluatur, atque in officio continetur. Sępe Eccleſia eijcit vnum, vt totam ſaluet plebem. Medicus dum ſecat, dum vrit, hominem non odit, & morbũ tollit. Chryſ. homilia 46. in Matheum: Rex benignus, fert ſententiam in reos, & tamen illorum ſortē deplorat: Fluit ſanguis rei, fluunt & lachrymę Iudicis. Prudenter igitur fermentum tollitur, ne tota maſſa corrumpatur. Perdit Chriſtus Hieroſolymam ex iuſtitia, deflet ex miſericordia. In oleo enim miſericordiæ, debet ardere ignis iuſtitię. Iuſtitia ſine miſericordia, nihil aliud, quàm cæcus furor eſt. Miſericordia ſine iuſtitia, inepta remiſsio eſt. *Videns itaque ciuitatem, fleuit ſuper eam.* En quanta charitate ingratam ciuitatem, ſeque perpetuo perſequentem, proſequitur: cũ inter tam fauſtas populi acclamationes, inter tam lætas gratulationes, extremam nobiliſſimæ, & florentiſsimæ vrbi, ruinam, inſtare videns, adeo miſericordiæ potenti vi concuſſus eſt, vt lachrymis penè deflueret. Tũc adimpletũ eſt illud pſalmi: Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea.

Chryſ. homi. in 46. in Math.

1. Cor. 5.

Pſal. 136.

Dixit: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem eſt tibi, nunc autem abſcondita ſunt hæc ab oculis tuis.

Diuus Gregor. quem ſequitur Nicolaus Lyranus, ſic intelligunt hanc ſententiam: Si cognouiſſes (ô Hieruſalem) mala, & pericula tibi impendentia, quemadmodum ego cognoui: etiam

etiam tu,ſicut ego,fleres.Imò (ait Lyranus) fleuiſſet etiam,in die pacis ſuæ,& in tanta lętitia: cum cantico Oſianna,miſcuiſcet luctuoſos verſiculos. Et quamuis hylariter,& fæliciter viueret,non obliuiſceretur imminētium malorum. Sed malim hic (Lyrano relicto) Gregorium ſequi , qui hunc ſenſum eſſe oſtendit : Et quidem in hac die tua,habes,quæcunque ąd pacem pertinere videntur:Hoc eſt , in breui , ac labili hoc tempore , quod tibi , non diuino honori, impendis,tradis te carnis voluptatibus, ac bonis præſentibus ad terrenam abuteris fœlicitatem.Neque mirum,quoniam mala futura te latent:idcirco te voluptatibus totam dedis.Ego verò tamen (hæc non reijciens) ſic malim intelligere : Si cognouiſſes tu , ea quæ ad pacem tuam faciunt,curares ea amplecti : ſic intelligit Eraſmus. Sunt qui ita intelligere voluit : O ſi, vel , ô vtinam noſſes, quæ tibi ad pacem faciunt.Sic ſanè,D.Hieronymus cũ Theophilacto, intelligere videnter . Optarem vehementer te cognoſcere , quæ pertinent ad tuam fœlicitatem,& pacem: at quod ſanè deplorandum eſt, hęc ſunt abſcondita ab oculis tuis . Mihi verò penitius verba Chriſti inſpicienti , apparet hîc geminus ſenſus , alter Græcorum , alter verò Latinorum:Quia ſi cognouiſſes & tu, Quia ſi, id eſt : O ſi & tu in hac die , in hoc tempore, quo ego hîc conuerſor,In hac,inquam,die tua, quia propter te humanitatem potiſsimum aſſumpſi, & hodie hîc ſum ad ſalutem veſtram curandam.Si,inquam,cognoſceres quæ ad pacem tuam,& fœlicitatem faciunt , videlicet,vt

Deo reconciliemini per fidem in me, & ſuſce- ptionē cœleſtis doctrinæ meæ: Si hoc cognouiſſes, nequaquam perires. Sic Euthimius, & alij Græci. Alter ſenſus eſt Latinorum, hoc modo interpretantium: Quia ſi cognouiſſes ruinam, & vaſtationem tibi impendentem, & horrendum ciuitatis huius tam pręclarę excidiū, & tu ſcilicet fleres, quæ modò, quia ignoras quid immineat, geſtis animo, atq; ad muſicā, & voluptatem te vertis. Fleres, inquam, & tu, in die tua, quæ eſt tibi ad pacem, ſcilicet temporalem. Sed dicetis fortaſsis ô Iudæi: Nunquid ſe bene habent res noſtræ? omnia virent, omnia florent, omnia excelſa petunt, extra omnem teli iactum ſumus. Non eſtis (miſeri) non eſtis. ſed minantis arcus telū, à vobis non videtur, & mala certò inſtantia, vos non terrent, quia non apparent. *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Si quiſpiam diligenter ſecum expendat, quot calamitatibus Hieroſolyma, & quot malis affecta fuerit, intelliget nihil eſſe aliud, quàm diuinam vltionem, quæ eam afflixit.

Euthymi.

Quid enim? Nónne cùm iam incredibili in Chriſtum flagrarent odio, plenis buccis Pilato coram proclamabant: ſanguis Ieſu ſuper nos, & ſuper filios noſtros? Nónne Barrabam popoſcerunt viuere, cùm latro eſſet, & homo ſeditioſus: IESVM verò mori, cùm eſſet princeps pacis? Quapropter, iure eos perſtringit Egeſippus, atque ita exclamat: Agnoſce (ô Hieroſo-

Math. 27.

Egeſip. li. 5. cap. 20. 26.

Hieroſolyma) tibi hodie Barrabam viuere, Ieſum eſſe mortuum: & ideo in te regnat ſeditio, pax verò ſepulta eſt. Non arbitror, à condito ſæculo, vſpiam maiorem in ciuitate conflatam ſeditionem, obortam diſcordiam inteſtinam, quàm in obſeſſa Hieroſolyma, vbi tres illi fatales ductores exercituum, Ioannes, Simon & Eleazarus, fortius contra ſe, & pertinacius dimicauerunt, quàm contra Romanos. Sed omnem fidem excedit impium illud, & execrabile ſcelus, quod famelica mater commiſit in filium infantem, ad quod commemorandum, palato adhæreſceret lingua, ad audiendum, polluerentur aures, & ferarum, hominumque pectora obrigeſcerent. Obturate aures matres, vultus oculoſque auertite virgines: ne ſceleris vos contagium inficiat. Mater erat (ſi tamen mater) quæ maluit filium tenerum adhuc infantulum, mori, quàm viuere. Quæ fame, furijſque paricidalibus ſtimulata iugulauit quod peperit, & ne quid deeſſet impietati, iugulatum proprijs dentibus crudeliter lacerauit, & ventri dedidit, ſepeliuitque auaro. Elegantiſsima, ſed planè tragica eſt oratio, quā dira genitrix, imò exitioſa vipera facinus iam patratura ad filium habuit: Conuerſa itaque ad paruulum iam matrem oblita, & furens animi, ſic ait: Quid tibi faciam paruule? quid faciam tibi? Sæua te circumſtant omnia, bellum, fames, incendia, latrones, ruinæ, cui te moritura credam? Speraueram (ſi adoleuiſſes) me paſceres viuam, aut ſepelires defunctam: quòd ſi præuenires me obitu, ego te precioſo tumu- *Egeſip. li. 5. ca. 40.*

 lo meis

lo meis manibus includerem. O mihi ſuauia viſcera, artus iucundi, priuſquam vos penitus conſumat fames, reddite matri quod recepiſtis, redi fili in illud naturale ſecretum: in quo domicilio ſumpſiſti ſpiritum, in eo tibi tumulus defuncto paratur. Ipſa complectar, quem genui. Ergo eſto cibus meus, furor latronibus, & vitæ fabula. Hæc dicens auerſo vultu, gladium demerſit, & in fruſta filiſi ſecans, igni impoſuit, partem comedit, partem operuit, ne quis ſuperueniret. Sed nidor incēſi peruenit ad principes ſeditionis, continuoque odorē ſecuti, irruperunt in mulieris hoſpitium, minantes necem, quod auſa eſſet ieiunantibus ipſis edere. At illa, partem (inquit) veſtram vobis ſeruaui, non fui auara, nec inhumana, de meis vobis viſceribus, cibum paraui. Conſedete ocyus: menſam apponam. Hæc dicens, redoperuit ambuſta membra, & epulanda obtulit, cum tali exhortatione: Hoc prandium meum, hæc veſtra portio, videte diligentius, ne vos fraudauerim. Ecce pueri manus vna, ecce pes vnus, ecce dimidium reliqui corporis. Nunquam mihi fuiſti dulcior fili, tibi debeo quòd adhuc viuo. Tua ſuauitas animam tenuit meam, & produxit matri miſeræ, diem mortis. Subueniſti in fame, tu munus ſupremum ſenectæ, percuſſorum repreſſor. Venerunt necaturi, conuiuæ facti ſunt, habebunt ipſi quod debeant, cùm epulas meas ſumpſerint. Sed quid refertis gradum, quid horreſcitis animo, cur non epulamini, quod mater feci? Peruenit ad Romanos huius facti immanitas. Quo comperto

perto Cæſar, execratus infœlicis terræ contagium, manus ad cœlum eleuans, talia próteſtabatur: Ad bellum quidem venimus, *Verba Titi.* ſed non cum hominibus dimicamus, aduerſus omnem rabiem ferarum, ac beluarum, quid ſenſibilium loquor? aduerſus omnem rupium immanitatem decernimus. Færæ diligunt fœtus ſuos, quos etiam in fame nutriunt, & quæ alienis corporibus paſcuntur, á conſimilium ferarum abſtinent cadaueribus. Hoc vltra omnem acerbitatem eſt, vt membra quæ genuit, mater voraret. Mundus ego ab hoc contagio, tibi me abſoluo, quæcumque in cœlo poteſtas eſt. Scis, ſcis, quia ſæpe pacem obtuli, & quod nō pudet dicere, victor rogaui: quia parcere, tantorum flagitiorum, prodigiorumque auctoribus, volui, parcere populo, vrbem ſeruare: ſed quid facerem repugnantibus? Plura ſunt alia, in ea oratione Titi Imperatoris, ſed breuitati conſulo. Sed dixerit forſitan quiſpiā: cur Dominus Deus poſt tot, nēpe quadraginta annorum ſpacium, propter commiſſum in ſuum filium, facinus, pœnas à Iudæis exegit, præſertim cùm plærique, qui huic crimini ſuerunt obnoxij, iam è vita deceſſerint, ac veluti vindictę ſe exemerint? Profecto medicus eſt, nouitque optimè, quando punire, quando plagam inferre oporteat. Lento gradu (ait Valerius) ad vindictā, diuina progreditur ſeueritas, *Val. Maxi.* tarditatemque ſuam, ſupplicij grauitate compenſat. Imperiti igitur ſunt, qui medici rationem, conſiliumque reprehendunt, quod vel mox, vel tandem, vel cauterio, vel ſectione,

ægrum curare voluerit. Ita nõ eſt noſtrum, Deum accuſare, quod hoc vel illo modo, hoc vel illo tempore, hominem punire decernat, ipſe enim (ait Plutarhus) optimè nouit tempus, quo malitiæ medicinam adhiberi cõueniat, ac tanquam pharmacum vnicuique prębeat ſupplicium, quamuis nõ magnitudine, menſuraque æquali, ſeu tempore vno eodémue, in omnibus pariter medeatur delictis. At dicet rurſus quiſpiam: eſto: voluit Deus, Iudæorum crucifigentium Chriſtum, ſcelus caſtigare in poſteris, iuſtáque animaduerſionẽ, ad quadraginta annos differre: cur verò per malos, afflixit peſsimos, & populum vnius, verique Dei cultorem, per idololatras? Neque iſtud nouum eſt, aut inſolitum: Nam & Ægiptij, & Aſſyrij ſceleratiſsimi olim fuerũt homines, & per idolorum religiones, imò ſuperſtitiones varias, à veritatis cultura alieniſsimi: his tamen ferè pro flagellis, vſus eſt Deus, ad Iſraëlitarum licentiam, improbitatemque caſtigandam: Vt de Aſſyrijs dixerit:

Eſaiæ 10. Virga furoris mei Aſſur, & baculus ipſe eſt. Talis virga erat Titus, & exercitus Romanus. D.

Hier. epiſt. ad Hedib. Hieronymus epiſtola ad Hedibiam quęſt. 8. aptiſsimè comparat Veſpaſianum, & Titum, duobus

4. Reg. 2. vrſis illis, qui egreſsi de ſaltu Bethel, lacerauerunt quadraginta pueros, irriſores ſanctiſsimi prophetæ Elyſæi, propterea ab eis ludibrio habiti, quia caluus eſſet. Quid igitur non meruerũt Iudæi, qui pungentibus ſpinis, illud, angelis etiam tremendum, & adorandum caput prophetarum principis Ieſu, ita dilacerauerunt: vt ferè caluiciem inducerent. Si puro homini

illuſiſſe

illuſiſſe,licet prophetæ,capitale eſt: quod ſupplicium merentur,qui, tantò Elyzęo maiorem, quantò creaturã ſuperat creator, fœdis ſannis, dicterijs, ſcommatibuſq; inceſſunt: imò & capillum cutemque lacerant? Veniant, veniant vrſi,Veſpaſianus cum filio Tito,ac tam execrabile vindicent ſcelus, & diuinæ iuſtitiæ ſint inſtrumenta: Id autem arcano numinis afflatu, Titus ipſe cognouiſſe videtur:ſe(videlicet)eſſe nihil aliud, quàm ſupremæ maieſtatis miniſtrum. Cùm enim finitimę Iudææ gentes, ob victoriam ipſum coronare vellent, obluctabatur admodum, tali ſe honore indignum clamans: non enim ſe talium auctorem eſſe operum, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti, ſuas manus præbuiſſe. Quam eius modeſtiã,mirificè in victore laudauit Apollonius Tianæus,quod ſanguinis cauſa,coronari noluiſſet. Vides nę (amice Lector) idololatras nonnunquam Diuini honoris eſſe vindices, ac ſe tantum(vt ait Titus)prębere manus,offenſo numini? Sic & Zenacherib rex Aſſyriorum, virga diuina fuit,in caſtigandis Iudæis, ſed tandem, vt bene detritum flagellum, veluti in flammas coniecta,perijt: Nam à proprijs filijs in Niniue vrbe, iugulatus fuit. Auſus eſt crudus ille, & crudelis tyrannus Attila, ſe flagellum Dei appellare. Is tanquam tempeſtas quædam terribilis (quingenta enim armatorum milia erant)in Hungariæ finibus coorta, totam ferè Germaniam percurrit, ac plęraſque vrbes, vi captas,diripuit. Hinc in Galliam delati Hunni, Burgundionum ceperunt regem: Aureliam pręclaram

Phylaſtratus. lib.6. cap.14.

4.Reg.19.

claram vrbem, vi Attila cœpit, Remos expugnauit, trucidato Nicaſio Epiſcopo, cum multo maxima vrbis plebe, Eutropiaque Nicaſij ſorore. Vides, Lector, crudeles nonnunquam tyrannos, flagella eſſe in manu Domini, quibus alios punire ſolet? Inde verò & illos conterit, ac ſæpe funditus tollit. Quemadmodum enim (vt ſcribit Plutarchus) Hyenę fel, phocæque coagulum, aliquid ſalubre, ægritudinibúſque humanis vtile, in ſe continent, ita quibuſdam, qui freno animaduerſioneque egent, Deus amaritudinem quandam tyranni inexorabilem, vel ſæuam principis cuiuſdam aſperitatem, immittit: nec prius ab afflictione, ac perturbatione deſiſtit, quàm ægritudinem omnem expulerit, morbumque penitus expurgauerit. Vnde & tyranni, durique principes, pharmaca, & acerba ſunt catapotia præuaricatorum. Tale pharmacum Siculis, tyrannus Phalaris: tale Romanis, Marius erat. Rectè igitur, cùm in alijs, tum in libris Iudicum ſcribitur, quòd Deus Iſraëlitas tradiderit, veluti flagellandos: nunc in manus Iabin regis Chanaan, mox in manus Madianitarum, quos tamen (vbi Hebræi ſatis pœnarum dederunt) tanquam inutilia flagella abijcit, quemadmodum iuſta mater virgam, qua vapulauit filius, contumax, flammis tradit. Huc facit quod legimus Ezechielis 21: Mucro euagina te ad occidendum, lima vt interficias, & fulgeas. Et ſtatim paulòpòſt: Reuertere ad vaginam tuam, in loco in quo creatus es; iudicabo te, & effundam ſuper te, indignationem meam; in igne furoris mei, ſufflabo in te. Quid hoc

Plut. li. de ſera vindicta.

Iud. 3. et 6.

Ezech. 21.

hoc aliud eſt, quàm quòd gladium, ſeu virgam, poſt caſtigationem, igni dedet? *Quia non noviſti tempus viſitationis tuæ.* Breuiter complectitur cauſam tanti excidij, quia Hieruſalem tempus viſitationis ſuę ignorauit, ſed Dei potius patientia abuſa ſit, quòd ſeruatorem recipere noluit, quòd Meſsiæ miſſo, inobediens fuit. Benedictus (ait Zacharias) Dominus DEVS Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ, Ibidem: Viſitauit nos oriens ex alto. Sic olim eũdem populum, acribus verbis, caſtigat Hieremias. Miluus (inquit) in cœlo, turtur, hirundo, & ciconia, cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus, non cognouit iudicium Domini. *Et ingreſſus in templum, cœpit eijcere vendentes, & ementes, dicens illis: Scriptũ eſt: domus mea, domus orationis vocabitur.* Vtinam epiſcopũ animarum noſtrarum, imitentur epiſcopi & præfecti Eccleſiæ, imò reges & monarchæ. Vtinam omnes vero zelo feruidi, Chriſti ſint, Heliæ ſint, Ioiadę ſint, Ezechiæ ſint, Ioſiæ ſint: his enim templum curæ fuit, imò domus Dei non paulò erat carior, quàm propria. Ait D. Gregorius Pontifex, quòd ideo Chriſtus poſt commemoratum, ac oſtenſum à ſe, Hieroſolymę vrbis excidium, templum intrauerit, vt oſtenderet, ſacerdotes cauſam fuiſſe ruinæ. Hoc quoque animaduertendum, Chriſtum non euertiſſe, aut fregiſſe templum, ſed expurgaſſe potius, ac mundaſſe. Suidas ait, Diocletianum Imperatorem, vnà cum genero ſuo Maximiano, Ecclæſias combuſsiſſe, imò & libros ſacros flammis tradidiſſe. Domus orationis

Lucæ. 2.

Hierem. 8.

Eſaiæ. 56.

onis non vaſtanda, ſed purganda eſt. Sed cur templum, domus orationis vocatur, & non domus miſericordiæ, vel domus auxilij diuini? Certè, quia non eſt ratio efficatior, ad Deum placandum, ad miſericordiã eius impetrandam, quàm precatio: Eſt enim precatio ſcala Iacob, per quam angeli aſcendunt, & deſcendunt. Pręcipuum opus templi, eſt oratio: Qui enim in templo non orat, perinde facit, acſi in conuiuio non edat, in ſchola non diſcat, in balneo non lauet, in lecto non dormiat. Ardens, ac aſsidua precatio, ſitula eſt, qua ex fonte benignitatis diuinæ, innumera haurimus beneficia. Quapropter in templo, Ieſu omnes dicant gloriam. Baſilius ait, quòd angeli in templo, nomina precantium ſcribant. Rex ſeuerus, & æqui, iuſtique plus quàm ſatis eſt, tenax, domum ſuam, appellat domum, ſeu curiam iuſtitiæ: At Chriſtus, vt commonſtret in noſtra vota ſe eſſe expoſitum, & propenſum, ſeque habere viſcera miſericordiæ aperta, vocat domum ſuam, domum orationis. Cùm igitur hic mundus nobis ſit vallis miſeriæ, & domus anguſtiæ, atque afflictionis, imò horroris, & periculorum, malorumque domicilium, prudenter ſanè, & benignè, nobis domum ſuam oſtendit: Vbi hæc incommoda deprecaremur. Eſt igitur domus Dei ſeu templum, veluti pharmacopolium, vnde contra omnia mala, certiſſima petantur antidota, & impetrentur. Eſt cella vinaria, eſt ditiſsimum penu: vbi omnia dona ſua habet recondita Deus. *Vos autem feciſtis domum meam ſpeluncam latronum.*

Geneſ.28.

Pſal. 28.

Cant.1.

Excan-

Excandeſcit D.Ioannes Chryſoſt.in eos,qui in Eccleſia non Deum, ſed mulierum venuſtatem attendunt. Lupunar ne, ait, tibi videtur Eccleſia, & foro ipſo deſpicabilior? Prælati, & Epiſcopi, qui indignos ad ſacerdotia, & eccleſiaſticas dignitates deligunt,& his,qui ſcientia, atque vitæ integritate fulgent (quibus ſolis debētur) adimūt:nónne fures ſunt & latrones? Quod ſi non ſunt, cur igitur docent Theologi huiuſmodi theocapelos, hoc eſt, rerum ſacrarum nundinatores reſtitutioni eſſe obnoxios? Veſtrum eſt(ô miſeri Simoniſtę) templum precatoribus, & eruditis prædicatoribus implere, & latrones,fureſque inducitis. Nam ſi Epiſcopus, aut alter Eccleſiæ pręfectus, pretio, aut munere, miniſtrum Eccleſiæ conſtituat, hic miniſter(quod à patrono didicit) etiam precio miniſteria Eccleſiæ exercebit. Cùm autem Eccleſia habuerit præfectos, qui nummos non quærant, qui lucrum non ſuſpiciant,ſed deſpiciant, habebit & miniſtros conſimiles. Non ſic inflectere ſenſus humanos edicta valent, quàm vita regentis.Iuſtinus iunior Imperator, præſulatus omnes, & ſacerdotia venalia habuit. Auctor eſt Nicephorus. Legimus regnāte Hieroboam,ita precio,&,nummis,omnia fuiſſe venalia, vt quicunque eius impleſſet manum, mox ſacerdos fieret.Erat igitur,vt Iuſtinus Imperator, ita iſte quoque Hieroboam,ſacrilegus & latro: Deinde omnes,qui ſacerdotij prętextu,& ſub vmbraculo ſacrificiorum, tanquam ſub opaca ſpelunca, cupiditatem, & auaritiem occultant,quæ tamē aliquando in lucem protrahetur,

Chryſ.ho. de Eccleſ. non contemnenda.

Claudia.de conſulatu Honorij

Niceph.li. 17.

3.Reg. 13.

trahetur. Huiuſmodi certè homines dum nundinationes, Simoniam, & cupiditatem ſectantur, domum Dei, in ſpecum latronum vertunt. At Dominus Ieſus abuſibus templi flagellatis, & profligatis, *Erat docens quotidie in templo.* Nunquam enim doctrina ſacra, aut purius fluit, aut bibitur auidius, quàm ſublatis templi vitijs, & craſsis ſuperſtitionibus. Quotidie autem docet, nam quotidie tanquam teneras paradiſi plantas, Euangelico verbo nos rigari neceſſum eſt: niſi velimus in domo Dei exareſcere, & inutiles fieri ſtirpes. Non eſt templum Domini idcirco conſtructũ, vt mammonæ ibi ſeruiatur: ſed vt ſit domus cõcionib' precibus, & diuino cultui ſacra, id quod Chriſtus & verbo, & exẽplo nobis tradidit. Breuiter verò Eccleſiæ Catholicę proceres, ad Canoné xi. ante ſeſs. ſeptimã reſpicere cupiam, & ad illum, ritus omnes, moreſque componere. Is talis eſt: Ab eccleſijs, Epiſcopi, muſicas, vbi organo, vel cãtu aliquid laſciuum admiſcetur, ſæculares actiones, prophana colloquia, deambulatiões, ſtrepitus, clamoreſque arceant, vt domus Dei, verè domus Dei dici poſsit. Nundinator, & latro fuit olim Paulus Samoſatenus hæreſiarcha, qui pſalmos, qui in Dominũ Ieſum ordinati erãt, in templis ceſſare iuſsit, & in ſe cõpoſitos (ô infœlix glorię inanis mancipium) cani voluit: imò & in ipſo die Paſchæ, mulieres, quas ipſe ad cantandum de more inſtituerat, in templo pſallebant, vſque adeo, vt horreſceret, ſi quis audìſſet. Prodidit id ſcripto Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticę c. 25. Sed quid hoc fuit aliud, quã de domo Do-

Concilium Trident.

mini

mini facere luſtra petulãtium muliercularum?

DOMINICA VNDECIMA Post Trinitatis Evangelivm

Lucæ cap. 18.

D Ixit I E S V S ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam.

Si quod aliud Euangelium eſt, per totius anni ſpacium, quod humanam contundat ſuperbiã, ac faſtum deponere doceat: niſi iſtud ſit, nullum eſt. Quid enim eſt ſuperbia aliud, quã tumor ac inflatio quędã hominis interioris, viſum animę ſpirituale impediens? Vnde Auguſtin. Tumore *Au. li. cõf.*
nimio Domine, ſeparabar à te, & nimis inflata facies, claudebat oculos meos. Superbia mõs eſt, radios veri ſolis, à corde hominis impediẽs. Hic ille mons eſt, in quo Angelus clarior ſyderibus, *Bern. ſer.*
obtenebratus eſt. Mõs profectò, in quẽ Angelus *4. de Aſc.*
aſſcendens, Diabolus factus eſt. Optimè igitur *Domini*
Gregor. Tantò ſunt à Dei luce longiores, quãtò *Grego. 32.*
apud ſe, homines humiles nõ ſunt. Duplici nomi *Mora. c. 8.*
ne peccabãt phariſæi: prius, quòd nihil nõ ſibi tribuebant, deinde reliquos habuerunt præ ſe contẽptui. Et quidẽ ſi intimius rem perſpicias, deprehendes, hunc proximi contemptum, oriri ex temeraria, propriæ iuſtitiæ, confidentia. Cùm potius, qui modeſtè iuſtos ſe eſſe cõfidũt, omnia ſua, Deo aſſcribant, ſeque vix ſtipulam aut puluerem eſſe & ſentiunt, ac dicunt. Quin & alios magni faciunt, ſeque multò gratia diuina digniores eſſe, profitentur: tantum abeſt,

vt cæteros præ ſe contemnant. Imò ſi quem labi viderint, grauiter dolent, ac commiſerantur. Vnde rectè Diuus Greg. homilia 34. ſuper Euang. Vera (inquit) miſericordia compaſsionem habet, falſa dedignationem. Deterret nos à proximi contemptu, Eſaias propheta, dum & nos viciſsim ſpernendos indicat, ſi ſpernamus fratrem. Væ (inquit) qui ſpernis: nónne & ipſe ſperneris? Sed quare ſpernis fratrem, cùm eodem ſitis precio redempti, & à Diaboli ſeruitute, aſſerti in libertatem Euangelicam?

At dices: Ego illo longè nobilior, & maiorum imaginibus clarus: Nónne omnium noſtrum, terreus, & luteus pater, Adamus eſt? Quin & vos quoque, in lutum, & puluerem, reuertemini. Quòd ſi altius, & ſublimius extendas originem, & luteus, vertice cœlum petas, Deúmque ipſum attingas, ſed pater ille, tibi cum fratre communis eſt. Tam enim illi, quàm tibi dicere licet: Pater noſter, qui es in cœlis. Sed pauper (inquies) eſt. Quomodo pauper, qui angelos habet miniſtros? Atqui, plura (ais) habeo à Deo mihi data munera: eloquentiam, ſcientiam, ingenij acumen &c. Sed quid habes (obſecro) quod non accepiſti? Abeat itaque, & longè à nobis arceatur iſte contemptus, iſtúdque faſtidium proximi. Quod ſi fratrem ſpernere, & vilem habere pergas, omnino futurum eſt, vt & Deum tandem, ſpreta eius imagine, contemnere diſcas. Quid? Nónne iſtuc apertè docent ſacræ literæ? Contempſit Caim fratrem, vſque adeo, vt illum trucidaret, & ſtrauit adoleſcentem pijſsimum, & caſtiſsimum (ait enim Suidas)

1. Cor. 4.

Suidas) Abelem fuiſſe virginem. Neque hîc *Suidas*
conſtitit,aut hîc ſe continuit malitia: ſed imagine extincta, in archetypum, nempe Deum ipſum,ſerebatur, inuehebaturque.Audi(quæſo) quàm contumelioſe Deum alloquitur:Nunquid (ait)ego cuſtos fratris mei ſum? Aliud ecce ex- *Geneſ 4.*
emplum: Iſraëlitę primo Moyſen contempſe- *Num.14.*
runt, mox & Deum ſpernere auſi ſunt.

At roget quiſpiam: Num poſſem ſpernere hominem peccatorem, quem ſcio eſſe flagitioſum, imò & à teneris vnguiculis, veluti cum ſucco materno, malitiam hauſiſſe, ad ſcelera cucurriſſe?Nequaquam ſpernere potes: neſcis enim, an ad vitam ſit prædeſtinatus: tametſi modò infrugifera, & infœcunda arbor ſit. Nam eo tempore, quo mulier in ciuitate peccatrix fuit, Iudas fuit Apoſtolus, & miracula *Lucæ. 7.*
faciebat, & tamen illa, prædeſtinata fuit ad vitam, & Iudas præſcitus ad mortẽ, & quidem æternam. Pulchrè Boëtius: Hoc quod tu iuſtiſ- *Boetius*
ſimum, & æquiſsimum putas, omnia ſcienti prouidentiæ, diuerſum videntur. Nonne homo interdum vnico contritionis & pœnitentiæ cogitatu, fit bonus & iuſtus, ſicut vnico malitiæ deſtinato cogitatu, efficitur impius & iniuſtus? Quin & Iob ait, hominem nunquam in eodem ſtatu permanere. Quando *Iob. 14.*
conſpicis fluuium rapidum, vix potes dicere: hæc aqua iam hîc eſt: quia interea, dum id ais, præterlabitur. Momento igitur vno,fit quiſpiã ex pio impius, & contrà, ex impio, pius.

Duo igitur homines, aſſcendebant in templum, vt orarent, vnus phariſæus, & alter publicanus.

Phariſæus & publicanus, par ſanè diſpar. Vterque tamen Eccleſiam petit. Ibant multæ virgines ad curiam Aſſueri, omnes oleo vngebantur, omnes exornabantur, ſed non omnes placuerunt: Eſther verò & menſæ regali adhibebatur, & vna præ omnibus electa eſt. Ita non omnes placent, qui templum precationis ergo conſcendunt: Neque etiam omnes, quæ poſtulant, impetrant. Deſiderat D. Paulus puras manus leuari, ſine ira & diſceptatione: quod Phariſæus hic minimè obſeruauit. D. Anſelmus non vult precatorem, cùm manus in cœlum ad Deum protendit, recordari iniuriæ ſibi irrogatæ; ſed omnem ex animo, aut ſtomacho, exſpuere iracundiam & bilem. Huc quadrare poſsit, quod (ſermone de oratione) habet Baſilius: Si quis, inquit, roget regem, leuans manus ſanguineas, & cæde filij eius conſperſas, commaculataſque: nunquid exaudietur? Sic qui in diſceptatione orat, & ferens, fouenſque ſimultatem. *Aſcenderunt in templum, vt orarent.*

1. Timo. 2. *Anſel. in priorem ad Timot.* *Baſilius magn.*

Templũ domus orationis appellatur. Eſaiæ 56. Lucæ 19. Quinetiam Apoſtoli Petrus & Ioannes, acceſſerunt ad templum, ad horam orationis nonam. In foro venditur, & emitur: in ludo literario, docetur & diſcitur: in ſtadio & circo curritur: in templo oratur. Si res prophanæ locum deſiderant peculiarem, quæ inuidia eſt, precationi rei ſanctiſsimæ, peculiarem negare locũ? Locus peculiaris eſt, quo laueris, concretaſque ſordes eluas, quapropter numerato precio balneum publicum accedis: cur igitur peccator iam peccandi libidi-

Mat. 21. *Luce. 19.* *Act. 3.*

libidinem exuens, non habeat domum peculiarem, vbi vitiorum maculas diluat? Nolo tamen negare, quin & alibi, preces & vtiliter, & piè, fundi queant: cùm Paulus admittat omnem locum, & Daniel in ſpecu leonum: Tres pueri ſeu adoleſcentes, in fornace: Ionas, in balenæ ſtomacho: Elias, & Elyzeus, in monte: Chananæa & leproſus, extra domos, orauerint: ſed hoc ſolùm oſtendere volo, templa huic rei peculiariter, quanquam non vni eſſe conſecrata & dicata, vt varijs id locis, tum veteris, tum noui teſtamenti libri commonſtrant. Sed de oratione fuſa in templo, aliquando (ſpero) fuſius.

1. Tim. 2. *Daniel 3. & 6.* *Ionæ. 2.* *Math. 8.*

Phariſæus autem ſtans, apud ſe orabat.

Erat is mos, apud Iudæos, receptiſsimus (nam & publicanus ita quoque oraſſe hîc legitur) Neque hic orandi modus, mox abolitus fuit, perſeuerauit enim vſque ad tempora Tertulliani, & diutius. Sic enim ille ſcribit, libello quodam: Die dominico, ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate, à die Paſchæ, in Penteċoſten vſque, gaudemus. Quòd autem eo tempore ſtabant, propter communem totius Eccleſiæ lætitiam, & reſurrectionis tempus, olim faciebant: Sed hic ritus modò exoleuit, niſi quòd ſacerdotes, preces horarias, in templis, vna canentes, ſtare ſoleant: prophani verò genua curuant: qui mos nunc eſt receptiſsimus apud Chriſtianos. Inde caput 37. Concilij Turonenſis tempore Caroli Mag. in Gallia celebrati, Vbi ſic legitur: Sciendum eſt, quod exceptis

Tertul. li. de corona militis. *Die Domi. qui erat eis poſtridie ſabbati ieiunabant Iudæi.* *Conc. Tur.*

diebus Dominicis, & illis ſolennitatibus, quibus & vniuerſalis Eccleſia, ob reſurrectionis Dominicæ recordationẽ, ſolet ſtãdo orare, fixis in terram genibus, ſuppliciter Dei clementiam nobis profuturam, noſtrorumque criminum indulgentiam, depoſcendum eſt. Cuius rei, nobis Dominus in Euangelio dedit exemplũ.
Math. 26. Sed & Stephanum martyrem, & Apoſtolum
Act. 7.
Act. 10. Paulum, eadem feciſſe, liber Actorum Apoſtolorum, teſtis eſt. Ex quibus intelligi datur, oportere Chriſtianum humiliter ad terram proſterni, ne fortè illi dicatur: Quid ſuperbis,
Eccl. 10. terra & cinis? Vides (Lector) retundendi tumoris noſtri gratia, hunc canonem, à patribus editum? Sic plæręque Eccleſiæ cęremoniæ, modeſtiam docent, & veluti inculcant, vt illa quam quotidie per Quadrageſimalis ieiunij tempus, in vſu habemus. Clamat enim diaconus: *Flectamus genua*: & confeſtim, non prophani ſolum, ſed & ſacri homines, ac ſacerdotes, genua inflectunt, ſupplices diuinam
VValafridus Stra. clementiam inuocantes. Walafridus Strabo, lib. de rebus Eccleſiaſticis, cap. 25. cùm de genuflectione Eccleſiaſtica ageret, exemplum
Daniel. 6. prophetæ Danielis affert, qui ter in die genua flexiſſe, in ſuis precibus, conſueuit: quod nequaquam abſque ratione feciſſe (inquit) cre-
3. Reg. 8. dendum eſt. Sed in teſtamento veteri, Solomon in templo, recens à ſe ædificato, precaturus, in genua procidit. In nouo verò, habe-
Math. 18. mus ſanctum illum leproſum, quem in genua procubuiſſe, Euangelium refert. Apoſtoli Bartholomæi pietas commendatur, quod centies in die,

in die, & totidem in nocte, genua humi fixerit. Strabo verò noſter, mirificè laudat Scotos, quos etiam intempeſta nocte, ſurgere ſcribit, atque in genua procumbere. Quidni flectamus illi genua, de quo ait Eſaias: Mihi curuabitur omne genu? Quodſi geniculationis cæremonia ſublata eſt, quid ſibi voluit Paulus, dum præcipit, vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur? Porro nunc operæ fuerit precium audire, quid orauerit phariſæus: *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum, ſicut cæteri hominum.* *Eſaie. 45.* *Phil. 2.*

De geniculatione iam multa diximus, & multo plura dici poſſunt, ſed vnum duntaxat dictis addere, viſum eſt. Iuſtinus igitur martyr, in quæſtionibus ad ortodoxos, interrogat: an magis Deo commendet orantes genu flectere in precibus, quàm ſtantes orare, præſertim cùm hæc adiaphora videantur, & nunc bona, nunc mala ſint, iuxta quod à bona voluntate, vel à mala radice, proficiſcantur. Quærit etiam cur diebus Dominicis, & à Paſcha vſque ad Pentecoſten, genu non flectant orantes. Itaque ſic reſpondet: Quoniam vtrumque nobis ſemper recordandum eſt, videlicet, & caſus noſter in peccatis, & gratia Chriſti noſtri, per quam ex caſu ſurreximus: propterea noſtra ſex dierum genuflexio, ſignum eſt, noſtri in peccatis caſus. Quod autem die dominico non flectimus, ſignum eſt reſurrectionis, per quam, Chriſti beneficio, & à peccatis, & à peccatorum morte, liberati ſumus. Sumpſit autem exordium hæc conſuetudo, ab Apoſtolicis temporibus (vt ait beatus Irenæus martyr) *Iuſt. quæſt 115.* *Irenæus Lugdun. ſer. de Paſ.*

Vides ne (ſtudioſe Lector) & Concilium Turonenſe Iuſtino,& Iuſtinum Concilio, eſſe cōſentaneum? *Non ſum ſicut cæteri hominum.* Quid? hócne eſt orare, an potius ſe iactare? O ſupercilium Phariſaicum, ô incollerabilem philautiam. Lingua quo vadis? Si non es ſicut cęteri hominum, igitur relicta terra, quæ planè inops bonorum, hoc eſt, tui ſimilium eſt, ſuper aſtra conſcende, vt inter angelos fulgeas, quemadmodum ſol inter minora ſydera.
Prou. 27. Laudet te os alienum (ait Solomon)& non proprium. Philauti iſti, volunt ſe omnium eſſe primos, nec ſunt. Iſti Phariſæi non peccant, non hallucinantur aliquando, perpetuò virent, & vigent, perpetuò puri & incorrupti, Deum loquuntur, Deum cogitant, ſecundum Deum operantur: Atqui hæc omnia foris promittunt,& oſtentant: quòd ſi ad lucem eos protrahas, nihil ſunt minus, quàm quod videntur,fucoque, & gypſo, veluti incruſtati parietes,ſimplicibus imponunt. Sed quomodo iſte oraſſe dicitur,qui nihil petijt? Deo ſolùm gratias egit.Dicendum igitur, quod in ſacra ſcriptura,orare nonnunquam generaliter accipiatur, vt includat in ſe gratiarum actionem,& ſit idē, quod cum Deo colloqui.Sic Anna Samuelis mater, oraſſe legitur, cùm canticum illud, in Dei laudem concineret, quod tamen nullas continet preces,ſed Domini tantum laudem,& prędicationem. Aut fortè Dominus ironicè hic locutus eſt, eum dicens oraſſe, quaſi dicat: Videte quæ orauit, qui cùm aſcenderet, vt oraret, nihil à Deo petijt, ſed ſe ipſum tantum

tum laudauit, proprialque virtutes, quia caruit encomiaſte, ipſe plenis tibijs ebuccinauit. Sic videtur intellexiſſe D. Auguſtinus, dum ita ſcribit: Quid rogauerit Deum, quere in verbis eius, & nihil inuenies: aſſcendit orare, noluit Deum rogare, ſed ſe laudare.

Raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Sed non ſatisfactum tumido pharisæi ſtomacho, niſi & aliorum hominum lapſus in lucem protrahat, & ſuggillet, imò & Deo nota faciat: perinde ac ſi Deus non noſſet publicanum illum, quem veluti digito oſtendit. Velut, ait, hic publicanus. Ecce deſcēdit à ſpecie, ad indiuiduum. Si vel guttam ſynceri, & fraterni candoris habuiſſet, miſericordia commotus, pro miſero, apud Deum, interceſsiſſet. Stabat miſer publicanus, tam anxius animi, tam trepidus, cùm ſibi malè eſſet conſcius, vt vereretur, ne cœlum ſibi, ob ſceleratam vitam, fulmen, ac fulgur omne in caput deuolueret.

At phariſæus, cùm meritò debuiſſet tam afflicti, & ſupplicis, cuius oculi in lachrymis natabant, cuius pectus crebra manuum tunſione liuebat, miſereri, iniquiſsimo, & duriſsimo mordebat illum calculo, nec ſolum odioſe vellicauit, & contempſit, ſed quicquid eſſet hominum, alios prædones, alios iniuſtos, alios adulteros eſſe aſſeuerabat. Exiſtimabat Philautus iſte, ſe his vitijs non eſſe affinē, quod ab hominibus non reprehendebatur: quòd ſi quis pectoris eius tectoria, ſeu cortinas reuoluiſſet, tanquam in ſepulchro dealbato,

omnia auaritiæ, iniuſtitiæ, rapinæ, adulterijque plena reperiſſet. Raptores, alienas facultates, apertè, ac intentata vi, tanquam reti ſpacioſo, concludebant: at iſte tanquam doloſo, & mellea eſca, operto hamo, lucrum ſibi faciebat. Verum ſiue vi, ſiue dolo, proximi ſubſtantiam minuis, iniuſtus es. Propalam quidem non fuit adulter, ſed non effugiebat, quod Chriſtus adulterium appellat: quicunque viderit mulierem, ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. *Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.*

Math. 5.

Ecce, primo confirmat ſe non eſſe adulterum. Ego(inquit)carnē emacero,ne luxuriet:auęnam ac lætius pabulum, equo adimo,ne ferociat,ac omnibus adhinniat.Ieiunium cùm vētrem,ſtomachumque exinaniat,ſtringit libidinem.Obeſulorum, ac quotidie cuticulam curantium hic ludus eſt: at ego inedia, & parſimonia palleo, tantum abeſt, vt adulterium committere aut velim,aut poſſim.Nôrūt & ſcriptores prophani, tritum illud:*Sine Cerere, & Baccho, friget Venus.* Deinde quod attinet ad iniuſtitiam, & rapinā, quî (quæſo) veriſimile eſt, me alicuius fortunas, aut rapere, aut interuertere velle, cùm decimam dem rerum omnium partem? Dant alij quarundam, ego verò ne ſim ſicut cæteri, omnium lubenter præbeo decimam. Quo pacto igitur aliena rapiam, qui propria diuidam? His virtutibus, quibus, ſi quis inter mortales alius, egregiè ſplendeo, cœlum debetur. Hæ virtutes, abſtinentia videlicet & beneficentia alæ quædam ſunt, quibus nixa

precatio

precatio mea, recta in cœlum ſubuolat. Cur non igitur confidenter his fretus, hoc in tem- plo, preces fundam? Quid? Nonne orationis anima, ieiunium eſt? Profecto his alis, meæ preces, ad Deum conſcendent, non aliter atque Helias, ignea olim quadriga, nubes penetra- uit. Vides (Lector) quantum ſibi tribuit, quám- que criſtam erexit precator iſte. Sic & ſenior ille filius, patri obijcit, ſe nunquam eius præ- ceptum violaſſe, filio interim natu minore, patris genua ſupplici voce, & curuatis geni- bus, manibuſque complectēte. Sed valeat ſuper- ciliosſus iſte, ac nihil non ſibi arrogans preca- tor, iam eius ſuperbiæ ſaturi ſumus: Potius erit modeſti publicani preces audire. Lucæ. 15.

Publicanus autem à longè ſtans, nolebat nec ocu- los ad cœlum leuare, Sed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto &c.

Magis arridet hæc precatio. Ad eum modum, Adami ſemen, ad pedes diuinæ Maieſtatis, ſeſe deijciet, ſi peccatorum nexus ſibi ſolui cupiat. Primo in huius publicani oratione fuit pudor, quod indicatur, quia à longe ſtare voluerit, exemplo nimirum famulorum, qui vbi herum offenderint, non audent propius conſiſtere. Nonne præuaricatorem Luciferum, cum con- iurato grege, longiſsimè offenſus Deus à ſuo conſpectu remouit? Cognouit ſe publicanus longè abijſſe à Deo, in regioně longinquam, & peregrinam, vbi plus ſiliquarum, & porco- rum reperit, quàm ſalutaris alimoniæ: imò vbi ſub ſignis, & vexillo Sathanæ militauerat. Per prophetam quoque ait Dominus: Longè à Pſal. 119.

peccatoribus ſalus. Tantæ verò fuit modeſtię, tantæ verecundiæ, vt etiam extra templum ſe proripere voluiſſet, niſi eum eò duxiſſet neceſsitas. Receptum enim erat Iudæis, ſtatis diebus quibuſdam, in templo precari.
Nolebat nec oculos ad cœlum leuare. Cenſebat nimirum oculos ſuos indigniores, quàm quibus ſolem, lunam, aut ſydera, clariſsima cœli lumina, cùm obſcurus & præuaricator, & caliginis amator eſſet, contueri poſſet. Maluerunt enim oculi eius, dum in peccatis verſaretur, terrena quàm cœleſtia videre. Et quidem mos erat Iudæis, in precibus, oculos ad
Io. 17. et 11 Deū intendere. Sic precatus eſt Chriſtus: Dauid
Pſal. 122. canit: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis: Et Hier. Leuemus corda noſtra cum ma-
Thren. 3. nibus, ad Dominum in cœlo. Sed pudor arcebat illum, ne morem communem, cœlum intuendo, imitaretur. Cogitabat ſecum, conſpiciant, totiſque oculis cœlum hauriant, cœli hæredes, hominesque virtutibus dediti, quibus clariſsimus ille locus in præmium dabitur: at qua fronte ego illud intuebor, qui in terrenis fecibus, totus ſum demerſus? Inferno digna commiſi, & cœlum videbo? Neque mos hic aſpiciēdi cœlos, Iudęis ſolúm, ſed Chriſtianis, imò
Tertul. in Apol. cap. 30. & paganis, fuit ſolenniſsimus. Tertullianus ſcribit in Apologetico: In cœlum ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubeſcimus: denique ſine monitore, quia de pectore oramus. Æneas patrium morem obſeruans, in Creta ſupplices manus, & oculorum aciem, ad cœlos ablegauit.
Imò

Imò & pater eius Anchiſes, oſtento conuictus, quod circa Aſcanium contigit, nocte illa, qua Ilion à Græcis eſt exciſum, Iouem precaturus, oculos & manus ad cœlum extulit:

At pater Anchiſes, oculos ad ſydera lætus
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit: Verg. li. 2. Æneidos.
Iuppiter omnipotens, precibus ſi flecteris vllis,
Aſpice nos.

Nolebat nec oculos. Egone oculos in cœlum ſuſtollam, vbi ſedet offenſa Maieſtas? Qua fronte, quibus oculis, te audeam conſpicere Pater? Peccaui in cœlum, & coram te: & ſicut non ſum dignus vocari filius tuus, ſic neque dignus vocari heres cœli. Non ſum dignus, vt ſol, vel ſydera cœli, vel radiolo me vno dignentur. Imò indignior ſum, quàm quem terra ferat, aut ſuſtineat. Peccata mea, terræ omnis harenas ſuperant. Egone cœlum aſpiciam, vnde merito meo, exulo: in quo, præ ſceleribus meis, nullam partem habeo? Ferant eò alacres oculos iuſti, qui cœlo digna operati, illic perpetuo te laudabunt, & celebrabunt.

Percuſſit pectus ſuum. Id eſt, cor (ait Theophilactus) acſi diceret: Ecce, ego, ego ille ſum, qui peccaui, hic prima mali radix improba, prauáque cogitatio, hic omniũ peccatorũ fons, vnde fluunt iniquitates omnes. Qui arborẽ exſcindere aggreditur, radicẽ impetit, qua euulſa, aut reciſa, corruit lignũ. Cor contritum & humiliatum, Deus non deſpicies. Tunſio pectoris, actio eſt præclara, Deóque gratiſsima, quam animi dolor internus extorquet, & quæ non inter precandum ſolum, ſed etiam inter plangendum,

Theophil.

Pſal. 50.

gendum, lamentandumque fieri olim conſueuit. Voluit igitur noſter publicanus, hac tunſione, oſtendere, omne peccatum ſuum, radices habere in animo. Quæ de corde exeunt, ait Chriſtus, coinquinant hominem.
Matth.15.
Percutiebat pectus ſuum, non alienum, non in alium diriuat culpam, non prætexit cauſam, occaſionem, vel ſuggeſtionem Sathanicam, ſed ſemetipſum incuſat, ſuum pectus contundit, vt qui, ſi noluiſſet, nullo modo peccaſſet.
Plurimos hodie inuenias, qui pectus percutere nolunt, ſed nunc Deum, nunc Sathanam, nunc aſtra, nunc alios accuſant homines, quaſi luere hi debeant, quod illi peccauerunt. Certè melius ille, qui cùm homicidio iunxiſſet adulterium, exclamat: Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum, contra me eſt ſemper. Sed cum tunſione pectoris, quid publicanus dixerit, audiamus. *Deus propitius eſto mihi peccatori.*
Pſal. 50.
Audiuimus phariſæi ampulloſa & ſeſquipedalia verba, ſed noſtri publicani, plus habent, & efficatiæ, & ſimplicitatis. In phariſæi prece præter fucum, nihil habes: hîc verò, vera eſt cordis compunctio. Ah quàm lancinant, quàm mordent iſtum, ſua crimina. Tali contritione opus eſt, ijs qui veniam à Deo impetrare cupiunt. Præceſsit cordis contritio, hîc eſt oris confeſsio, quæ nihil omnino prodeſt, niſi adſit compunctio. Deus prius cor quærit, & deſiderat, quod vbi illi obtuleris, tum placebit confeſsio, alioqui confeſsio ſine contritione,

one, corpus eſt ſine anima. Oratio phariſæi breuis, ſi verba ſpectes: prolixa, ſi ſenſum, quam ob id Dominus proponit, vt ita etiam orare diſcamus. Obſeruandum verò, quod publicanus nihil niſi miſericordiam petat, & talem qua Deo reconcilietur. Nulla prætendit merita, nullas excuſationes, nullas ambages: ſed ingenuè ſe profitetur peccatorem. Propitius eſto mihi. Propitius eſto mihi, quem feciſti: mihi, quem redemiſti: mihi, cui ab æterno paraſti regnum. Nihil habeo quod petam, niſi ſolum veniam: nihil habeo quod offeram, niſi cor ruptum dolore, & pœnitudine: ſacrificium enim Deo, ſpiritus contribulatus. Offero tibi Domine, animam quam emundes. Ecce, in conſpectu medici nunc iaceo, vulnera én retego, preces emitto, præcordia liuent, oculi madent, Deus propitius eſto mihi peccatori. Porro cùm in phariſæo audierimus ſuperbum accuſatorem, in publicano humilem reum, audiamus nunc & iuſtum iudicem. *Dico autem vobis, quia deſcendit hic iuſtificatus ab illo.*

Id eſt, magis quàm ille, hoc eſt, iuſtior quàm phariſæus. Sed Chryſoſtomum audiamus homilia 4. de verbis Eſaiæ: Venerunt duæ naues habentes onus: Ambæ portum ingreſſæ ſunt, ſed publicanus in portum pulchrè appulit, Phariſæus autem naufragium perpeſſus eſt, vt diſceres quantum malum ſit, animi tumor. Abire cum iactura à precibus, à quibus lucrum erat ſperandum, quid aliud eſt, quàm in portu naufragium facere. Orauerunt duo, ſed vter iuſtificatus, phariſæus ne an publicanus? iuſtus an pec-

Chryſ. ho. 4. de verbis Eſaiæ.

1. Petri 5. an peccator? Vtique peccator. O iuſtum iudicem, ô incorruptum cenſorem. Hîc experimur eſſe veriſsimú (quod D. Petrus ait) Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Sed finge mihi (ait Ioannes Chryſoſtomus) animo, bigam duplicem: quarum ſub altera virtus eſt iuncta cum ſuperbia, ſub altera peccatum cum humilitate. Videbis bigam illam peccati, virtute humilitatis facile anteire, palmamq́ue decurſionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, ſed coniugatę humilitatis facultate. Vt enim humilitas præ ſumma ſua excellentia, peccati ſuperat pondus, in cœlum peruenit, ſic ſuperbia, præ nimio pondere, ac intolerabili onere ſuæ molis, præualet adeo, vt læuiſsimam illam ſupernam virtutem vincat, deorſumq́ue facile detrahat &c. Vide apud Chryſoſtomum, qui alteram bigam Phariſæi, alteram publicani eſſe ait. *Omnis enim qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Videtis auditores, quantum Deo, ſuperiſq́ue omnibus, animi modeſtia ſeu humilitas placeat, quãtum verò contra, diſpliceat ſuperbia, ac arrogantia. Per virtutes ac bona opera, clauditur ciuitas, ſed per ſuperbiam Diabolus irrumpit, & tum eo irrumpente, ciuitas expugnata, & perdita eſt, & confeſtim ſequetur fœda omnium vaſtitas. O quot tum labores (ait Diuus Gregorius) vno vitio percuſsi pereunt? Præclarum erat in prælio quodam Eleazari facinus, qui gladio per conſertiſsimos hoſtes perrumpens, inſignem elephantem, ferro in ventrem eius impacto, proſtrauit, ſed illud tam inſigne

Chry. de incomprehẽſibili Dei natu. ho. 5.

1. Mach. 6.

inſigne facinus, fœdauit, ac facti gloriam detriuit, quòd à cadente belua, victor audax oppreſſus eſt. Plurimas & præclaras quidam virtutes habent, ſed dum inde ſibi inanem venantur gloriam, ſuiſque tribuunt viribus, quod merę gratiæ eſt, quas videntur poſsidere virtutes, perdunt. Beatus Antonius, ab abbate rogatus, quid ſibi faciendum ſuaderet, reſpondit: ne fiduciam in tuis iuſtificationibus habeas. Sed apertum nobis precandi exemplum, vir ille deſideriorum Daniel, ob oculos conſtituit: Non in iuſtificationibus noſtris Domine, proſternimus preces, ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis &c. *Daniel. 9.*

Annotatiuncula Prima.

Duo homines aſſcenderunt in templum, vt orarent. *His duobus precatoribus euenit quod Caim, & Abeli. Phariſæus orationis incenſum offert: ſed odor eius non aſcendit. Dona gratiarum, veluti vnguenta ſua, recenſet. Quid hoc eſt aliud, quàm incenſum ſuum, ſuper ſulphur fetidum reponere? Sic ad oblationem Caim reſpicere noluit Deus. Publicanus incenſum precum ſuarum, ſuper humilitatis viuas prunas fundit, & odor, ſicut Abelis victima, nubes penetrat, & Deum ad reſpiciendum inclinat.* *Geneſ. 4.*

Secvnda.

Stans apud ſe orabat. *Bene apud ſe oraſſe dicitur: quia non orabat apud Deum, qui eius orationem non audiuit.*

Tertia.

Ieiuno bis in ſabbato. *Hoc eſt bis in hebdomada*

Sic

Sic enim Hebræi hebdomadam appellant, à præcipuo videlicet eius die. Ieiunabant autem Iudæi (ſi Theophilacto fidem habemus) feriarum ſecunda, & quinta.

QVARTA.

Phraſis Flandrica. ſtaet my by Heere cōpt my by Heere

Propitius eſto mihi. *Græca dictio eſt ἱλάσθητι. Hoc eſt: placatus eſto. Id certe & Latina dictio optimè exprimit: Eſto propitius, quaſi propeiens. Cui dictioni Latinæ, bene conuenit, quod publicanus à longe ſteterit, Acſi diceret: ego tibi, ob ſcelera, propinquus ſtare non audeo, tu, quæ tua eſt benignitas, prope me veni.*

QVINTA.

Miretur quis cum Theophilacto, cur phariſæus, cum pauca verba propriæ laudis pronunciauerit, condempnatur. Iob vero in Veteri, Paulus in nouo teſtamentis, magnifice de ſe prædicantes, coronentur. Reſponderi poteſt, quia phariſæus nullo cogente, nullàque neceſsitate, talia nugatur, alioſque condemnat. Iob vero, prementibus ſe amicis, & grauius incumbentibus, quàm calamitas ipſa, compulſus eſt, recenſere ſua opera, propter gloriam Dei, ne ſcilicet homines à recto virtutum curſu exciderent. Idem dicendum de Paulo. Sic Dauid, fratribus de-
1. Reg. 17. *primentibus ſe, ait: ego ſeruus tuus (ô rex) occidi leonem & vrſum, acſi dicat: Non te à me ſegregent fratrum contumeliæ, quas mihi irrogant, ſi enim leonem, ope Numinis fretus, peremi, cur non & formidabilem hunc gigantem ſi permittas, cōficere queam 1. Reg. cap. 17.*

DOMI-

DOMINICA DVODECIMA
Poſt Trinitatis Euangelivm

Marci cap.vij.

EXiens Ieſus de Finibus Tyri, venit per Sydonem, ad mare Galileæ, inter medios fines Decapoleos.

Dominica ſecunda, audiuimus Dominum Ieſum, relicta Iudæa, in Phæniciam tetendiſſe, atque circa fines Tyri, & Sidonis obambulaſſe. Quo ſeceſſu, prælufit futuræ gentium vocationi, ne ſemper in eius conſpectu contempti, & viles exiſtimaremur, non aliter atque ſitulæ fluida gutta. Veniet, veniet (ô contumax, ac proterue Iudæe) tempus, quo à vobis auferetur regnum Dei, & dabitur gentibus fructum facientibus. Tempus enim veniet, tua quo ſpoliabitur arbor. Verum quoniam nondum aderat tempus à patre decretum, quo velis, remiſque, ad gentes Euangelium ſe reciperet, atque pronis auribus biberetur, ne anſam faſtidioſis Iudæis calumniandi præberet, noluit diutius apud Phœnices, Tyrios, & Sidonios hærere, ne illum traducerent, quòd commertia, & familiaritatem cum alienigenis, & allophylis iñgeret. Quapropter totum relegit iter, ac proficiſcens rurſus ad mare Galilçæ, ſe finibus Decapoleos inſinuauit. Exigit locus, diſſerere quænam ſit hæc Decapoleos regio. Eſt itaque ampla, ſpatioſaque terra, à decem præcipuis ciuitatibus, id nominis ſortita. Bro-

Brocardus cardus putat, eam fuiſſe cis Iordanem, pro ſe ſtare autumans, Patriarcham quendam Hieroſolymitanum. Sed verba eius audiamus. De regione Decapoleos, Iacobus patriarcha Hieroſolymitanus, ſic ait, in libro quem de terra ſancta conſcripſit.

Regionis Decapoleos fines ſunt, mare Galileæ ab oriente, Sidon magna ab occidente, & hæc eſt latitudo eius: In longitudine verò, incipit à ciuitate Tyberiadis, & vergit per littus maris Aquilonare, vſque in Damaſcum. Dicitur autem Decapolis, à decem ciuitatibus, quarum nomina ſunt hæc: Tyberias, Sephet, Cedes Nephtalim, Aſſor, Cæſarea Philippi, Capharnaũ, Iouitera, Bethſaida, Coroſaim, Bethſan, hęc poſtrema ciuitas, etiam Scytopolis appellatur. Hæc ille. D. verò Hieronymus, ſcribit hanc regionem fuiſſe trans Iordanem, circa *Hier. li. de locis Heb.* Hippam, & Pellen, & Gadaran. Cui conſonat quod de regione eadem, tradit Plinius. *Plin. li. 5. cap. 18.* Verum de topographia hîc nolumus cuiquam litem mouere, aut alicuius iurare in verba magiſtri. Neque enim refert, an cis, an citra Iordanem, hæc regio ſita ſit. Vero autem ſimile eſt, partim fuiſſe vltra, partim cis Iordanem. Huc igitur vbi Dominus veniſſet, adducunt ei miſerabile ſpectaculũ, hominẽ ſurdum & mutum: ſic enim ait Marcus. *Adducunt ei ſurdum & mutum.* Mutus ſit oportet, qui natura ſurdus eſt. Quî enim eloqui poteris, aut referre, quod prius auribus non exceperis? Sed miſerabilius ſurdus eſt, cui non ſunt aures idoneæ, ad hauriẽdum verbum Dei:

peius

peius mutus eſt, qui non habet linguam, ad confeſsionem laudis diuinæ, ac propriæ turpitudinis. Per auditum fidei, ſalutis eſt initium, per oris confeſsionem, ſalutis eſt perfectio. Obſurduit mundus (ait Beda) quãdo audiendo verba mortifera ſerpentis, contra Deum tumidus fuit. Mutus autem effectus eſt, quando cum eodem viroſo colubro, colloquium miſcuit. Et quod in radice vitioſum fuit miro contagio, multo fuit vitioſius in radice. Proinde Deus venit in mundum, vt hos defectus, homini adimeret. Ingens enim fuit incommodum, & exitiabilis prurigo, primæ tranſgreſsionis, poſteris agnata, nec Deũ præcipientẽ audire, nec pro beneficijs accumulatis, gratias agere: imo nec hos defectus ingenuè profiteri, aut agnoſcere velle. Cæterũ huius miſeri hominis ſurditas, nõ natura illi accidit, ſed quod ex alijs Euangeliſtis apparet, noſtri generis iuratiſsimus hoſtis Sathan, vtrumque malum, videlicet ſurditatem et difficultatem loquendi, conciliauit. Erat enim dæmoniacus. At quare, inquies, ipſe æger non acceſsit medicum: cùm oculi, pedeſque illi non deeſſent? Sed quid faceret homo penè elinguis, quo pacto ſalutem poſtularet, ac calamitatem narraret? Deinde ſi narraſſet, quomodo conſiliũ, ac præcepta medici audire potuiſſet? Sed vſus eſt opera vicaria, ſuccurruntque miſero, qui linguam, aureſque ad audiendum, habebant, quemadmodum olim Iob mouente charitate, *Iob 29.*
pes fuit claudo, & oculus cæco. Quin & Paulus factus eſt omnibus omnia, vt omnes lucrifaceret. Hic rectus dilectionis ordo eſt, vt ſi dolcat *1. Cor. ca. 9* *1. Co. ca. 12*

vnum membrum, condoleant cætera omnia. Mutus igitur eſt, quicunque Deum vel orare, vel laudare negligit, etiam ſi ſit in iurgando, maledicendo, ac blaſphemando bene vocalis. Legimus pſalmo 31. Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die. Mira ſententia, vt idem & tacuerit, & clamauerit, tota die. Sed tacuit crimina ſua, quæ poterat verè clamare: & clamauit merita ſua, quæ verè potuit tacere. Tacuit crimina, vt celaret: & clamauit merita ſua, vt iactaret. Tacuit vnde proficeret, & clamauit vnde deficeret. Qui medico tacet vulnera ſua, non ſanatur, ſed putredo, & ſanies, ſub cute collecta, dolorem gignunt, & tandem extinguunt hominem. Quin & ſero medicina paratur, cùm mala per longas conualuêre moras. Certè Phariſæus ille tacuit, dum clamaret, qui proximo Euangelio Lucæ 18. commemorabat merita ſua, & texit, occultauitque crimina. Vnde mutus venit ad templum, & mutus deceſsit, neque curatus eſt. Sed multò prudentior Publicanus, qui merita ſua tacuit, & peccata clamauit: quapropter à medico curatus eſt. Si igitur inciderimus in aliquem (mutum) qui nec proprias maculas prodere vult, & Dei laudem vel nunquam, vel raro canit, adducamus ad Chriſtum medicum, vt impoſita manu, curet ægrum. Surdi autem ſunt, qui nec Dei verbum audire, nec ſana ſuadentibus auſcultare volunt. Surdi ſunt, de quibus Dominus: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea non auditis, quia ex Deo non

eſtis

Pſal. 31. *Innocent. pontif. in ſeptê. pſal.* *Lucæ 18.* *Ioan. 8.*

eſtis. De illis & pſalmiſta. Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, *Pſal. 57.* & obſerantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter. *Auguſti.* Marſi incantant aſpides, vt educant de tenebroſa cauerna, in lucem: Aſpis verò amando tenebras ſuas, quibus ſe inuoluta occultare dicitur, recuſat audire voces illas quibus ſe cogi ſentit, quapropter allidit vnam aurem terræ, & cauda obturat alteram, atque ita voces illas, quantum poteſt euitans, non exit ad incantantem. Huic ſerpenti ſimiles, dixit ſpiritus Dei, quoſdam non audientes verbum Dei. Stephanus martyr, prędicabat veritatem, & tanquam tenebroſas mentes, vt eas in lucem educeret, incantabat. Vbi venit ad commemorationem Chriſti (quem audire nolebant) dicit ſcriptura, quòd clauſerunt aures ſuas. Ecce aſpides ſurdæ, lapidibus duriores, quibus incantatorem ſuum lapidauerunt. *Act. 7.* Officium igitur pręfectorum, & paſtorum Eccleſiæ fuerit, huiuſmodi ſurdos, & mutos, ad Chriſtũ adducere, illumque ſerio atque ex animo rogare, vt eis ſaluificas manus imponat. *Deprecabantur eum, vt ei manum imponat.* Non ſatis eſt, rogare morbo affectos, & ægros, vt ſe adduci ſinant, ad ſanitatem perditã recuperandam: ſed præterea medico quoq; ſupplices eſſe debemus vt ęgros dignetur benignè aſpicere, imo & tangere: *Euſ. Emiſ.* Sanatur enim, quẽ tãgit Ieſus, quia ipſe eſt ſalus, & vita. Non aliunde quærit herbas, ipſe enim medicus eſt, & medicina: tangit & ſanat: reſpicit & medetur. Sed quo modo aut quibus

cæremonijs vſus, medicinam confert.

Apprehendens eum de turba ſeorſum.

Vide quæſo (Lector) quàm facile exoratur Dominus. Nihil dicit, nihil interrogat, ſed benignè, & clementer, hominem dextera admota, ſeducit à ſtrepitu turbarum, ac plura ei præſtat, quàm vel illi qui adduxerant, vel ipſe æger, poſtulare potuiſſent. Sed hic genius, hic mos Chriſti eſt, plus dare quàm petitur. Rogatur ſolùm, manum applicare infirmo, & ſepties plus ex miſericordiæ ſuæ penu elargi-
Rom. 10. tur. Verè diues eſt, in miſericordia, in omnes qui inuocant illum. Quicumque ſanandus eſt, ab Eccleſiæ proceribus, & præfectis: primo à turba abduci eum oportet, imo & à turbulentis actibus, ab inordinatis cogitationibus, & verbis infrugiferis, ſcurrilibuſque: difficile eſt enim recto, & compoſito mentis ſtatu, eum conſiſtere, cui hæc obſtrepunt, quem hæc interpellant. Saluus eſt, quemcunque turbæ eximit, vulgoque ſegregat Chriſtus. Quod ſi quis tumultuoſis implicatus negotijs diuortiũ meditatur, ac veluti in mentis trãquillæ portũ, curſum è circumſonantibus fluctibus molitur, ac laxa voluntatis ſuæ vela, arcano ſpiritus ſancti afflatu, turgida fieri optat, cum Dauide Chriſti opem imploret. Cui mulcere dedit pater, atque attollere ventos, gemat & dicat.
Pſal. 144. Emitte Domine manum tuam de alto, eripe
Exo. 3. & libera me de aquis multis. Moyſes ſeorſum vocatur à Domino, vt videat & audiat ſacra myſteria. Turba enim turbat, & vehementer officit, meditanti vitam Euangelicam.

Medita-

Meditabatur olim B. Auguſtinus, vetuſtam, carnaliter viuendi, conſuetudinem rumpere, ac ſemel voluptati, illecebroſiſque complexibus, libellum repudij ſcribere, ſed veterum fantaſmata vitiorum, quæ antiquas amicas appellat, veluti iniecta manu, concutientes carneam tunicam eius, retinebant.

Miſit autem & digitos in auriculas eius.

Ecce vtramque aurem tangit. Primo ſiniſtram, veluti digito perforat, et configit: vt non nimium doleat homo, in audiendis aduerſis: dexteram verò, vt ſine elatione audiat proſpera. Vtraque enim auris, nobis purganda eſt. Hi digiti, creauerunt os hominis, ac linguæ plectrum, aureſque humano capiti adiunxerunt. Exodi 4. Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt ſurdum, et mutum, nónne ego? Oſtendit hic Chriſtus, ſe huius lutei vaſculi noſtri, & factorem eſſe, & reparatorem, ac plane talem, qui queat ſenſus etiam exteriores læſos corrigere, ac inſtaurare. Poterat miſerum ſolo verbo curare (ait Euſebius) quemadmodum & pleroſque alios curauerat, ſed noluit, deligens ad antidotum corporea membra, quibus ſingularem ineſſe vim, hoc facto monſtrauit. Humanitas enim Chriſti diuinitatis eius inſtrumentum eſt. Quid enim habemus, quod non effluxit ex humanitate Chriſti? Hinc enim eius caro, infixis vulneribus tam latè aperta eſt, vt multa effluerent commoda: neque enim vulnus aliquod habuit, quod non peculiarem ſpiraret medicinam. Non abſurdum omnino eſt, quod Pe-

Exod. 4.

Euſ. Emiſ.

Pet. paludanus in 4. ſenten. diſt. 41. Petrus Paludanus ſcripto prodidit, quòd omnes virtutes planetarum, herbarum, lapidúmque precioſorum, excellenter fuerint in Chriſti humanitate. Neque hoc rationi non conſentaneum: ſi enim opifex rerum Deus, huius mundi membris ac partibus, vim ſanitatis indidit, videlicet aëri, igni, aquæ, tellurique (vt experientia docet quotidiana) cur reparatoris mundi, IESV membra, ſinet eſſe virtute & viribus caſſa? Iam igitur in proximo ſalus eſt, vbi IESVS ſui ſpiritus virtute, qui digitus DEI eſt, dignatur mentis noſtræ aures contingere. Neque ſatis ei fuit, digitos in auriculas inſerere, ſed

Et expuens, tetigit linguam eius.

Aures tetigit, nunc & linguæ operatricem manũ admouet. Prius ſanatur auditus, deinde vſus rectè expediteque loquendi conceditur. Sed quo inſtrumento lingua corrigitur? Saliua Saluatoris, quam propter inhabitantem in membris IESV diuinitatem, appoſitè rorem cœleſtem appellaueris, vel rorem æternæ ſapientiæ, quæ ita afficit linguam huius muti, ita moderatur palatum, vt de rebus ſanius & melius habeat judicium, qui prius palatum humana ſaliua vitiatum habens, peruerſe de ſaporibus, & rebus iudicauit. Vtinam Ieſus ſaliua cæleſtis ſapientiæ, quæ ipſe eſt ex ore Patris altiſsimi prodiens, dignetur animi noſtri linguam contingere, vt ſapiant nobis, ea quæ Dei ſunt. Neque enim abſque hoc humore, fit guſtus, & humana ſaliua vitiata, peruerſum habet iudicium. Hæc ſaliua, non ſolum

ſolùm linguam ſoluit, verumetiam oculos aperit cæci nati, quoties admixta terræ, oculis inungitur: quū ſaliua philoſophorū & Phariſæorum, magis exoculet. Scribit Plinius, ſaliuam hominis medicam eſſe, & præcipuam vim contra ſerpentes habere, cuius illitu quotidiano; & oculorum lippitudo, & lepra corrigitur, præſertim ſi matutina ſit inunctio: & dubitabimus, ſaliuam Chriſti, ad ſanitatem eſſe vtilem? *Suſpiciens igitur in cœlum, ingemuit, & ait: Hepheta, quod eſt: adaperire.* De leuandis in cœlum oculis, ſermone diximus præcedenti. Docet Chriſtus, in morbo, & neceſsitate, surſum nobis eſſe reſpiciendum, atque inde medelam, & antidota, quærenda. Leuaui oculos meos in montes (ait propheta) vnde veniet auxilium mihi. Ingemuit (ait Beda) quia per delectamenta præſentia, à cœleſtibus gaudijs receſsimus, quo nobis per ſuſpiria, & gemitus, indicat eſſe redeundum: Vel ingemuit pater, vt filios id idem facere doceret. Dauid vbi re eſſet afflicta: rugiebam (ait) à gemitu cordis mei. Ingemuit cœleſte gaudium, vt apertè commonſtret, quàm graue ſit hominem reualeſcere, qui neque bona audire, neque loqui poteſt. Ingemiſcant igitur, atque eximo pectorum ſuorum receſſu, parentes, Domini, præfectique ſuſpirent, quoties ſubditos clauſis auribus aduerſus diuina, & humana præcepta, contumaces eſſe conſpiciunt. Potius eſt, ob aliena peccata, ingemiſcere, & miſereri, quàm die, noctuque flagris, verberibus, inſulſis, aſperiſque verbis ſæuire. Ingemit, vt homo: ſed

Plin. lib. 28. ca. 4.

Beda.

morbo imperat, vt Deus. Imperat, inquam, verbo potentiſsimo, per quod facta ſunt omnia. *Hepheta.* Diuus Ambroſius: Operatorium eſt Dei verbum. Neque hoc ignorauit Diabolus, dum ait: Dic vt lapides iſti, panes fiant. Si ex lapide poteſt verbo oris ſui facere panem, cur non queat ex pane efficere carnem? Poſſet hîc meritò quæri, cur Dominus tam ſingulari modo tantiſque ſit vſus cæremonijs in curando ſurdo. Poſſunt potiſsimum duæ aſsignari rationes: Primo, vt oſtẽdat (quod antè diximus) quàm difficilis ſit curatio peccatoris muti, ac cæci. Secundo vt quæ deerant ex parte huius miſeri, & aliorum offerentium, Dominus ſuppleret manuum contactu, gemitu, ac ſuſpectù in cœlum, & applicatione propriæ carnis, & ſputi, tanquam ſancta inſtrumenta adhibendo: inſtrueretque diſcipulos, ſupplere quandoque precibus ardentibus, frequentique gemitu, poſtremo & rerum ſacrarum adhibitione, ea quæ deſunt ex parte aliorum. In hunc igitur vſum, inſtituta ſunt Sacramenta, per quę ſuppleri debet, quod alioqui fidei, & deuotioni hominum deeſt. Aperit hîc ſe campus ampliſsimus, de cæremonijs Sacramenti Baptiſmi, quę ſanè ex hoc Chriſti miraculo deſumptæ, & tranſlatæ ſunt. Nónne ſacerdos perſonam Chriſti ad viuum exprimens, nares, aureſque, ſputo digitis impoſito, contingit, & dicit: *Hepheta*, quod eſt: adaperire? Et optimè quidem hæ cæremoniæ adhibentur baptizando, ex imitatione Chriſti, quoniam in baptiſmate, totum id fit pro ſalute animæ, quod

Amb. li. de Sacramen. tis.
Math. 4.

quod hîc pro corporis curatione factũ legitur. Adducitur enim puer per anodochos, vel ſuſceptores, iam adhuc ſurdus, & mutus, & illi precantur ſacerdotem, vt manum dignetur admouere, vt luſtrali aqua baptiſmatis, renaſci poſsit fœliciter in Chriſto, qui prius miſerè natus eſt ex Adamo, vt ſuo tempore Dei verba, & audiat, & loquatur. Eant nunc aduerſarij, & Eccleſiæ morem, rituſque baptiſmi rideant, cùm ea non tam Eccleſiæ ſint, quàm Chriſti ſponſi eius. Et nunc quiſpiam ſponſæ vitio vertet, quod vtatur cæremonijs ſui ſponſi? Heus, inquiunt, quid opus eſt tantis myſterijs, imo tot, tantiſque externis ſignis? Quid? tu curioſe Mome, ſuperuacanea iudicas, quibus ipſe vſus eſt Chriſtus? Oſtendit Pauli diſcipulus (B. Dyoniſius) Apoſtolorum fuiſſe inſtitutum, vt baptizandi haberent ſuos ſuſceptores, qui Chriſto offerrent, iam aquis luſtralibus admouendum infantem. Et quanquam puer per ętatem loqui neſciat, atque hac in parte muto huic, de quo præſens agit Euangelium, ſimilis ſit, non deſunt tamen, qui pro illo & loquantur, & ſpondeant, ac eius nomine orationem Dominicam, & ſymbolum profiteantur. Vocem autem illam *Effata* (Sic legit Eraſmus) ſtatim ſecuta eſt vis: mox enim.

Dio. ca. vl. Eccl. Hier.

Hoſius in Confeſſ. Polo. ca. 37

Apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.

Hoc eſt, Domini IESV gratia factum eſt, vt is qui ægrè moliebatur loquelam, atque à Diabolo, nexu, & vinculo quodã, præpeditus erat,

modo

modò rectè,& expeditè loqueretur. Prius quidē aliquid ſonabat,ſed non expeditè, ad inſtar balborum: Nam ſupra, pro muto, Græcè eſt μογιλάλον, hoc eſt, eum, qui eſt impeditioris linguæ. Hoc verò hîc animaduertendum eſt, quod ſi homo hic, natura mutus, & ſurdus fuiſſet, etiam ſoluto linguæ nodo, ac vinculo, loqui adhuc non potuiſſet, niſi prius ab aliquo loqui didiciſſet. Quapropter videtur, antequā à Diabolo agitaretur, nequaquam aurium, aut linguæ vitium aliquod habuiſſe, ſed omnino Diaboli inuidia, in hæc incommoda protractus eſt miſer. *Loquebatur recte*. Id eſt, non turbidè, neque adheſè, ſed planè, ac articulatè. Quanto gaudio perfuſus eſt miſer hic Decapolita: Arbitror cariorem, ac gratiorem hanc fuiſſe illi ſanitatem, quàm ſi quiſpiam numeraſſet, aut tranſſcripſiſſet, centum talenta auri. Quis enim dubitet, bona corporis eſſe præſtantiora, quàm ſint bona fortunæ? Iam priſtinæ valetudini redditus, & verbum Dei audire, & illud, vbi neceſſum fuit, alijs annunciare, potuit. Potuit proximi laborantis, ac dolentis gemitus, & querelas audire, potuit conſolari, ac docere. Potuit Deum laudare, & Ieſu nomen alijs prædicare. *Et præcepit eis Ieſus, ne cui dicerent*. Quid? An aliquid vitij habuit Domine, tuum hoc miraculum, aut non poteſt ferre lucem? An Momi dentes, aut inuidiæ morſus formidas? Nobis fratres, nobis fiunt iſta, ad nos reſpiciunt, qui ſi vel minimum opuſculum laude dignum, protrudimus, & gignimus, mox omnium ore celebrari, & laudari

dari cupimus, cùm nihil ſimus aliud, quàm operantis Domini Ieſu mera inſtrumenta. Imo, ſi mos patrius toleraret, cum phariſæis vocaliſſimam nobis tubam compararemus, ne noſtra eleemoſyna, aut beneficentia, à quoquam ignoraretur, imo cum Nabugodonozor diceremus: Nónne hæc eſt babylon magna, quam ædificauimus? Diceremus, gloriç vanæ auidi, cum Sampſone: In mandibula aſini, percuſsimus mille viros. Ne ſimus itaque oſtentatores, ſed etiam ſi theſauros Ezechiæ regis haberemus, contegamus eos, ac in occulto habeamus, ne rex Babylonis, eos nobis adimat, eripiatque. *Præcepit igitur eis, ne cui dicerent.* Medici aliquando quoſdam pauperes gratis curare ſolent, ſed præcipiunt nihilominus ſanatis ſerio, vt euulgent, ac paſsim in compitis, & tonſtrinis, atque adeo in ipſo foro, denarrent medici præſtantiam, quo concurſus, iam ſparſo rumore, fiat maior. Non ſic medicus noſter Chriſtus, ſed cùm gratis curet, ne prædicari quidem, aut euulgari, ſuam beneficentiam patitur. *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* An non peccabant iſti, qui Domini prçceptum non ſeruabant? Haud quaquam. Quin potius decuit eos prædicare, ac pro virili euulgare, tam egregium, & illuſtre miraculum, quod videlicet & gratis curaret, & ne gloria quidẽ tam inſignis facti, cuperet frui. Vt enim hominis liberalis, et verè benefici eſt, non exigere laudem, pro beneficio: ita grati animi eſt, eo impenſius referre gratiam, & nuſquam non celebrare, & prædi-

Math. 6.
Daniel. 4.
Iud. 15.

prædicare benefactorem. Inepti ſunt propterea plerique benefici, qui in quoſcumque tandem inciderint, denarrant, etiam vſque ad nauſeam, quoties, & cui benefecerint. Celet ſuam munificentiam beneficus, prædicet beneficio adiutus, & cohoneſtatus. Quapropter decuit, imo & neceſſum fuit, Ieſum in omnibus gentibus prædicari. Quo pacto enim ciuitas in monte poſita, occuleretur? Mathæi 5. quomodo ſolis ſplendidiſsimum iubar, oculis mortalium ſubtraheretur? Sed iam animaduertere operæ præcium eſt, quàm inſigne axioma, quàm aurea ſententia, huius miraculi occaſione, nobis aperiatur. Profecto verbum eſt, quod neque philoſophi, neque phariſæi, reprehendere, ne dicam conſequi, aut comprehendere, queant.

Math. 5.

Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. Quod Plato, quod Ariſtoteles, quod denique Cicero ignorauit, homines è medio vulgo pronunciant. Quod certè elogium, bene omnia fecit, in ſolum Deum competit.

Vnde videntur iſti profiteri voluiſſe, Chriſtum eſſe Deum. Nemo enim mortalium eſt, qui omnia rectè faciat: quia non eſt iuſtus, qui non aliquando peccet. Eſt etiam Eccleſiaſtici 39. ſententia huic non diſsimilis: Opera Domini vniuerſa bona valde.

Eccleſ. 39.

ANNOTA-

Prima.

Adducunt ſurdum & mutum. *Pro muto Græci legunt : μ χιλαλον, hoc eſt, ægre verba aut ſermonem molientem.*

Secunda.

Hepheta. *Sciendum, hunc imperatiuum, non eſſe Hebraicum, ſed Chaldaicum, aut Syriacum. Græca habent, ἐφφαθα Chaldai autem in imperatiuo, Epphethah. quæ vocula omnino vicina eſt Græcæ illi dictioni, ἐφφαθα.*

Tertia.

Ingemuit. *Oſtendit ſuo ſuſpirio, quanti faciat genus noſtrum, quod tum à dæmonibus, tum ab alijs huius vitæ calamitatibus, impetitur, propter peccati tranſgreſſionem, ac gemendi nobis præbens exemplum, cùm pro noſtris, noſtrorumque incommodis, cæleſtis benignitatis ianuam pulſamus. Non enim erat illi opus, ducendo ſuſpiria poſtulare à patre, cùm ſuſpirantibus, & lachrymantibus donet ipſe cum patre. Neque gemitus hic diffidentiæ fuit (vt notat Eraſmus) ſed humanam calamitatem deplorantis.*

Quarta.

Expuens tetigit linguam. *Indicat Theophilactus. Dominum ſputo ſuo contigiſſe linguam muti, atque ita ſoluiſſe vinculum eius linguæ.*

Quinta.

Omnia bene fecit. *Nihil enim mali, nec poteſt, nec operari vult : cum natura bonitas ſit : Marci 10. Si arbor bona non poteſt fructus malos facere, millies id minus poteſt, arbor vitæ Chriſtus. Quapropter fratres dilectiſſimi, verbum, ſacrúmque* Math. 7.

elogium

elogium huius Decapolitæ, præcordijs noſtris infigamus, contra omnes Diaboli aſſultus, contra morborum, ærumnarúmque omnium triſtes morſus. Cogita ſic tecum: Si omnia facit bene, cur aduerſus Dei prouidentiam rebelles iactabo calces? Nouit quid mihi vtile, quid contrà noxium eſt. Benedicam igitur Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

Pſal. 33.

Sexta.

Præcepit illis, ne cui dicerent. *Hic vrbanæ ciuilitatis vel primus canon eſt, vbi benefeceris cuipiam, id celare, neque iactare, te in alios eſſe beneuolum, ſimul & beneficum. Qui verò beneficio fuerit donatus, celare id nequaquam poteſt: ſed potius id inuulgabit, vt nominis tui fama creſcat, omnéſque de te ſplendidè prædicent. Quod vbi fecerit, videbitur retuliſſe gratias & beneficium beneficio penſaſſe. Id elegantiſsimo carmine lib. 5. docet Martialis.*

In Poſthumum.

Quæ mihi præſtiteris, memini, ſemperque tenebo.
Cur igitur taceo, Poſthume, tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: Dixerat ille mihi.
Non bellè quædam faciunt duo: ſufficit vnus
Huic operi, ſi vis vt loquar, ipſe tace.
Crede mihi, quamuis ingentia Poſthume dona ſint
Autoris pereunt garrulitate ſui.

DOMINICA DECIMATERTIA A TRINITATE EVANGEL.

Lucæ cap. 10.

IVuat quidem de charitate, virtutum omnium principe, & loqui perpetuò, & ſcribere, imò & prolixiſsimos commentarios texere: quis enim de charitatis flamma tractans, non etiam accendatur? Verùm, quoniam de ea ſæpenumero aliàs ſumus locuti, & infra, Dominica à Trinitate 18. fuſiſsimè ſumus acturi, conſultum putaui & vtile, priorem Euangelij præſentis partem ſilentio præterire, & ad poſteriorem (quæ elegantiſsima parabola eſt) vertere calamum, ac pro virili mea portione eam interpretari. Adſit noſtro ſudori, noſtriſque cæptis ſpiritus ſanctus.

Homo igitur quidam, deſcendebat ab Hieruſalem in Hierico. Non arbitror hîc anxiè diſquirendum; hiſtoria ne ſit hęc, an certè parabola. Sed nobis hoc anxiè potius cauendum, ne deſcendamus & nos, ab Hieruſalem in Hierico, hoc eſt, ne à Dei amore, & beneuolentia recedamus, ac in varia pericula vltro nos præcipitemus, cùm Diabolus nunquam dormiat: ſed in omnem occaſionem erectus, in noſtram perniciem perpetuò vigilet, excubiáſque agat. Mille tendit laqueos, mille proponit illecebras; quibus incautos vel irretiat, vel ſollicitet ad deſcenſum. Homo igitur iſte genus humanum eſt, quod valde deſcendit, quando ex paradiſi gaudijs, & originali iuſti-

tia excidit, & ex fœliciſsimo, factus eſt miſerrimus, præuaricando. Magnus ſanè deſcenſus eſt, à virtute in vitium abire. O miſelle, an
Aug. epiſt. 3. ad Mar. eam faſtidis ciuitatem, cuius rex (vt ait Auguſtinus) veritas, cuius lex, charitas, modus æternitas: & ad eam te præcipitas, cuius princeps falſitas, lex impietas, modus inſtabilitas? Hierico vt luna mutatur, Hieruſalem firma, & conſtans eſt. Quid? An ignoras (ô Adam) quòd qualis ciuitas, tales & ciues eius? Nihil inſtabilius ciuitate Hierico; itaque quicumque ad eâm properant, mox inconſtantiæ vitium induunt. An tutum, & conſultum eſſe putas, ab incommutabili bono, ad commutabile deſcendere? Ineptum eſt à roſa ad ſpinam, à tritico ad paleam, à margarito ad vitrum, à vino ad aquas, ab equo ad aſinum deſcendere? Hieruſalem viſio pacis
Eſa. 32. 3. Reg. 2. eſt. Ibi nullæ latronum inſidiæ, nulli furum laquei. Sediſti (ô Adam) in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Quid verò in Hierico aliud, quàm ingens turbatio & confuſio? Nouimus, referente ſcriptura, quòd Semei, in Dauidem regem maledicus, mortis ſententiam ferre debuit, quòd prohibente rege Salomone, egreſſus ſit Hieroſolymam, vt meritò plecteretur gladio, qui tanti myſterij, & tantæ pacis regionem fugerit. Neque hîc excuſamus regem Zedechiam, qui cupiens manus regis Nabugo-
4. Re. 25. donozor effugere, rupto muro, in pedes cum purpuratis, ſe coniecit, & captus eſt in ſolitudine Hierico, Captus verò, ductuſque ad regem,

gem, oculos perdidit. Inſuper & duo eius filij, eo vidente interempti ſunt. Vides (Lector) quot incommoda adferat, deſcendere ex Hieruſalem in Hierico. In Hieruſalem fontes gratiæ, vſque ad cordis intimos receſſus, & penetralia fluunt. Ibi ſumma corporis, animæque quiete frui poſsumus: nempe in viſione pacis, & in Dei amicitia. Ibi Adam parens noſter, animalibus dominabatur: Sed dum deſcendere cœpit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Et incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum. Diabolus cum ſuis ſatellitibus latrones ſunt, qui vidētes hominē habere ſpem poſsidēdi regni, quod ipſi perdiderunt, fremunt, frendentque, & gratia omni hominem deſpoliare contendunt, ne locum quem ipſi meritò perdiderunt, homines obtinerent: quamuis tamen certo ſcirent dæmones, ſpolia illa ſibi non profutura, ſicut & nunc ſpolia, & prędæ, parum proſunt latronibus, nam malè partum malè diſperit. Hinc optimè Solomon in li. Prouerb: Sunt qui rapiunt aliena, & ſemper in egeſtate ſunt. Parū profuit fratribus Ioſeph patriarchæ, quòd fratre veſte polymita ſpoliaſſent: Vnde tandem pro hoc latrocinio, tanquam fures apprehenſi ſunt. Quid profuit obſecro Sathanæ, quod Adamum veſte iuſtitiæ originalis ſpoliauit? Deinde quòd nos multis peccatis inuoluit? Quid prodeſt inuidis, quòd aliorum fœlicitatem liuido oculo limant? Nihil profecto, niſi quòd ſeipſos, non ſecus atque ærugo ferrum, arrodant. Imò quemadmodum ignis

Pſal. *Prou. 19.* *Gen. 44.*

neque cherubin, aut ſeraphin, eum curare potuerint. Nónne grauia erant vulnera, quibus curandis, Dei filium cœlo deſcendere oportuit, ac noſtras induere neceſsitates? Eius liuore ſanati ſumus. Eſaiæ 53. Fuit Adamus primò in ſtatu beatiſsimo, & quietiſsimo. Intellectus eius ſupernè illuſtratus fuit mirifica DEI gratia ad cognoſcendum vera, & recta. Voluntas in ſolum bonum ferebatur. Omnia membra obediebant, & vel ad nutum obſequebantur, prœſidenti in homine rationi: At vbi homo ſe ad Hierico recepit, & relicto patre, ad porcos, ſiliquaſque reſpexit, omnia illi facta ſunt inimica, vſqueadeo, vt & ipſe à ſeipſo diſsideret, inueniretque in membris legem aliam, repugnantem legi mentis eius. Quin & ipſa animalia, in quæ antè tranquillum, & placitum imperium habuit, excuſsiſſe iam iugum videbantur. Nónne magna plaga eſt, hominem ita pronum eſſe ad vitia, & malum, perpetuo ſtimulo concupiſcentiæ pungi, & per liberum arbitrium ſolùm nihil poſſe, niſi peccare? Poſtquam verò latrones hominem crudeliter deſpoliaſſent, multiſque vulneribus proſtrauiſſent, *Abierunt.* Quod abierint relicto vulnerato, neque perſeuerârint vſque ad mortem ſauciando, nemo illorum id miſericordiæ tribuat, nemo putet largo ſanguine fuiſſe ſatiatos, non enim ſanguinis potu ſatur efficitur lupus, imò potius totum hominem ſemel deuorare cupiunt: Sed ideo tantiſper ceſſant, donec tempus nanciſcantur magis opportunum, vel quod verius eſt, eo tempore non eſt

Eſa. 53.

Rom. 7.

illis plus à Deo permiſſum. Deus enim illorum crudelitate tanquam carnificina, vtitur ad caſtiganda peccata noſtra, non tamen dat plenam poteſtatem. Quod apertè in libro Iob ſignifica-
Iob. 1. tur, vbi Sathanicę malitiæ certos quoſdam prę-ſcribit limites. Vnde planè elucet, quòd Deus nos caſtiget, vt pater, non vt iudex aut tyrannus. Tyrannus enim trucidare, & hominem prorſus extinguere cupit: ſed pater corrigere, & emendare. Id pulchrè mater Samuelis Anna
1. Reg. 2. demonſtrat: Caſtigans, inquit, caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Id & Dauid oſtendit. Virga (Domine) tua & baculus
Pſal. 22. tuus, ipſa me conſolata ſunt. Inijcit Deus diabolicæ immanitati, & irruēti in nos furori eius frenum, alioqui perderet nos, tanquam porcos Genezareth, quos veluti aſperrima ſcutica impulſos, profundo mari demerſit, & ſuffocauit: quod tamen nequaquam perficere potuit, niſi poſtulata prius à Domino Ieſu poteſtate. Si
Math. cap. (inquiunt) eijcis hinc, mitte nos in porcos.
8. et Mar. 5. At quare potius in porcos mitti optant, quàm in abiſſum, præſertim cùm circunferant carnificinam ſuam, & extra inferni locum ardeant. Gaudent nobiſcum ſemper manus conſerere, gaudent colluctari. Ideo enim nomen habent legio (quod nomen militare eſt) gaudent de nobis referre triumphum, & idcirco cum porcis noſtris habitare malunt, quàm in inferno. Nemo verò ſperet Diabolum ceſſaturum: Abit enim, & mox redit, & cùm videatur vel pax eſſe, vel indutiæ, de repente incautos aggreditur, & nonnunquam opprimit. Quod propheta

pheta Hieremias apertè oſtendit : Nolite (in- *Hier. 37.*
quit) ô Iudæi, nolite decipere animas veſtras,
dicentes : Euntes abibunt à nobis Chaldæi, &
recedent, quia nō abibunt. Adferebant Ægyptij
Iudæis in vrbe obſeſsis ſuppetias, vnde Chal-
dæi vel ſoluerunt obſidionem, vel ſegnius
clauſos oppugnauerunt, quod ſentientes ob-
ſeſsi, iactabant abituros hoſtes : Sed vana erat
eorum fidutia, & ciuitas (quòd non haberent
prophetæ Hieremiæ fidem) vi expugnata eſt.
Bene autem per Chaldæos ſignificantur dæ-
mones : Chaldæi enim interpretantur prædo-
nes, aut raptores. Quis autem ignoret, quòd
dæmones ſemper & vbique nobis inſidientur,
vt nos facultatibus & veſtibus exuant? Iſtos
quamdiu vitam hîc producimus, hoſtes habe-
mus, & quidem irreconciliabiles, & callidiſ-
ſimos, qui cùm videntur receptui canere, cir-
cumducto exercitu, aliunde irruunt. Ambu- *Luce. 11.*
lat per loca inaquoſa Diabolus, ſed eo conſi-
lio, vt acrior redeat in pugnam, & adducat
ſeptem ſpiritus, nequiores ſe. Peruicaciſsi-
mus (inquit Tertullianus) hoſtis ille, nun-
quam malitiæ ſuæ otium facit. Nam maximè *Ter. lib. de*
ſæuit, cùm hominem ſentit liberatum : tunc *penitētia:*
plurimum accenditur, cùm extinguitur : Do-
let & ingemiſcit, venia peccatorum permiſſa,
tot in homine mortis opera diruta, tot titulos
damnationis ſuæ eraſos : dolet quod ipſum, &
Angelos ſuos, Chriſti ſeruus ille, iudicaturus
ſit. *Abierunt ſemiuiuo relicto.* Ex claro lu-
mine, quo noſtra in principio natura fulgebat,
vix ſcintilla fuit relicta, & cùm totus homo

nozor ait: Peccata tua eleemoſynis redime. Num peccata peccatis redimuntur? Flet pœnitens, adhuc tamen in peccatis inhæret, & tam abſurdi, & inepti erimus, qui fletus ſordes eſſe dicemus? Quomodo quæſo ſordes? Tolle gemitus, aufer lachrymas, quibus vbertim mades mulier peccatrix, tolle, inquā, quia flere tuum peccatum eſt: At peccator (inquies) eſt arbor mala, igitur conſequitur, quòd non poteſt fructus bonos facere. Omne opus quod ex mala radice proficiſcitur, ſcilicet ex cupiditate, peccatum eſt. Sed ſunt opera quædam ante iuſtificationē, quæ ad iuſtitiam hominem parant, ac, vt ſcolaſtici loquuntur, diſponunt. Hæc non ſunt bonæ arboris, quia non iuſtæ: nec ſunt malæ arboris, ſed ſunt gratiæ præuenientis, & per malam arborem operantis. Multa enim Deus operatur per naturæ talenta, quæ in ſuo genere non ſunt vituperanda, ſed potius in peccatore laudanda. Dic quæſo, ſi duo inter ſe, atra bile concitante, commiſsi, iurgātur, & cùm plenis tibijs res agatur, periculum eſt, ne ad manus veniatur: & tu fortè fortuna præſens, horres futuram cædem, quid ibi facies? Si taces, homicidium committitur: ſi aduolans, mollibus verbis, velut iniecta aqua, incendium extinguere pergis, peccas: Igitur hæres, ac dubitas. Imò nihil hîc ambigendum, aut hęrendum, etiam ſi grauiſsimus peccator ſis. Flagitioſum igitur dogma eſt, hominem peccatorem in omni opere peccare. Peccabant ergo Iudęi peccatores, qui lapſum aſinum proximi leuabant. D. Proſper contrà Caſsianum,

Lucæ. 7.

Math. 7.

Proſper contra Caſsia

Caſsianum,dicit ideo ſemiuiuum eſſe relictum, quia remanſerunt in homine, quædam veſtigia naturalis integritatis,ſeu quædam honeſtatis officia, quibus ſibi prouidet homo in neceſſarijs huius vitæ, veluti honorare parentes, iuuare vicinos, dare eleemoſynam, ſed nullo modo tamen talia permanſerunt, vt his homo poſſet peruenire ad vitam ęternam. Senſit & Cicero, & quidam philoſophi, ſe genitos à natura nouerca, imò ſenſerunt, quòd eorum conſtitutio, ſeu diſpoſitio, & ſecundum corpus, & ſecundum animam, non eſſet qualis deberet: Verùm vnde hæc indiſpoſitio eſſet, neſciebant. Ignorabant quis eis tam atrocia, grauiaque vulnera inflixiſſet. Adamum non nouerant, ſerpentem qui eum cum vxore momorderat, multo minus. Hinc alij hos defectus naturæ, alij malo principio aſſcripſerunt. *Accidit autem, vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præterijt, Similiter & leuita cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſijt.* Pręterijt lex & prophetæ: Nemo enim poterat mundum facere de immundo concep tum ſemine, niſi agnus Dei, qui tollit pecca-
Ioan. 1. tum mundi. Hebr. cap 10. Impoſsibile eſt ſan-
Heb. 10. guine hircorum aut taurorum, deleri peccata. Iacet miſer Adam, ſanguine perfuſus, vulneribus vndique ſaucius, implorat auxilium, ſacerdotes & leuitæ, clauſis veluti oculis, tranſeunt. Venit tandem Samaritanus, quærens ouem quam perdidit, & alta voce inclamat: Adam vbi es? Quare ciuitatem pacis reliquiſti? Reſpondet miſer: Domine nudus ſum, latro-

nes mihi

nes mihi ſurripuerunt veſtes omnes: intelle-ctus, neſcio qua caligine offuſus eſt: voluntas vehementer læſa, omnes vires vel fractæ, vel ſauciæ, omnia dona tua perdita, imò non quæo ne ad vitæ quidem arborem accedere, ſed iaceo ad porcorum ſiliquas. O Samaritane Ieſu, quæſo vt manum porrigas, & ex hac ſeruitute tam graui, tamque pudenda, aſſeras in liber-tatem filiorum. Sacerdos, & leuita, lex & propheta ſunt. Hi ad hominem lapſum miſsi ſunt, non vt ſanarent, nam eam poteſtatem non habebant, ſed vt homini grauitatem morbi, quam perſpectam non habebat, aperi-rent, ſimulque indicarent medicum, in quem ſperaret: per legem enim cognitio peccati. Venientes autem conſolati ſunt genus huma-num, ſub graui iugo ſudans, laborans & ge-mens. Dicebant: Ecce ſaluator tuus veniet, ecce merces eius cum eo, Ecce Samaritanus prope. Si moram fecerit, expecta eum, quia *Abac. 2.* veniens veniet, & non tardabit. Præparare *Amos. 4.* Iſraël in occurſum Dei tui. Hoc offitium fuit ſacerdotis, & leuitæ, quo fideliter præſtito, tranſierunt: Nam cùm nullum ipſi remedium adferrent, ſed medicum duntaxat oſtenderent, viſo eo preteriјſſe dicuntur. Lex igitur (vt Paulus ad Romanos ait) ſancta eſt, & mandatũ *Rom. 7.* ſanctum, & iuſtum, & bonum. Quid enim? An ne ſanctum & bonum eſt ægro, cognouiſſe medicum? Vbi igitur æger medicum cogno-uit, cepit eum interpellare, & ad eum clamare: O Domine, non ſatis eſt mihi ſacerdos, non leuita, qui vulnus commonſtret, & medicum oſtendat,

autem quidam, iter faciens, venit ſecus eum, & videns eum, miſericordia motus eſt.
Miſericordia, non noſtris meritis, motus eſt Chriſtus ad ſuccurrendum. Ita teſtatur Paulus: Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitię, quę fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiã ſaluos nos fecit. Fidelis Samaritanus qui ait, Ego quos dediſti mihi pater, ſeruaui, & nõ perijt ex eis, niſi filius perditionis. *Et appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinũ.* Appropiauit nobis, in terrã veniens, ac nobiſcũ côuerſans, vulnera noſtra alligare cepit, doctrina videlicet & pręceptis. O nihil fœdius, quàm hiulcum ſeu hians peccati vulnus. Quamdiu malo conſentimus, tam diu patet vulnus: ſed Chriſtus venit per doctrinã ſuam, & pręcepta, inducere nos ad vitiorũ diſplicentiam. Quando igitur peccator ex animo conteritur, & remedia ſibi à Deo ordinata amplectitur, Deus ita alligat, vt amplius non appareant. Eſaias. Alligabit Dominus vulnera populi ſui, & percuſſuram plagæ eius curabit. *Infundens oleum & vinum.* Fortè pro commeatu, & viatico, ſecum hæc Samaritanus ſumpſerat, ſed vertit commeatum in medicinam, quod oleum ſit lenitiuum, vinum autem malorum humorum, & corruptionis arroſiuum. In vino præceptorum aſperitas, in oleo, miſericordia & indulgentia. Miſcenda eſt lenitas ſeueritati, & facienda eſt temperatura, vt nec immodica ſeueritate exulcerentur ſubditi, neque benignitate nimia ſoluantur. Huius temperaturæ, optimam

Titi. 3.
Ioan. 17.
Eſaia. 30.

optimam figuram habemus in veteri teſtamento, vbi Dominus iuſsit in arca reponi virgam & manna. In virga auſteritas, in manna dulcedo ſignificatur. Vinum eſt: Niſi pœnitentiam
Luc. 13. cedo ſignificatur. Vinum eſt: Niſi pœnitentiam
Ioan. 7. egeritis, omnes ſimul peribitis. Oleum eſt illud: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Vi-
Math. 10. num eſt: Timete eum, qui vbi occiderit cor-
Math. 11. pus, habet poteſtatem mittendi animam in Gehennam. Oleum eſt: Venite ad me, omnes
2. Tim. 4. qui laboratis & onerati eſtis &c. Sic concionatores, & paſtores, debent habere correptionem & conſolationem. Huc quadrat illud D. Pauli: Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Samaritanus noſter adueniens, viſo ſaucio, clamare cepit: pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum. O dulce, Dulcis Ieſu, oleum tuum, quod præcedens vinum illud mordicans, ſupra omnem modum temperat. Acſi dicat: guſta paululum de vino, mordentis pœnitentiæ, ſtatim infundam oleum miſericordiæ. Quis non libens hunc calicem bibat? Alium calicem propinat Babylon. Prius oleum habet, deinde ſuccum, qui perpetuo pungit. Prius quod delectet, poſt quod mordeat. Noſter Samaritanus prius pœnitentię liquorem infundit, & oleum gratiæ, et gloriæ ſeruat in finem. Exemplo Domini Ieſu, debent noſtri ſtabularij, quibus cura ægrarum animarum credita eſt, primò ſemper vinum infundere, vt quoties in concionibus ad nuptias agni inuitant, eos conuiuas ſimul admoneant veſtis nuptialis: et quoties de Dei miſericordia (omni expoſita) loquuntur,

tur,

tur, ſimul doceant agentibus pœnitentiam, ianuam eius patere. Memores eſſe debemus, quòd Deus non ſolùm clemens, ſed et iuſtus eſt. Hinc B. Ciprianus: Deus quantum patris pietate indulgens bonus eſt, tantum iudicis poteſtate metuendus eſt. Ideo ſacerdotes facile abſoluentes ante actam pœnitentiam, obiurgans, ait: Irrita et falſa pax, periculoſa dantibus, et nihil accipientibus profutura, ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio et manu ſacerdotis, pacem putant eſſe, quam quidam fallacibus verbis iactitant. Non eſt pax illa, ſed bellum. *Cip. epiſt. de lapſis.*

Et imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum. Non ſatis fuit Samaritano, vulnera miſeri alligaſſe, niſi etiam in iumentum ſuum imponeret illum, peccata noſtra ſuſcipiens in corpore ſuo, ac de ſuo alacriter dependens, *1. Petri. 2.* quod ipſi debebamus. Hinc: Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, ſuper lignum crucis, vt verè potuerit dicere illud Eſaiæ: Laboraui *Eſaia. 1.* ſuſtinens. Iumentum igitur iſtud, iuxta Theophilactum, caro Chriſti eſt. Verè languores *Eſaia 53.* noſtros ipſe pertulit, doloreſque noſtros ipſe portauit. Stabulum autem eccleſiam ſignificat, & dicitur hic πανδοχεῖον quod omnes paſsim recipiat, ſed tanquam hoſpites & peregrinos. *Et curam eius egit.* Non eſt aſtorgos Chriſtus, ſed tãquam verus ac bonus paſtor, oues ſuas curauit. *Et altera die, protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, ego cùm*

ibi ſanguis funderetur.

SECVNDA.

Duxit in ſtabulum. *Dicitur ſtabulum à ſtando, neque tamen ſemper pecudum caulam ſignificat (vt ineptum vulgus credit) ſed hominum diuerſorium ſiue hoſpitium. Græca habent πανδοχεῖον, quod omnia capiat.*

TERTIA.

Dedit ſtabulario. *Quemadmodum ſtabulum nõnunquam hoſpitium hominum ſignat, ita ſtabularius hoſpitem, pretio viatores excipientem.*

QVARTA.

Vade & tu. *Illud Vade imperatiuus eſt, hebraico more poſitus, pro interiectione hortantis, Agedum.*

DOMINICA DECIMA QVARTA POST TRINITATIS EVANG.

Lucæ cap. 17.

ET factum eſt, dum iret in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam.

Hiſtoria quam Lucas hîc habet, breuis eſt, & aperta, oſtendens Chriſti inſignem philanthropiam, & expoſitam in ſordidiſsimos etiam homines humanitatem. Breue eſt Euangelium, ſed mirum in modum vtile, & minimè contemnendum. Nónne & minutiſsimis gemmis, nonnunquam ſummum eſt precium? Adeſte igitur viri fratres, adeſte, inquam, æquis animis, ac auribus, ad noſtra verba haurienda, pronis. Scito hîc (benigne auditor) hanc vltimam fuiſſe Chriſti profectionem ad Hieroſolymã ante eius mortem, O Hieruſalem, Hieru- Math. 21.

Matth. 21. ſalem,nonne ſatis eſt,occidiſſe prophetas,ac varijs inceſſiſſe contumelijs:niſi etiam prophetarum principem, multis iniurijs affectum, tam probroſę neci dedas,qui mortuos tuos excitat, cæcos illuminat,et leproſos mundat?Poſtrema igitur hæc fuit profectio, ideoque non proximam eſt ingreſſus viam, quæ Hieroſolymam ducit, ſed remotiorem, porroque alienam. Nouerat iam horam inſtare, qua patri, tan-

Gen. 22. quam alter Iſaac, in ligno immolandus, pro generis humani ſalute, in cruce vitam exſpiraret. Quàm vero malè Iudæis cum Samaritanis conueniret,notiſsimum eſt illi, cui notum et lectum eſt quartum Euangelij Ioannis caput. Non illibenter verò ...ſus apud Galilæos, et Samaritanos verſabatur, propterea quòd procliuiores eſſent, ad Chriſti doctrinam amplectendam. Nunquam verò diu manſit apud Samaritanos,ſed quaſi canis è Nilo bibens,ſui eis copiam fecit, ac mox diſceſsit. Non tamen inuidiæ dentes effugere potuit, quin Samaritanum illum aliquoties appellarent,quod apud Iudæos non minoris probri fuit, quàm apud Chriſtianos aliquem ſeſquihæreticum nominare. Habebant enim Samaritæ,mixtam quandam religionem, partim cum Iudæis, partim cum Chaldæis aut Aſſyrijs communem. Imò,vt vulgare apud Belgas prouerbium eſt, nec piſcis nec concha erant. *Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum,occurrerunt ei decem viri leproſi.*

Occurrerunt autem,non poſtquam ingreſſus

Leuit. 13. eſt vicum, aut ciuitatem, ſed ingreſſuro, non enim licebat illis cum ſanis, ac integris hominibus

hibus commercium habere, ne cui contagio ſuo peſtem afflarent. Ad quam verò terram hoc caſtellũ pertinebat,ad Iudæã ne, an ad Samariam, non habeo dicere, niſi hinc fortè argumentum duci poſſet,ad Iudæam aut Galilæam pertinuiſſe, quoniam leproſi, Iudęi fuerunt. Deinde & hoc accedit, quòd tanquam Iudæi ad ſacerdotes à Chriſto miſsi ſint, & niſi vnus duntaxat inter eos fuerit Samaritanus. Quàm verò in S.Scripturæ plurimis locis cõmendentur leproſi, facile videt, qui nouum vetuſque teſtamenta legerit. Integritate, & fide erga regem ſuum perſpecta, fuit Nahaman Syrus. 4.Reg.5. Viri cordati & inſignes fuerunt quatuor illi, qui nunciauerunt regi Ioram, Syros, ſoluta obſidione Samariæ, fugiſſe. Hos omnes leproſus ille, de quo Mathęus ca. 8. ſcribit, excelluiſſe videtur.Iſti verò decem (vnum excipio) ingratitudinis vitio, laborauerunt, vt Euangelium facile docebit.Miſeri verò fuerunt omnes, etiam ſi Cræſi opes habuiſſent, cùm morbus is, nulla ſit arte curabilis, quanquam Plinius medicinam huius mali indicare videatur.Quod ſi verum eſt, mirum eſt Naaman Syrum, cùm vir locupletiſsimus fuerit, deinde & Oziam regem,& Azariam,non reperiſſe mori huius medelam. Galenus ſcribit, lepram eſſe vitium cutis ſubalbidum, cum pruritu, & ſquamis.Ioannes Hofmeſterus cẽſet,hos leproſos fuiſſe non à natura, ſed propter peccata ſic affectos: quis enim in nouem illis non videt maximam improbitatem, & pluſquam Scyticam ingratitudinem? Propter vitam

4.Reg.7. Math. 8. 4.Reg.15. 2.Par.26.

igitur flagitioſam, hoc eis mali contigit, quod ipſi quoq; ſatis intellexiſſe mihi videntur, cùm iratum Deum, per pœnitētiam & humilitatem ſibi conciliare ſtuderent. *Leuauerunt vocem dicentes, cùm ſtarent à longe, Ieſu præceptor, miſerere noſtri.* Morbus erat contagioſus, & ſordidus, hinc longius ſibi eſſe ſtandum intelligebant, nam lex ita volebat, ne quempiam inficerent.
Luca. 18. Publicanus etiam à longè ſtetit. Loco quidem longè ſtant, ardenti verò prece, quam clamore
Pſal. 144. teſtantur, prope ſunt. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Paucis quidē verbis vtuntur, ſed efficacibus & modeſtis. Optimè autem clamore feriunt aures, & oſtium medici, qui nō animæ minus, quàm corpori, ſuccurrere nouit. Non aurum, non argentum ab ipſo poſtulant, ſed vnicam miſericordiam: aiunt enim:

Ieſu præceptor. Non autem exprimunt, qua in re miſericordiam poſtulent, tantum eam implorantes, nihil dubitant, quin illorum miſerendo, curare & velit, & poſsit, quantumuis multi eſſent, & quātumuis morbus eorum incurabilis, & grauis. Quòd verò eleemoſinam non peterent, ſatis hinc patet, quòd præcep-
Ioan. 3. torem appellent; fatentes eum à Deo veniſſe, magiſtrum, qui miſericordiam doceret, & faceret, exhiberetque. Volunt igitur ex animo illi parere, ac dicta eius capeſſere, imò ad nutum obſequi. *Miſerere noſtri.* Non petunt debitum, ſed gratiam: non iuſtitiam, ſed miſericordiam. Quod enim lepra tacti ſunt, iuſtitiæ fuit: quòd verò mūdari poſtulant, miſericordiæ eſt:

Neque

Neque verò negligendũ eſt, quod aiunt, miſerere noſtri, declarantes alterum pro alterius ſalute fuiſſe ſolicitum, ac inter eos nullum intercedere diſsidium, aut ſimultatem: Vt ferè inter pauperes eſſe ſolet, qui cùm ſint omnes ex eadẽ fidelia candidi, mutuo tamen ſibi inuident, ſi alter aliquantulum plus argenti, quàm alter à locupletibus recipiat. Miſericordiam igitur ambiunt, qui nulla habẽt merita quæ allegent. Optimè noſter Pſaltes: Non intres in iudiciũ cum ſeruo tuo Domine: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo, omnis viuens. Et rurſum: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Audijt verò clamorem iſtorum leproſorum Dominus Ieſus: *Quos vt vidit, dixit: Ite oſtendite vos ſacerdotibus.* Fœlix clamor, qui exhibet nobis Dominum attentum, imò & aſpicientem. Eius enim intuitus ſic prouocatus, non poteſt non eſſe efficax, & ſalutifer. Non oculis verò corporis ſolum eſt intuitus, ſed magis oculis mentis, oculis miſericordiæ. Tritum eſt prouerbium Qui cito dat, bis dat. Et Apoſtolus ait, Hylarem datorem diligit Deus. Iam verò nobis diſquirendum, quo nomine hos leproſos Dominus ad ſacerdotes miſerit, cùm in eorum non fuerit poteſtate leproſos mundare. Certè ad ſacerdotes eos deſtinat, vt de illorum munditia, ferant ſententiam, ſoluantque miſeros miniſterio ſuo. Sed vide mihi (candide Lector) promptam iſtorum obedientiam. Cogitare potuerunt: Quid nos mittis ad ſacerdotes? Semel illi nobis adiudicauerunt lepram, nec tollere eam potuerunt, ſed tantum pro ea tollenda

Pſal. 142.
Pſal. 129.
2. Cor. 9.
Leuit. 14.

Leuit. 14. lenda ſacrificium offerre iuſſerunt. Fruſtra igitur nos ad illos mittis. Verùm nihil huiuſmodi cogitant, ſed ſimplici fide, iuſſa facere ſunt parati. Tu verò mihi vide, quàm difficulter aliquid de veteri lege remittit Chriſtus, qui tantum legali tribuat ſacerdotio, vtcumque ſacerdotes fuerint impij. Offitio enim ſacerdotum, ſuum honorem tribuit, luxum autem, ſupercilium, & auaritiam non probat. Sic enim perpetuo nobis agendum eſt, vt diſcriminatim agamus de offitijs, & offitialibus. Offitia enim à Deo ſunt, atque idcirco bona, & honoranda, quicumque tandem eis fungantur. Sic de matrimonio ſi ſermo fuerit, de inſtituto ipſo, non de abuſu diſſerendum erit. Idem de magiſtratu *Rom. 13.* ſentiendum eſt. D. Paulus, cùm in Romanis ſuis, inſtitueret de magiſtratu diſputationẽ, prudẽter offitia ab offitialibus diſtinxit. Omnis (ait) poteſtas à Deo eſt. Non ait: Omnis princeps à Deo eſt. Peccata non ſunt offitiorum, ſed offitiantium. Porro naſutior eſt hodie mundus quàm ſat eſt, & perpetuò prophani bellaturiunt in ſacros homines, ac ſacerdotium ſemel extinctum abolitumque volunt. Sed quamobrem quæſo? An magiſtratum in omnibus ciuitatibus abrogare neceſſum eſt, propterea quòd quidam iudices, pecuniam magis reſpiciunt, quàm pupillorum, aut viduarum cauſam? An matrimonium è medio ſublatum eſſe oportet, propterea quod ſint plerique adulteri? An gladiũ auferas iudici, propterea quod eo vtatur & latro? Sic ignis malus erit, quod eo abutantur graſſatores ad miſcenda incendia.

Igne

Igne quid vtilius? Si quis tamen vrere tecta
Apparat, audaces inſtruit igne manus.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator: Ouid. li. 2. Triſtium
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur innocuas vt agat facundia cauſas:
Protegit hæc ſontes, immeritoſque premit.

Vides (Lector) vt res quæque habeat anſam ſuã, ſi quis rectè, & vt debet, apprehendat: ſic ignis, gladius, facundiaque, vel cõmodum vel incõmodum adferunt. Neque ſtatim frangendus eſt culter, ſi puer ſe lędat. An tu vinum, fel draconum, cum Manichæis, appellabis, quòd multi ſe inebrient? Rogatus aliquando Lycurgus, quod iudicium adferret de vinea, eradicetur, respondit. Rogatur Solon, maneant (reſpondit) vineæ, ſed corrigantur abutentes. Deinde vitem (ait) colito, & fontem propius adducito, hoc eſt, quod noſtrates dicunt: Leuit. 13. & 14.
Doet water in den wijn. Sed cuius rei gratia (quęſo) iſtos mittit ad ſacerdotes, cũ ipſe curare decreuerit? Vt ſacerdotes re ipſa cognoſcerent, eos eſſe mundos, & conuerterentur ad Chriſti religionẽ, dum à leproſis didiciſſent, quo pacto, & quibus verbis, eſſent curati. Porro leproſi emũdatio, in lege talis erat: Offerebat duas aues cum ligno cedrino, hyſſopo, vermiculo, & cocco: Altera immolabatur in vaſe fictili, & aquis viuẽtibus; altera verò ſanguine prioris tincta, dimittebatur libera in agrum. Leproſus verò ſepties ſanguine prioris paſſeris tingebatur. Per hos duos paſſeres, poſſumus Chriſtum, & peccatorem intelligere. Cùm enim homo

quærat

quærat altaria Domini,vbi nidum faciat,& ponat pullos ſuos, tunc auis eſt. Hyſſopus petræ adnaſcens,& pectoris mala expurgās, fides eſt, quæ petræ viuæ adhæret. Cedrus quæ in altum exporrigit ramos ſuos,ac perpetuo ſurſum tendit, ſpes eſt immortalitate plena. Vermiculus autem ſiue coccus, charitatem nobis deſignat, purpureo colore rubentem.Leproſus igitur pro ſua ſanitate, offerat Chriſtum, & ſe: ſimulque fidem,ſpem,& charitatem ſecum adferat:ita tamen,vt primus paſſer immoletur,quia per ſanguinem immolati Ieſu, ſurgit noſtra redemptio,cuius cruore lauamur à peccatis noſtris.Sed nos ipſos quoque offerre debemus, & ſepties paſſeris alterius ſanguine tingi, atque ita in agrum auolare,cedrum,hyſſopum, & coccum, nobis alligata ferentes,hoc eſt,fide, ſpe, & charitate exornati.O rem admirabilem, in agrum inuitamur, vt deſerentes quæ in mundo ſunt, in cœlo conuerſationem habeamus. Paſſer autem qui offertur in vaſe fictili, immolari debet: Nam ſi Chriſtus mortuus eſt,in corpore fragili mortuus eſt: idq; per ſpiritum ſanctum,qui per aquas viuas,in ſacris literis ſignificatur. Eccleſia enim puteus aquarum viuētium eſt. Quod ſi ſponſum Eccleſiæ roges,dabit tibi aquam viuam.Quin & Ioan.cap.7. dicit Chriſtus: Qui credit in me(ſicut dicit Scriptura) flumina de ventre eius fluent, aquæ viuæ. *Et factum eſt dum irent mundati ſunt.* Nimirum vt fides eorũ probaretur, & vt apertè intelligerent à Chriſti ſacerdotio,veram emundationem profluere.Id enim non virtute itineris, ſed verborũ Chriſti virtute

Apoc.1. *Cant. 4.* *Ioan. 4.* *Ioan. 7.*

virtute factum eſt: Si enim obambulatio potuiſſet prodeſſe leproſis, iam olim ambulando ſanati fuiſſent: At virtus verborum Chriſti, & fides leproſorũ, cauſa fuit ſanationis. Quiſquis eò vadit, quo Chriſtus mittit, certam ſalutem conſequitur, & omnem immunditiam exuet. Qui ſequitur me (ait Chriſtus) non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Et hactenus quidem oſtenditur, decem iſtis leproſis parem fuiſſe fiduciam, paremque obedientiam, ſed nõ parem, (vt ſequentia teſtantur) fuiſſe gratitudinem. *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce, magnificans Deum.* Decem pulcherrimo ſanitatis beneficio ſunt donati, ſed vnus agnouit, & laudibus vexit benefactorem. Medicus curauit decem, ſed vnus mercedem debitã rependit. Sed quid? Num vnus ſenſit ſe curatum, & alij ſe ſanos neſcierunt? Imo omnes mundauit, omnes ſenſerunt, ſed non omnes ex æquo beneficentiam ponderauerunt, quę ſanè maxima fuit. Sunt qui dicunt, nouem illos pecunia à phariſęis corruptos, noluiſſe redire ad medicũ, vt hoc illuſtriſſimum miraculum obſcuraretur. Sic abſcondũt miraculũ reſurrectionis. Is enim phariſęorũ liuor erat, gloriam omnẽ Chriſto pro virili adimere. Prouerbium eſt, raro ægros ipſo morbo fieri meliores. Quid autem ſibi vult Lucas, quod tanta emphaſi teſtatur, gratum hunc hominem fuiſſe Samaritanum? Certè vt pudore afficeret Iudæos, qui prę ſe mirè aſpernabantur Samaritanos, tanquam Dei hoſtes, & ab omni humanitate, ac pietate alienos, cùm tamẽ Iudæi

Ecce vis noui teſt.

Ioan. ca. 8.

Auri ſacra fames.

dæi ipſi, nunquam ſatis ſuo fungerentur offi-tio, ſed ingratiſsimi mortalium eſſent, aliiſ-que vitijs, quamuis id diſsimularent, ob-noxij. An ne apertum eſt argumentum, Iudæ-os eſſe Samaritanis improbiores, quòd cùm nouem eſſent, ne vnicum quidem fuiſſe, qui aliquod erga medicum ſuum, grati animi ſpe-cimen ederet.

Gratus igitur homo ille erat Samaritanus.

Ieſus verò non ignorans, beneficij ſui fru-ctum, ad omnes perueniſſe, quamuis vnus eſſet, qui adoratione, & gratiarum actione agnoſceret, & profiteretur, primum quidem perſtringit aliorum ingratitudinem, deinde Samaritani beneuolum, & gratum animum aperit, atque commendat.

Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Nonne dignum obſeruatu eſt, quòd beneficium ab ingratis non reuocauerit? Quòd verò id non faciat, manſueti animi indicium eſt, vt diſcamus etiam ingratis bene facere: nec pœniteat aliquando offitioſos fuiſſe in eos, qui de nobis etiam malè meriti ſunt.

Meriti erant recidere in morbum

Quærit verò, vbi ſint nouem illi ingrati, non tanquam ignorans, ſed huiuſmodi interroga-tione ingratitudinem aliorum taxans. O ingra-ta gens, ô ingratiſsime grex Iudæorum, gratis te clamantem audit Chriſtus, gratis te curat, gratis mundat, & non potes vel tantum præ-ſtare, vt illi gratias agas? Equi, canes, elephãtes, addam & dracones, agnoſcunt benefactorem, cognoſcit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus

Eſaia. 1.

præ-

præſepe Domini ſui, imò & reponunt gratiam, ſi quando detur occaſio, & tu animantium præſtantiſsimum, tantam beneficentiam ingrata ſepelis obliuione? Sed quid animalia commemoro. Ipſa hæc terra, multò te eſt gratior. Quæ licet nihil ſentiat, ſuſceptum tamen ſemen, multiplicatiori ſolet numero reddere, quàm acceperit. Terra aut ſpontaneos fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit, ac reddit. Vtrumque debes quodam hæreditario iure parentis, ne relinquaris veluti infœcundus ager. Dignus es ingrate Iudæe, vt rurſus tibi IESVS quod dedit, adimat, ac tetriori quàm antea, à vertice ad talos vſque, lepra perfundat. Si nummi quos numeres medico, deſunt, an difficile fuerit dicere, DEO gratias. Sunt & Chriſtiani non pauci, qui calamitate, aut ærumna preſsi, ad Deum confugiunt, pijs illius clementiam, atque ardentibus precibus pulſantes, & ad Ieſum (qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris) ſupplices manus extendentes: at remedio impetrato, mox ei terga vertunt, ingratiores pecude, auibus, feriſque brutis: quæ vbi aruum aliquod offenderint, repererintque fœcundum, ac pabuli plenum, quotidie ad illud recurrunt. Qui aqua indigent, recta fontem petunt, ac quantum ſatis eſt, hauriunt: mox verò fonti terga vertunt, ac ſeſe recipiunt ad lacunas, ait Hieremias, quæ continere nequeunt aquas. In gente illa ingratiſsima, rara & ſingulari gratitudine, præditus fuit Tobias minor.

Ambroſ. 1. Offi. ca. 31.

1. Ioan. 2.

Ierem. 2.

Pater

Pater(inquit)quam mercedem dabimus iuueni huic, aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius: me duxit, ac reduxit ſanum, pecuniam pro me recepit, vxorem me habere fecit, & dia bolum ab ea ipſe compeſcuit, me quoque à deuoratione piſcis eripuit, te quoque cœli lumen videre fecit, & denique bonis omnibus repleti ſumus per illum. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Gratiſsimus quoque erat Dauid, cùm diceret: Quid retribuam Domino pro om
Pſal. 115. nibus quæ retribuit mihi? Dicam igitur, & vtinam multi mecum dicant: Quid tibi Domine Ieſu, pro malis meis quæ pertuliſti, quid pro bonis tuis quæ contuliſti, referam? Quid pro ſuſcepta carne? Quid pro alapis & opprobrijs? Quid pro flagellis? pro cruce, obitu, ſepultura, rependam? Eſto, reddamus crucem pro cruce, funus pro funere, nunquid poterimus reddere quod ex ipſo, per ipſum, & in ipſo habemus omnia? Reddamus ergò amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro pecunia. Nónne immenſæ benignitatis, & beneficentiæ eſt, quod nos teterrima, & contagioſiſsima lepra vndique perfuſos, ſanguinis ſui balneo ita abluerit, vt ſuper niuem etiam ſimus dealbati? Et piget, tedetque gratiam habere, tam amanti,
Pſal. 50. tam benefico ſponſo? Reuertamur, gratias vberes acturi cum alienigena, ſed non hercle alieni, aut alienigenæ, ſed, illius beneficio, fratres, & cohæredes. Execrabile ſanè vitium ingratitudo eſt, & neſcio an vllum ſit, quod homines (cuiuſcunque tandem religionis ſint) magis deteſtentur atque vituperent.

Qua-

Quapropter Vergiliana illa Dido, acerbiſsima oratione perſtringit Æneæ Troiani ingratitudinem, quecumque in illum accumulauit beneficia exprobrans. Ait igitur:

Nuſquam tuta fides: Eiectũ littore egentem
Excepi, & regni (demens) in parte locaui Æne. 4. li.
Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi.

At gratior illo duce, qui eum tot verſibus cecinit Vergilius. Cùm enim Cæſaris Auguſti erga ſe beneficentiam, & liberalitatem egregiam eſſet expertus, tanquàm Deum quempiam illũ perpetuò coluit, ac ſingulariter egloga prima celebrauit:

Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues (vt cernis) & ipſum
Ludere, quæ vellem calamo permiſit agreſti. Vergilius eglog. 1.

Nec illo ingratior, in amicos de ſe bene meritos, Homerus fuit, quippe qui Mentoris, qui illum aliquamdiu aluit, Phemy præceptoris, & Tychij quoque hoſpitis ſui nomina, carminibus ſuis (gratitudinis ergò) infercit, vt cum perpetuis eius vigilijs, perpetuò orbi vniuerſo legenda proponerentur, ac ſicut Homeri poëſis, ſic illi quoque eſſent perhennes. Arbitramur igitur nihil eſſe grato animo honeſtius, omnes hoc vrbes, omnes, etiam ex barbaris nationibus gẽtes, in tanta iudiciorum diuerſitate referendam bene merentibus gratiam conclamabunt. Quapropter ruſticus planè es, & à communi cæterorum hominum opinione alienus, ſi cùm referre nequeas, non pergas

Herodotus in vita Homeri.

Seneca epiſtola. 83.

pergas agere gratias. Cur non meditaris præſtare in via, quod perpetuo facturus es in patria? Miſericordias Domini in æternum cantabo. Eſaiæ cap. 51: Gaudium & letitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Vide Auguſtinum cap. vlt. lib. vlt. de ciuit. Dei. Cùm autem Dominus quæreret, vbi eſſent leproſi cæteri, tacet Samaritanus, vtpote qui venerat ſuo functurus officio, non autem accuſaturus alios. Sed iacebat adhuc Samaritanus iſte humi geniculans, & adorans medicum ſuum: quapropter hominem tam modeſtum, & ſupplicem, benignè viciſsim affatur medicus. Euge (inquit) *Surge, & vade, quia fides tua te ſaluum fecit.*

Pſal. 88.

Satis mihi perſpecta tua fides, ſatis ſupplex animus, atque erga benefactorem me tuum gratitudo. Potes iam ire quo vis, cùm mihi ſis Abrahæ filius, repulſis Iudæis, qui beneficium meum agnoſcere nolunt. Magna eſt fides tua, quæ te ſaluum facit. Magna fides Samaritani: Nam Chriſto tantam credidit ineſſe poteſtatem, qua etiam peſtilentiſsimum morbum curare poſſet. Magna fides, quæ nec ſacerdotum ſuaſu, nec curatorum ſociorum exemplo, minui potuit. Neque enim dubium eſt, quin magnis perſuaſionibus impetitus fuerit ab alijs, ne Nazareno illi plus æquo fideret. Sed hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Sed conſidera quæſo (Lector amice) quibus rebus, aut quibus exemplis Samaritanus ille fidem ſuam manifeſtauerit. Dicam breuiter. Iacet ante pedes, non audet

ſurgere,

ſurgere,dubitatque quibus vocibus Ieſu laudes celebret.Iubetur igitur ſurgere, & cùm nollet Chriſtum relinquere, & in perpetuo eius eſſe conſortio, audit: Vade, quia fides tua te ſaluum fecit. Surgamus & nos fratres à peccatorum noſtrorum ſterquilinio, & in lege Domini ambulemus.

ANNOTATIVNCVLA
PRIMA.

Cùm ingrederetur quoddam caſtellum. *Græcè eſt, κώμη quæ vocula ſignificat vicum, pagum, aut ciuitatem.*

SECVNDA.

Steterunt à longè. *Diuus Cyrillus, & plærique alij Scriptores, per leproſos, hæreticos intelligunt. Auguſtinus autem ferè intelligit hæreticos. Quoniam varia eſt hæreticorum, dum vera falſis commiſcere gaudent, doctrina, quemadmodum & leproſorum varia eſt cutis, vt nobis apertè oſtendit D. Moyſes. Vbi etiam habetur quod ad Aaron ſiue ſummum ſacerdotem res referetur, & ad eius arbitrium ſeparabitur leproſus. Qui alios vel prauæ doctrinæ contagio, vel vita flagitioſa contaminant, ſeducunt, atque corrumpunt, ferendi non ſunt: Modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit. Leones clauduntur in caueis, ne noceant, vrſi in clathris continentur, ne dentibus, vel vnguibus cuique vim offerant: quid igitur vetat à Chriſtianorum conuictu arcere hæreticos? Atqui patres noſtri olim, cane peius & angue odiebãt. Imo & D. Polycarpus, D. Ioãnis Euangeliſtæ alumnus, referre ſolebat, Ioãnem Apoſtolũ aliquando in Epheſo iuiſſe lauatũ.* Leuit. 13.

Cùm verò intus vidiſſet Cerinthum, exilijt de balneo illotus, dicens ſe metuere ne balneum concideret, cùm intus eſſet hæreſiarcha, Cerintus veritatis inimicus. Prodidit id ſcripto Irenæus.

Tertia.

Nònne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? *Mira erat apud Iudaicum populum ingratitudo, vſqueadeo vt nihil à porcis diſtare viderentur, qui poma quidem arboribus delapſa, auidè deuorant, nec tamen vnquam vel oculos, vel caput ſurſum erigunt. Fidebant Iudæi ſuis cæremonijs, fidebant traditæ legi, quam non ſeruabant, vnde & plurima ſibi tribuebant, ſed fruſtra ſperabant, fruſtra ſibi de accepta lege blandiebantur, cùm in lege & prophetis, latentem Meſsiam nollent agnoſcere. Quapropter*
Sap. 16. *rectè in illos competit verbum Sapientiæ: Ingrati ſpes tanquam hybernalis glacies tabeſcet. Qui verò poſt remiſſa peccata Dominum rogant, vt gratiam in iuſtitia perſeuerandi obtineant, nec deinceps Sathanæ acquieſcant inſtinctibus, ſecuri ſunt: de præteritis quæ fletu diluerunt, ſolliciti vero de futuris. Quam ſollicitudinem vt leniant, conuertunt ſe ad melliſluum Chriſti pectus, quod nunquam ſugendo exhauritur. Vbera muliebria, etiam ſucci plena, exhauriuntur, vas vino plenum exinanitur, pectus verò Domini Ieſu perpetuò rorem diſtillat gratiarum.*

DOMINICA DECIMAQVINTA POST TRINITATIS EVANG.

Mathæi cap. 6.

NEmo poteſt duobus Dominus ſeruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet.

Miſerrimi hominum ſunt, qui relicto bono incommutabili, ad commutabile, & fortunæ alternantis viciſsitudini, ſe obnoxios, & addictos reddunt: quod nihil aliud, quàm teſtam auro, & vitrum præferre margarito. Væh omnibus Mammoniſtis, qui ſe pecuniæ ſubdunt, & ardorem ſceleratum habendi, in cordis hoſpitio collocant. Oportet nos ab Euangelio, atque à ſpiritu Dei non moneri ſolùm, ſed & moueri, vt repudio dato, cui plærique noſtrum fœdè, & indignè ſeruierunt, Mammonę, patri ſpirituum poſthac obſequamur, vel ad nutum. Quàm pudenda, quàm indigna ſeruitus, diuinum illud rationis animal, inanimatæ materiæ colla ſubdere, ſpiritum terræ ſupplicem eſſe, & eius imperium accipere? Beatus (ait Sapiens) Eccl. 24. qui non ſeruijt indignis ſe. Quid? an digna pecunia cui ſeruias? Prodigio ſimile eſt, quòd homo duobus, ijſq; inter ſe diſsidentibus & diuerſis dominis inſeruire velit. Spoſpõdiſti in baptiſmo Chriſto perpetuũ obſequium, quid igitur mutas ſententiã. Inſeruijt Polycarpus, Ioannis Apo. diſcipulus, Chriſto Domino, annis 86. tãta fide, tantaq; animi conſtantia, vt ne diẽ quidẽ vnũ effluere ſineret, quin Deum pro ſponſa

filij eius Eccleſia precaretur. Cùm autem à
Euſe.li.4. cap.15. iudice comprehenſus, inuitaretur ad nomen Domini blaſphemandum, prudenter reſpondit: Iam annos circiter 86, Domino ſeruiui, nec me re in vlla vnquam læſit: quomodo
Ierem. 10. igitur maledicere potero Regi meo? Pulchrè Hieremias: Quis non timeat te, ô Rex gentium? Tuum eſt decus, Inter cunctos ſapientes gentium, & in omnibus regnis eorum, nullus eſt tui ſimilis. Si nullus huic Domino ſimilis eſt, quæ impietas eſt, eo derelicto alios dominos quærere? Si decus, ſi gloria, ſi dignitas, ſi denique quicquid optari poteſt, in illo tanquam in fonte benigniſsimo inuenitur, quî fit, quòd ad alios heros reſpicimus? Certè nulla vſquam creatura eſt, quæ vnquam à Domino Deo ſuo, ac ab eius obſequio diſceſsit. Iam tot currentibus annis, inſeruierunt ei cum ſyderibus omnibus, ſol & luna, dum nobis lucem præbent: ſeruierunt, aër, mare, ac terra, dum ſui nobis vſum exhibent: & te (perfide homuncio) illi piget, pudetque obſequi? Dic mihi bona fide, ſi mundo, carni, ac diuitijs, vſque ad vitæ tuæ finem inſeruieris, quem fructum conſequeris? Nonne æterno traderis ſupplicio? Regina illa Sabæ, cùm miniſtros Salomonis, eorumque tam concinnum, & ele-
3. Reg. 3. gantem vidiſſet ordinem, exclamauit: Beati (ô Rex) ſerui tui &c. Sed quàm beati, qui ſeruiunt Regi illi, cui Salomon comparatus ferè nihil eſt? Videte (chariſsimi) quantum malum ſit, pecuniarum ſtudium, cùm & Dei ſeruitio nos excludat, cui ſuper omnes ſeruire & commodum

modum eſt, & neceſſarium. Affinis eſt huic quoque Paulina illa ſententia, qua auaritiam appellat idolorum ſeruitutem. Mammon verò, & Chriſtus, quemadmodum inter ſeſe maximè diſsident, ita quoque diuerſiſsima nobis dictant, imperant, & præſcribunt. Deus monet, egeno & pauperi elargiri pecuniam, conſulere fratri periclitanti, teque ipſum immaculatum cuſtodire, ab hoc ſeculo: Mammon imperat, vt vndecumque rapias, per fàs atque nefas etiam, corradaſque aliena, iubet veſtes parare præcioſas, quotidianis epulis, delitijſque diffluere, (breuiter) ſibi viuere, neglecto, vel deſpecto proximo. Ephe. 45.

Qui igitur ſe Mammonæ ſeruitio 'mancipauit, non poteſt eſſe ſeruus Dei. Totum ille requirit hominem, nec patitur tam ſordidi Domini conſortium. Solus vult eſſe ſponſus, ſola cùm tu ſis eius ſponſa, nec tecum hac in re communicant aliæ creaturæ. Quia cùm omnia in principio condidiſſet, tam erant anguſta, tam egena, vt nollet cum eis habere familiaritatis conſortium: ſed tanquam ad præſtantius, mentiſquam capacius altæ, animal reſpexiſſet, ait: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Sol habet eclypſim, flos marceſsit, metallum obducitur ærugine: anima verò, ſuo obſequens creatori, æterna, præclaraque habetur.

Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammoni.

Confer nunc mores Chriſtianorum, ad hæc Chriſti verba. Omnes ferè à minimo vſque ad maximum, auaritiæ ſtudent. Ierem. 6.

Quid tibi philargyre, quid tibi cum diuitijs temporalibus, cui æterna promiſſa ſunt? Quod nemo gentilium philoſophorum, non contempſit, hoc tu pauperis Chriſti diſcipulus, & ad longè meliorem vocatus conditionem, vt magnum quid admiraberis? Nihil tam extra nos eſt, quàm pecunia, nihil tam exiguam adfert commoditatem. Etenim ſi quicquid vbique eſt auri, tu vnus poſsideres: nunquid idcirco eſſes melior, ſapientior, aut prudentior? Si cum Mida Phrygiæ rege (ſi fabulis poeticis habẽda eſt fides) quicquid tangeres, verteretur tibi in aurũ, nihil es, niſi Deo ſeruias. Habet iſte Mammon ſua ſacra, ſuas oblationes, ſuum denique templum. Pecunia Deus tuus eſt, templum ſeu domus orationis eſt forum, vſura eſt victima, liber ratiocinationum ſunt biblia, ciſta eſt cœlum tuum. Quanta reuerentia hoc idolum pecuniæ colis? vix tangere audes plutum tuum, ſed *congeſtis vndique ſaccis,*
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Pannoſus incedis, trito, laceróue pallio, haud aliter, ac ſi ne teruncium quidem, aut obulum, domi tuæ haberes. Imo nonnunquam & ſitis affligit te: iaces verò cum Tantalo, ad fontem, nec vinum guſtare audes, ne quippiam è tanto demas aceruo. Quid ita tuum genium fraudas, miſerrime diues? Quæ hæc quæſo eſt inſania, cùm horrea tibi referta ſint tritico, nec edere ipſe vis, nec ſordidus, & parcus, pauperibus eſurie incredibili contabeſcentibus, quicquam elargiris, peior & inhumanior cane Æſopico,

qui in præſepi iacens, neque ipſe fœnum mandere voluit, & manducaturum equum, latratu, morſuque terruit. Sed quæ hæc eſt inuidia, quæ inſania? An ideo habes tot nummorum milia, non vt vtaris, ſed tantum vt aut numeres, aut ſerues? Sed quiſpiam dixerit: idolum iſtud candidum & purum eſt, quid enim purius eſt argento? Nolo id confeſtim negare, nolo diffiteri: ſed vide, an ne candidum iſtud, ſplendidumque argentum, maculas gignet nigras, ſi manu ſæpius, ac diutius contractetur. Accipe quæſo Dalerum, & candidiſsimæ papyro affrices, mentior, ſi non lineam nigram induxerit. Si idolum iſtud contaminet manus noſtras, ac veluti atra fuligine tingat notetque digitos: quid non nigroris inducit in animam dediti ſibi famuli: Exige igitur edibus tuis hoc idolum, & diſperge illud in ſinus pauperum. *Non enim potes Deo ſeruire & mammonæ.*

Omnes huius orbis opes, Deo noſtro collatę, vix vmbella ſunt reſpectu ſolis, vix gutta roris reſpectu dolij fragrantiſsimo vino pleni: & non pudet relicto Deo, ad idolum pecuniæ transfugere? Bona hæc temporalia vix punctum eſt, ſi bonis æternis conferantur. Miſeri (ait Seneca) punctum eſt, in quo nauigatis, bellatis, regnatis ab vltimis Hiſpaniæ littoribus ad Indos vſque, pauciſsimorum dierum ſpacium iacet, ſi nauim ventus ferat: at illa cœleſtis regio, velociſsimo ſyderi, per triginta annos viam præſtat. I nunc infœlix, & maleſuade homuncio, & ſacra auri fame ſtimulatus propter punctum perde regnum. Quapropter à creatura auertaris

neceſſum eſt,ſi ad Deum velis conuerti.Oportet te vacuũ eſſe terrenorum, ſi cœleſtibus impleri optes. Auerte (ait Auguſtinus) vt conuertaris, ſunde vt implearis. Sicut non coniungitur cœlum terra, ſed longiſsimè diſtat; ita in corde humano, cœleſtia terrenis non coniunguntur. Amat Deus noſter habere ſeruos proprios, & peculiares, atque omni ſeruitute creaturarum exemptos, & expeditos. Habuit Abraham vernaculos expeditos. *Ideo dico vobis, nolite ſolliciti eſſe, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus pluſquam veſtimentum?* Quid Domine, nùm prouidentiam damnas, num prudentiam humanam ſuggillas? An iniquum eſt, triticum in annum vnum (quod factitant plerique pij) recondere, cùm huius rei clariſsimum habeamus in Ioſepho patriarcha exemplum? Non omnẽ ſollicitudinem prorſus abdicari vult Chriſtus, ſed anxiam illam & immodicam, qua Dei erga nos prouidentiam, & benignitatem negligere videmur, qua arroduntur illi, qui vix ſomnum capere, præ inutilibus curis poſſunt: ſed ſeſe macerant, & penè conficiunt. Hi nunquam ſerio oculos ad cœlum dirigunt: imo dum in domo Domini, Deum adorare videntur, nihil faciunt minus, ſed vel corde in foro ſatagunt rerum, ementes, & vendentes, optantes vt ſacculi illis argento turgeant, aut in ciſta inter nummos verſantur, vt verè de illis dici poſſet; populus hic, labijs me honorat, cor autem eorum, longè eſt à me. Vſque adeo autẽ quidam ſolliciti ſunt circa temporalia bona, vt proram, & puppim

Aug. concione. 3. in pſa. 30.

Geneſ. 14.

Math. 15.

ſuæ

ſuę ſalutis, in his conſtituiſſe videri poſsint. Alij adeo deſpondent animum, vt ſe vitæ neceſſaria conſequi poſſe deſperent, vnde inanibus ſe curis perpetuò macerant. Sed dixeris: laborare oportet, præſertim cùm Adamo dictum ſit, In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo. & Iob 5. Homo naſcitur ad laborem, ſicut auis ad volatum. Alioqui ſi quiſpiam alimoniam ſperet, & laborem vitet, Deum tentare videtur. Qui fugit molam, fugit farinam. Laborandum, ſed ſine ſollicitudine. At vulgus conduplicat miſeriam ſuam, dum agit, & ſatagit: hoc eſt, laborans corpore, & animo. Serunt, ſed anxij ne prouenia: metunt, ſed anxij ne predo rapiat: condunt, ſed anxij ne peſtis aliqua vitiet, aut gurgulio exedat frumentum: ornant domum varia ſupellectile, ſed fures anxiè metuunt, ne quippiam ſurripiant. Id prohibet Chriſtus: Vult enim nos animo quieſcere. Qui autem de his externis perpetuo anxius eſt, ſecurus internorum, cùm Deo diffidere videatur, non ſatis rectè ei inſeruire poteſt: Nam quo tandem pacto, terrenus ſeruus, Domino ſuo probè ſeruiat: ſi de eius bonitate diffidat, ſi de prudentia eius, & liberalitate dubitet? *Nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus quàm veſtimentum?* Attende corpus ſimul, & animam, vtrumque eſt dignitatis immenſæ. Sed quis tibi vtrumque (citra tuam ſollicitudinem) eſt largitus? Nonne Deus? Quid igitur ambigis, quin Deus tibi ſit præbiturus minora, ſi hæc prçſtantiſſima, citra tuam curam, conceſſit?

Vide Tho. 22. queſt. 55. art. 6. & 7.

Geneſ. 3.

Iob. 5.

Reſpicite volatilia cœli, quæ non ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea,& pater veſter cæleſtis paſcit ea. Nonne vos pluris eſtis illis? Rubore ſuffundor, quoties cogito mecũ,nos eò degeneraſſe,vt ratione præditi irrationaliũ animantium exemplo ad pietatem exſtimulari debeamus.Quid? tam inſcius, & conſilij inops homo eſt, vt à brutis diſcere debeat? Factus eſt homo ſapiens ad imaginem Dei ſapientiſsimi, & volucres cœli habebit magiſtras? Quin & famulus tuus Domine,rex Solomon,vbi pigreſcimus ,ad formicas nos mittit. Vade ad formicã (ait) ò piger ,& diſce ab ea, quæ cùm non habeat ducem ,congregat æſtate quæ hyeme comedat. Poſſumus ferè ab omnibus volucribus virtutum exempla ſumere.Hier.8.ad miluum, turturem,hyrundinem,& ciconiam mittimur, vt cognoſcamus tempus viſitationis noſtrę.Eſt in exemplo ciconiæ peculiare quiddam ,quod vtinam filij omnes alta mente recondant. Refert enim Iulius Solinus ciconiam parentes ſenio affectos educare,& alere.Si igitur Deus volatilia paſcit,quæ non ſeminant,quantò potius paſcet vos ſeminantes.Poterat Chriſtus exempla ducere à Moyſe,& Elia,quos ipſe miro modo pauit olim: Verùm conſultò illos præterit, ne quis dicat ſe longè eſſe ab illorum pietate, longè ab illorum integritate , atque idcirco ſe non paſcendum à Deo ſuo. Itaque auium meminit,vt ſpem noſtram fiduciamque in eum collocemus ,præſertim cùm nobis Deus pater ſit , deinde longè ſimus volucribus præſtantiores. Eſt igitur hæc Chriſti ſententia, cùm patrem

Geneſ. 2.
Prouer. 6.
Hier. li.8.
Solin. 15.

trem habeatis Deum, tanta benignitate proſpicientem omnibus, etiam minutis creaturis, non eſt quod metuatis, quòd vos deſtituat. An vnquam pater deſtituit liberos ſuos, dum veſte aut cibo indigent? Hoc non ignorauit D. Petrus Apoſtolus, dum ſcriberet, & moneret: omnem veſtram ſollicitudinem proijcito in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Paſcit aues, & non paſcet filios? Quis vnquam vel legit, vel audiuit patrem aliquem filios fame potius emori permiſiſſe, quàm pauerit? Indignum ſane eſſet tanto patre, filios inedia mortem oppetere. Eſto, nihil ſit in toto orbe tritici quo nos ſuſtentet, lapidibus potius imperabit, vt panes fiant, quàm moriamur. Non ſinit pater noſter cœleſtis coruos fame interire, & nos ſinet? Deus dat iumentis eſcam eorum, & pullis coruorum inuocantibus eum: fertur coruus nõ agnoſcere pullos, dum implumes ſunt, quapropter Deo interim curæ eſſe debent, niſi velit eos mori. Quòd ſi ad nigros coruos eius ſe bonitas extendit, negliget ne filios ſuos, quos ſanguine ab omni mortis fuligine dealbauit, ita vt cum niue de candore, aut cum cigno contendere poſſent? Rex Dauid inter arma verſatus, militem Amalechiten, hoc eſt, allophilum, & alienigenam, cùm iam fame vrgente ferè animam exhalaret, adhibito pane, vuiſque paſsis ſuſtentauit, & nos non hercle alienos, ſed filios, & fratres, fame, & inedia ſinet interire? Porro auium potius quàm aliarum beſtiarum meminit, quia hæc ſint minima animalium, vel quia hæc maximè à ſollicitudine vi-

1. Petri. 5. *Math. 4.* *Pſal. 146.* *1. Reg. 22.*

dentur libera, occupata circa cantum, & veluti obiter cibum ſumentia: fortè auium meminit,vt earum exemplo leuibus meditationum alis ſublati, cœleſtia petere diſcamus, relictis hîc veluti in valle, rebus, deſiderijſque terrenis. Agros habes, vt in ijs ſemines & metas, vt inde in horrea congreges, ſed Deus tuus, qui te in agro creauit, vult te in agris laborare ſine ſollicitudine. Semina, mete, congrega, pinſe, ſed ſine anxijs & nihil profuturis curis. Tu arabis, ſudabis, algebis, & laborabis, ſed Deus, quia pater eſt, te paſcet, modò filiorum naturam, & ingenium referas. Paruuli enim ita fidunt patri, vt omni cura exuti, ad illum vnum reſpiciant, & clament. Si roges puerum, quis tibi dabit tunicam? reſpondent, pater meus. Quis cibum dabit? pater. Quis potum? pater. Quis pecuniam dabit? reſpondet, Sino patrem iſthæc curare. Ego ſuſque deque feram, quicquid ille mecum egerit.

Quis autem cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?

Vides Lector, quòd non ſolùm diffidentiæ, ſed etiam ſingularis ſit vanitatis, viuo patre cœleſti, nimium diſcruciare ſeipſum propter cibum, & potum, quaſi hæ curæ faciant ad rem aliquid. Quid? etiam ſi cogitatu anxio te noctes, dieſque affligas, nunquam eò promouebis, vt cubito vno procerior ſis futurus. Cùm igitur nemo queat ſollicitudine maxima, rem hanc minimam ſibi parare, quid fruſtra rerum ad victum pertinentium cura nos conficimus? Non eget corpus cura aliqua, vt excreſcat in altitudi-

altitudinem, ſed cuiuſque corpus etiam ne cogitante quidem ipſo, ſtatis auctibus creſcit vſque ad præſcriptam à Deo magnitudinem. Siue curā abijcias, nihilo breuius habebis corpus; ſiue cura diſtorquearis, nihilo habebis procerius. Imò fit nonnunquā, quoniā plurimū tribuimus noſtræ ſollicitudini, minimum verò diuinæ prouidentiæ, vt malignè arua reſpondeant ſudoribus, & expectationi agricolarum. Hinc Aggeus propheta: Seminaſtis multum, & intuliſtis parum &c. Sequitur ratio. Domus enim mea deſerta eſt, quia feſtinauit vnuſquiſque in domum ſuam. Agg. 1.

Et de veſtimentis quid ſolliciti eſtis? conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, quòd neque Solomon veſtitus eſt, ſicut vnum ex his.

Animalibus ſua agnata ſunt veſtimenta & congenita. Nam plæraque è ventre matris ſecum afferunt, cibus verò à creatore illis ſuggeritur. Non laborant, neque nent. Alterum propter viros, alterum, propter mulieres dicitur, vt vterque ſexus ab inani arceatur ſollicitudine. Liliorum verò inducit exemplum, quòd hæc inter flores omnes ſingularem habeant gratiam, & decorem, addo & ſingularem odorem. Appoſitè autem dictum eſt Lilia agri, quòd hortenſia illa non nihil obtineant (vti videri poſſet) curæ humanæ. Sed ſcrupulus vnicus eſt. Cur cùm ſermo ſit de veſtimento, quomodo verba facit de augmento, dicens, quomodo creſcunt. Reſpondeo, quòd voculam, creſcunt, propter

propter folia poſuit, quæ horum vnicu ique ſunt indumentum. Solomonis verò meminit, & non aliorum regũ: quia nunquam fuit in Iſrael rex tam glorioſus, & elegans, vt ipſe fuit, ſingularis pulchritudinis amator, & ſtudioſus inquiſitor, vti de ſe teſtatur Eccleſiaſtes cap. 2. Neque tamen Solomon ad florum colorem accedere potuit. Reuera (inquit D. Hieronymus) quod ſericum, quæ regum purpura, quæ textricum pictura poteſt floribus comparari? Quid ita rubet vt roſa, quid candet vt lilium? Violæ autem purpuram nullo ſuperari murice, oculorum magis, quàm ſermonis iudicium eſt: Imò, vt ſcribit Chryſoſtomus, quantum diſtat à veritate mendacium, tantum regum amictus, & florum diſcrimen eſt. Verùm hæc comparatio florum, cum Solomonis cultu non tantum valet ad excutiendam veſtium ſollicitudinem, ſed etiam ad comprimendam earum immodicam ſuperbiã. Quid enim de veſtitu ſe iactat homo, cùm à viliſsimis, & vulgo etiam obuijs floribus ſuperetur? Quapropter damnandus is veſtium luxus, quo philocoſmi admodum tument. Non ſufficiunt lanea, non ſatis ſunt linea, ſed ſericum villoſum, ac carmeſinum, quod coccum appellant, paſſim homines ſitiunt, tantaque eſt varietas, & ambitio, vt dicere etiam pudor ſit. Quibus veſtiti ſunt Adamus & Eua parentes noſtri? Quibus Ioannes Baptiſta? Quibus Paulus primus eremita? Poſtremus iſte ſibi tunicam parauit ex frondibus palmæ: cuius tunicæ, dum heredipeta eſſet, ceſſit beato Antonio, dum animam agenti Paulo adeſſet, quam ſanè tanti eſſe precij

precij arbitratus eſt, vt regum etiam purpuræ præferret. Pulchrè D. Hiero. de hac veſte ſcribit: verba eius, quòd elegantia ſint, ecce aſſcribo. Lubet (inquit) vos interrogare, qui vno filo villarum inſuitis prædia, huic ſeni Paulo quid vnquam defuit? Vos gemma bibitis, ille naturæ concauis manibus ſatiſſecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille nec viliſsimum veſtimentum habuit mancipij veſtri, ſed illi pauperi paradiſus patuit, vos auratos gehenna ſuſcipiet. Ille veſtem Chriſti nudus ſeruauit, vos veſtiti ſericis indumentum Chriſti perdidiſtis. Paulus viliſsimo puluere coopertus iacet, reſurrecturus in gloriam, vos operoſa ſaxi ſepulchra premunt cum veſtris opibus, & veſtibus arſuros. De Solomonis regis gloria & maieſtate, legis 3. Reg. cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & 2. Paralypom. cap. 9. Quin in orbe toto nemo vnquam rex glorioſior fuit Solomone. Porro nullus pictor poſſet minimum orbis totius florem pingere, qui veris & genuinis floribus par ſit. Vnde ſequitur flores elegantiores naſci, quàm pingi. Solomon ſerico, purpura, auro, argentoque veſtitus erat, ſed lilia venuſtius à creatore ſuo condita ſunt, addito grato odore. Opera tamen hominum manibus, & induſtria facta laudant, celebrantque omnes, Dei verò opera nemo miratur, aut ſuſpicit. Si nuptiæ vſquã ſunt ſolennes, ſpectatum vadis veſtes oſtro, muriceque perfuſas, vade potius apricatum, & conſidera quibus coloribus Deus agrum depinxerit. Nihil enim tam elegans præſtare poteſt hominum cura, quàm præſtat ipſa naturæ prouidentia. *Si autem fœnum agri,*

Hieron. in vita Pau.

agri,quod hodie eſt,et cras in clibanũ mittitur,Deus ſic veſtit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſollicisi eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter cœleſtis, quia his omnibus indigetis. Contemplare quæſo te, pauliſper fœnum agri,& inuenies ineffabilem elegantiam. Percontare deinde quid ſit, dicet ſe eſſe fœnum, quod clibano incendendo aptum ſit. Imò reſpondebit creaturam ſe eſſe, atque famulam tuam,tui gratia conditam. Diſce igitur Deo patri tuo confidere, nam ſi rem deciduam,atque adeo vilem ſic induit, ac tanto nitore amicit, quanto magis vos?

Pronomen, vos, hîc eſt honoris demonſtratiuum, acſi dicat: Longè magis vos veſtiet, qui eſtis pretioſa eius poſſeſsio, propter quos totum mundum,& omnia quæ in eo ſunt,condidit:quos non creauit, vt breui tempore ſubſiſteretis, ſed vt æterni ſitis, & cum eo fœlices perpetuo regnetis. Obſeruandum verò in his exemplis florum,& auium,Chriſtianæ pietatis eſſe,à creaturis nõnihil nos poſſe diſcere,eamque contemplationem eſſe multo iucundiſsimam. Id pulchrè oſtendit D.Auguſtinus lib.10. confeſſ. cap. 6. Operæ pretium & D. Proſperum hîc audire. Cælum(inquit)terra,& mare, omniſque creatura,quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem,vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum,de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem imbueretur ſui opificis,

Proſ.li.2. de vocatione gentium ca.4.

ficis. Et ſub finē capitis. Ipſa totius mūdi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues, & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbentur, vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis & publica diuinæ inſtitutionis doctrina legatur. Cœlum igitur, mare, & terra, omniaque quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ concentu proteſtantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maieſtatem ſui loquuntur auctoris: & tamen maximus hominum numerus hanc legem non intellexit. Quod ergo in Iſrael per conſtitutionem legis, & prophetica eloquia gerebatur, hoc in vniuerſis nationibus totius creaturæ teſtimonia, & bonitatis Dei miracula ſemper egerunt. Hactenus Proſper.

Scit pater veſter cœleſtis &c.

Quidni illi patri fidam? Ille pater eſt, ego filius. Ille abundat, ego egeo: Ille tribuit, ego accipio, quantum & quoties ille vult. Neque multis egeo ad tollendam neceſsitatem.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum. Horatius.

Ait & alibi poeta:

Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Quid opus tibi amplis opibus, quas hinc diſcedens es relicturus? Nudus egreſſus es de ventre matris tuæ, nudus reuerteris illuc. & Iob. 1.
Apoſtolus: Nihil intulimus in hunc mundum, nihil efferemus hinc nobiſcum.

Linquen-

Linquenda tellus, & domus & placens
Vxor, neque harum quas colis arborum
Te præter inuiſas cupreſſos
Vlla breuem Dominum ſequetur.

Ambroſ. in Lucam Indecorum eſt (ait D. Ambroſius) homines curare de cibo, qui militant regno. Scribit & beatus Nilus Epiſcopus.

Nilus

Quid tibi cum terra, qui cœlum optas?

Hæc enim omnia gentes inquirunt &c.

Qui nullam in futuro ſæculo habituri ſunt vel micam, vel guttam, nihil mirum, ſi hîc cupiant ſaturari. Qui enim non habent in terra promiſſionis panem, deſcendunt pro cibis in Ægyptum. At nos quibus parata eſt in cœlo menſa, quibus diſpoſuit pater regnum, vt edamus, & bibamus: quibus ea parata ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, cur hîc cepis, & allijs, & Ægypti carnibus ſaturemur? Habeant gentes, fruantur his gentes, nobis, quibus non eſt ſeruilis conditio, æterna tandem dabitur hæreditas. *Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Geneſ. 42. *Pſal. 22.* *Lucæ, 22.*

Maius enim quiddam agitis, quàm vt leuium, & fluxarum rerum cura conueniat auocari. Prima cura ſit eius rei, eiuſque boni, ad quod iſta collata nullius ſunt momenti. Inſtaurandum eſt regnum Dei, hoc eſt, ante omnia quærite, vt ſitis apti regno Dei poſſidendo, quomodo manifeſtum eſt Auguſtinum intellexiſſe. Vel ſic. Date cum primis operam, vt Deus quàm latiſsimè regnet in vobis, quod & de proximo optare debemus, vt ille etiam Ieſum coronet in pectore ſuo, omneſque vires ei ſubdat, pulſis,

profligatiſque, quæ prius ei imperabant, deſiderijs, & voluptatibus. Quoniam verò meritis, pijſque operibus regnum Dei tribuitur, adiungit, *Et iuſtitiam eius*. Iuſtitiam, quæ eſt virtus generalis, appellat virtutes, & bona opera, ac obſeruantiam præceptorum, quibus cœlum non ſolū redditur, ſed & debetur ex vi promiſsionis Chriſti, qui tamen & ſua interim etiā merita in nobis coronat. Eſt igitur iuſtitia, qua coram Deo iuſti ſumus, per fidem videlicet, & diuinorum mandatorum impletionem.

Et hæc omnia adijcientur vobis, Adijcientur cibi, potus, & veſtis, tanquam res minoris ordinis, & dignitatis, quæ omnia potius auctarium, quiddamque adiectitium ſunt, quàm munera, aut dona. Vnde non ait, hæc omnia dabuntur vobis, ſed adijcientur (vel vt Græcè legitur προστεθήσεται, id eſt, apponentur) ne horum temporalium ſuppeditatio videretur eſſe merces patriæ, & non potius ſolatium viæ. Acceſſoria enim ſunt, & accidentia, quę nobis hic adijciuntur temporalia.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ. *At dicet quiſpiam, animam non egere cibo, cùm ſit incorporea. Reſpondeo, quòd Dominus hæc communi more eſt elocutus, quia etſi anima cibis non egeat, tamen vt in corpore permaneat, alimentis eget à corpore ſumptis. Vel ſecundum Auguſtinum, anima modò ſcripturæ & phraſi Hebraica pro vita ponitur, quemadmodum & in illo; Qui amat animam ſuam, perdet eam.*

SECVNDA.

Nolite ſolliciti eſſe. *Sollicitudo in hoc Euangelio Græcis eſt merimna, quod ſignificat curam anxiam & inquietam. Vnde M. Cicero lib. 4. Tuſ. Quæſt. ait: Sollicitudo, eſt ægritudo cum cogitatione. Eſt igitur hic dictio μεριμνάω, quod propriè ſignificat corde anxium eſſe ob rem aliquam.*

TERTIA.

Quis veſtrum poteſt cogitando, *Græcis eſt μεριμνῶν, id eſt, ſollicitus exiſtens, vel anxiam ſollicitudinem gerens.*

QVARTA.

Cubitum vnum. *Quanquam homo nec palmum, imò nec digitum addere poſsit, tamen cubitum dicit, eò quòd propriè menſura ſtaturæ ſit cubitus. Omnis homo ſuorum cubitorum quatuor habet in longitudine, & quatuor in latitudine.*

QVINTA.

Fœnum agri. *Fœnum ex ſcripturæ conſuetudine pro gramine poſitum eſt. Dictio Græca eſt χόρτος, quæ vocula ſignificat gramen, fœnum, & herbam.*

SEXTA.

Modicæ fidei *Græca habent ὀλιγόπιστοι, hoc eſt, parum fidentes.*

SEPTIMA.

Dico vobis, quòd neque Solomon. *Si Solomon ſapientiſsimus fuit, cur non ex lilijs potiùs veſtimentum fecit, quàm ex gemmis & auro? Reſpondeo, quod oculos ita nobis faſcinauit cupiditas, vt non ea quæ verè pulchra ſunt, talia eſſe credamus, ſed quæ apparent. Sic deformiſsima mulier cupido amat*

amatori formoſiſsima videtur. Et Cottæ Ciceroniano luſci cuiuſdam pueri oculi pulchriores viſi ſunt, quàm nobiles Veneris oculi. Ita & auaris veſtis ex auro pulchrior videtur, quàm lilia campi. Eleganter Ambroſius taxat auaros, quia lubentius ſpectant aurum quàm ſolem.

DOMINICA DECIMASEXTA POST TRINITAT. EVANG.

Lucæ cap. 7.

IBat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo Diſcipuli eius. Vtinam noſtrę deambulationes tales eſſent, quales fuerunt Domini Ieſu. Patriam ſuam tanquam pater patriæ, ſurſum deorſumque permeabat: & tanquam medicus, cùm vbique eſſent ægri, & infirmi, vbique miſeris ſui copiam faciebat: imò & non rogatus vltro adeſt, & cùm nihil nummorum ob data pharmaca reciperet, ægros viſitabat. Apes non redeunt ad aluearium ſine melle, neque aues, niſi cum eſca pro pullis ad nidũ reuolant: ſic nos ambulantes, non debemus redire ſine fruge & fructu. A Capharnaũ, vbi Centurionis puerũ curauerat, venit Naim. Sita eſt autem Naim (ſi Topographis fidem habemus) duobus milibus à Nazareth, à latere montis Hermon. Perpetuò ferè habet medicus iſte ſuos ſecum pueros, qui lateri eius hęrebant, quos iam parabat pedetentim ad munus Apoſtolatus capeſcendum, vt oculati teſtes voce, & lingua omnes, calamo quidem eius geſta

perſcriberét,ac veluti in faſtos referrent legēda
Ioan.13. orbi. Hinc ad eos præceptor: Vos (inquit) teſtimonium de me perhibebitis, quia ab initio mecū eſtis. Quò igitur latius ſpargeretur Euangelicæ ſemen doctrinæ, Ieſus frequenter aliunde aliò commigrabat. *Ibant cum eo Diſcipuli, & turba copioſa plebis.* Quid ni ſtellę comitentur ſolem ſuum, vnde quotidianum lumen hauriebant? Si genuinus Chriſti diſcipulus & eſſe, & dici velis, tibi ſequendus eſt Chriſtus. Cùm verò diſcipuli ſequuntur,& Apoſtoli, tum plebs quoque fit obſeruantior æqui, ac reſpicit ad veſtigia ſacerdotum, & Eccleſiæ præfectorum. Sed nunc omne caput languidum,& omne cor merens, à planta pedis, vſque ad verti-
Eſaiæ 1. cem non eſt in eo ſanitas. Ah quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, & diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite om-
Thren. 4. nium platearum. *Quum autem appropinquaret Ieſus portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur fi-*
Pſal.33. *lius vnicus matris ſuæ.* Prope eſt Dominus ijs, qui
Philip.3. tribulato ſunt corde. Dominus prope eſt, nihil ſolliciti ſitis. Effer mortuos ô Syon, effer mortuos tuos ô Eccleſia. Tutum,& conſultū eſt efferre animam obſcuris peccatorum tenebris, denſaque caligine merſam, ad veram noſtram lucem, qui eſt Ieſus animarum medicus. Mos autem Iudæis erat, extra vrbes, & oppida ſepelire defunctos. Ita Chriſtus in horto eſt Nicodemi, & Ioſephi virorum patritiorum opera inhumatus. Id autem fiebat arcano myſterio, vt oſtenderetur animas patrum teſtamenti veteris, non admitti ad cœlum, ſed in ſinu Abrahæ tantiſ-

peg

per debere requieſcere,donec Chriſtus claue crucis ſuæ cœlos patefeciſſet.Et vt corpora ab vrbibus, ita animæ à cœlo excludebantur,donec Chriſtus captiuam educeret captiuitatem.Reuerend iſſ. Gandenſis,D. Ianſenius,Iudæos non conſueuiſſe defunctos ſepelire in monumentis vrbanis,ne contaminarentur,videlicet propinqui ciues.Maximè autem ſepeliebantur in mõtibus , & deſertis locis, vbi ferè vnaquæque familia ſuũ habebat ſepulchrũ peculiare,vel effoſſa humo,vel in rupe exciſum. Alij deligebãt ſibi in hunc vſum ſpeluncam aliquam , quam excauabant.Tantam autem ferè habebat ſepulchrum longitudinem & latitudinem, vt multi erecti illud ingredi poſſent,& multi vnà ſepeliri,quemadmodum liquet ex multis S. Scripturę locis: Legimus Regẽ Ioas multa ſepulchra vidiſſe in monte, vnde nemini mirum videri debet, ſi quidam dæmoniaci ſcribantur in monumentis habitaſſe, idque in montibus , & in deſertis locis. Multas autem ob rationes flebile hoc funus erat.Prima eſt, quòd adoleſcens vita fuerit ſpoliatus.Mixta ſenum ac iuuenum denſantur funera, nullum ſæua caput Proſerpina fugit.Sic homo quaſi flos egreditur , & conteritur, & fugit velut vmbra. Auget etiam maternum fletum , quòd vnicus fuerit , imo vnigenitus: Græca enim habent μονογενὴς. Vnde non parum doluit , quod iam deſtituta viro, vnicum haberet filium, cui anxias pectoris ſui curas recluderet: ſed eo è viuis ſublato, omnis ſpes poſteritatis , omne capiundi ab eo ſolatij deſideriũ extinctum vnà eſt.Efferebatur

Ephes. 4. *4. Re. 23.* *Matt. 8.* *Hora. lib. 1. Ode. Ode. 28.* *Iob 4.*

defunctus, imò potiùs offerebatur pio IESV
conſpectui, vt miſericorditer ab illo reſpicere-
Eſde. 63. tur. Vbi iam eſt zelus tuus, vbi viſcerum tuo-
rum multitudo? Nunquid ſuper his continebis,
& affliges nos vehementer? Quid fonti vitæ
aliud offerri poteſt, quàm mortuus? Cogita &
te aliquãdo efferendũ ô ſuperbe cinis. Quid igi-
tur moliris, quid inſanis, quid ſpes tuas in
multos annos extendis? Puluis, & vmbra ſu-
mus. *Defunctus efferebatur.* Ecce ſpectaculum
mortis. Egregium profectò, & omnium mor-
talium oculis exponendum ſpectaculum, egre-
gium, inquam, quod peccatum ferè, atque in id
properam, ſtudioſamque voluntatem reſtrin-
git. Vides mulierem luculẽta forma, tecum co-
gita, & te & illam morituram eſſe: cogita qua-
lis erit poſt obitum, cùm vermes membra om-
nia exarabunt, oculos effodient, latera tun-
dent, viſcera erodent, & breuiter nihil effici-
ent, niſi vile ſterquilinium. Amas aurum, argen-
tum, gemmas, oſtrum, & purpuram, ſed hæc
omnia deſerent poſſeſſores ſuos. Quapropter
Philoſophi ferunt, ſapientis vitam nihil eſſe
aliud, quàm ſeriam mortis meditationem. Ale-
1. Mach. 1. xander Magnus, vt legimus, cùm iã diu dulci
fortuna ebrius, vſqueadeo, vt ſe immortalem
ac Superis parem dici vellet, à morbo atten-
taretur, cognouit ſe eſſe mortalitati, ac com-
muni hominum ſorti obnoxium. Quòd ſi antè
feriò ſe aliquando moriturum fuiſſet medita-
tus, non tam impotentis iræ fuiſſet, neque ita
ebrietati frena laxaſſet. Mea ſic eſt ſententia:
non ita panẽ præ alijs alimentis ad vitam pro-
ducen-

ducendam eſſe neceſſarium,vt mortis meditatio præ alijs pijs exercitijs animæ vtilis eſt. Quid verò de his dicam, qui,tantum abeſt, vt ſerio de morte meditari velint,vt etiam ne nomen quidem eius audire ſuſtineant? Hi profectò mihi de exilio patriam, de lachrymarum valle Paradyſum facere videntur. At diuus Job, cùm mortis ſimulachrum, veluti ante oculos depictum haberet, nulla de re frequẽtius,quàm de morte, mortiſque ſupellectile loquebatur. Nam putredini (inquit) dixi, pater meus es, *Iob. 17.*
mater mea, & ſoror mea vermibus. Fuerunt, qui domi ſuæ libitinam affabre factam ſeruarent,vt mortis exuuias perpetuo in conſpectu coram haberent. Alij caluariam humanam obiecto vitro,tamen in abaco ſuo collocabãt,qui virginibus quibuſdam & viduis ſeorſim extra mũdi ſtrepitum agentibus,mos eſſe ſolet: Imò caluariã huiuſmodi loco ſpeculi ſibi eſſe aiunt: Apud Conſtantinopolytanos quoque ſolennis olim conſuetudo fuit (vti annotauit Paradynus) vt Imperatori primo inaugurationis die *Paradin.*
varij lapides afferrentur à cementario: qui deinde recens initiatum principem rogabat, ex quonam lapidum genere ſepulchrum ſibi parari cuperet.Quod proculdubio eo fiebat conſilio, vt mortis memoria præpoſita, ſe nequaquam ſupra communem cæterorum mortalium conditionem efferret, atque immaniter in ſubditos ſęuiret.Non abſimile eſt,quod in eadem vrbe iam olim egit D. Ioannes Epiſcopus, quem à largitate in pauperes,eleemoſynarium appellant. Is quidem monumẽtum ſibi,iam ad Epiſcopa-

ſcopatum aſcitus, parari fecit, ſed imperfectum eſſe voluit, vt in ſolennibus diebus, famulus ad id munus delectus accederet, ac moneret extremã manum addi debere, quippe cũ ignoraret, qua hora dominus eius venturus eſſet. Postremo, & Põtifici Rom. dũ olim inauguraretur, deligebatur quiſpiam, qui ſub inaugurationis horam ſtuppam admota candela accenderet, clamaretque, Sanctiſsime Pater, ſic tranſit gloria mundi. *Filius vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat.* Omnia erant plena luctus, plena horroris, & mœroris. Inhonorus erat lectus, in quo mortuus iacuit exporrectus, domus erat funeſta, quique libitinam, & ſupremum comitabantur honorem, lachrymis indulgebant. At mater ſingultibus, gemitu ac denſis fletibus ora deturpabat. Nec mirum. Omnia enim horrori ſunt, & mœrori, quando de morte agitur. Quòd ſi mortem hanc corporalem cum morte animæ conferre velis, nihil eſt iucundum, nihil non horridum, & inamenum, vbi anima peccato mortali obnoxia facta eſt, quę niſi vi occurrentis miſericordiæ diuinæ ad vitam reuocari non poteſt. Quapropter fœlix fuit, ac frugifer tum matri, tum defuncto adoleſcenti Ieſu occurſus. Semper autem & occurſus, & obtutus Ieſu fœlix & fauſtus eſſe conſueuit.
Matt. 8. Occurrit aliquando dæmoniacis in regione Gerazenorum, & curati ſunt. Vidit Petrum &
Math. 4. Andræam in naui, & inſtituit piſcatores hominum. Vidit publicanum nomine Leui, & ex
Ioan. 5. publicano fecit Apoſtolum. Vidit in probatica piſcina hominem paralyticum, & mox ſanita-

tem cōtulit. Sic & modò. *Cùm Dominus vidiſſet viduam, miſericordia motus eſt ſuper eam.*

Arbitror ego,& hac tēpeſtate,vbi calumniatorum omnia plena ſunt, Dominum Ieſum ſuper viduis miſericordia tangi.Quid enim? Opprimuntur, vexantur, ſpoliantur, exenterantur, vſque adeò,vt clamor earum etiam ſydera ipſa feriat. Nónne lachrymæ viduæ ad maxillam eius deſcendunt,& exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt *Eccleſ. 35.*
vſque ad cœlos, & Dominus exauditor, non delectabitur in illis.Quapropter monet Dominus. Viduæ & pupillo non nocebitis, ſi leſeri- *Exo. 22.*
tis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum,& indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ,& filij veſtri pupilli. Vindex enim eſt Dominus oppreſſorum, & miſerorum, & iuſta vltione par pari referens calumniatores viduarum aufert ex humanis, veluti vita hac indignos, vt & infœlices eorum coniuges maritorum ſuorum inhumanitatem, imò atrocem in pupillos, & viduas immanitatem luere cogantur, dum in ſimiles carnifices, ac tyrannos incidunt. Tum lachrymis, & multo gemitu non tam ſuam calamitatem, quàm maritorum impietatem deplorant, quia ſi illi, dum viuerent,in viduas fuiſſent æquiores, non ita ſuperſtites viduæ eorum cum paruis liberis agitarentur nūc,diuexarenturque.Quādo itaq; Dominus vbiq; tot malorū ob viduarū ærumnam,ac miserā ſortem,in noſtrū genus incumbere, & veluti agmine facto ingruere cernit,

miſeri-

miſericordia mouetur. Quid igitur? Faciet quod
Pſal.145. Propheta Dauid cecinit: Pupillum, & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet. *Dixit illi: Noli flere.* Vides Lector, quàm promptè & lubenter ſuccurrat viduæ. Non enim expectat preces maternas, ſed vltrò accurrit, verbis placidis, ægrum eius animum ſuſtentans. Luctum mox ſpe reſurrectionis temperans, flere (inquit) noli mortuum, quem rediuiuum iam iam es receptura. Natura verò docet flere mortuum, ſed mediocrem decet eſſe luctum, ob cer-
1.Theſ. 4. tiſsimæ reſurrectionis ſpem. Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini ſicut & cęteri, qui ſpem non habent. Venuſtiſſimæ & huic ſententiæ affinis eſt ſermo ſapientis. Modicum, ait, plora ſuper mortuum, quo-
Eccl.22. niam requieuit, Item, ſupra mortuum plora, quia defecit lux eius. Cùm reſpicimus fratrem ex hoc vitæ ſtadio deceſsiſſe, ac lucem, qua fulgente, varias ſibi coronas parare potuit, reliquiſſe, lachrymis iure optimo indulgemus. Vbi verò ab altera parte illum multis iam eſſe periculis ereptum, & à fluctibus in quietis portum receptum intuemur, congratulamur, cùm ærumnoſæ vitæ portus, mors ſit alioqui, quietem illi diu exoptatã inuidere videbimur. Sed quid opus eſt tam prolixo luctu, aut in quem vſum tam aſsiduæ lachrymæ? Num fletu mortuos reuocare poſſes.

Cùm ſemel intrârunt infernas ſtamina leges,
Non exorato ſtant adamante fores.
Proper. libro 4. *Te licet orantem fuſcæ Deus audiat aulæ,*
Nempe tuas lachrymas littora ſurda bibent.

Si lice-

Si liceret (ait Sophocles) lugendo mederi ma- *Sophocles.*
lis, & flendo mortuos reuocare, aurum ſanè
vilius fieret fletu. Dauid vbertim, dum illi par-
uulus grauiſsimè ægrotaret, fleuit: vbi verò in
fata conceſsit, lota facie, prodijt, dicens: Nun-
quid potero eum reuocare amplius? Ego va- *2. Reg. 12.*
dam potiùs ad illum, ipſe verò non reuertetur
ad me. Quod ſi lachrymis quicquã proficeretur
pro parentibus, filijs cariſque coniugibus, vel
omnia membra inuitaremus ad fletum. Ioſeph *Geneſ. 50.*
patriarcha fleuit patrem mortuum, ſed mode- *2. Reg. 1.*
ratè, ſic Ionatham Dauid, filij Iſraël Moyſen. *Deut. vlt.*
Denique & Criſtus fleuit Lazarum. *Noli flere.* *Ioann. 11.*

Acſi dicat, non eſt ô lachrymoſa mater fi-
lius tuus mortuus, ſed dormit, fleant quarum
filij ita mortem obierunt, vt perpetuò ſint mor-
tui futuri, ſed natus tibi viuæ viuus redditur ad
ſolatium, & gaudium. Mira confeſtim hîc cer-
nes. Verbum iſtud *Noli flere* vnuſquiſque di-
cere poſſet, at ita dicere, vt reſurrectio, pulſa
morte, ſequatur, neſcio an quiſquam præſtare
queat. Quod ſi te aliquando, beneuole auditor,
vidua accedat, ac nullo queſtu ſuã deploret ca-
lamitatem, commoueare miſericordia, & ſer-
mone blando conſolare, dicitoque: Noli flere,
noli querulari, noli animum deſpondere di-
lectiſsima ſoror, facilè medebimur vulneri,
quod te tam malè torquet, exanimatque. Me
vide totus quantus quantus ſum tuus, ſum imò
vel conſilio, vel auxilio, vel re ipſa iuuero: hu-
iuſmodi verbis animandę iuuandæque ſunt vi-
duę. Non potes miraculo ſuccurrere, vti hîc
Chriſtus, ſed verbis, & elemoſyna adiutare po-

ter.

tes. *Et accedens, tetigit loculum.* Loculus dicitur, veluti paruus locus, quòd poſt mortem nihil,niſi quod putre hoc cadauer capiet, nobis ſuperſit. Hinc deteſtanda ambitio, & ſtudium pecunię,cui nunquā eſt ſatis.Nunquam ne ſatis agrorum, nummorum, regnorum, caſtrorum, palatiorū, nunquam ne ſatis domiciliorum ac ſplēdidæ ſupellectilis? An nunquam ò miſer homuncio,ſatur eris? Quid (inquiūt Scytarum ad Alexandrū regē legati)tibi opus eſt opibus,quę te cogunt eſurire? Si par animo corpus tibi Dij dediſſent,altera manu occidentē, altera orientem tangeres. De Alexādro optimè Iuuenalis.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis,
Æſtuat infœlix anguſto limite mundi:
Cùm tamen à figulis munitam intrauerit vrbem,
Sarcophago contentus erit.

Quid iam ſatagis, quid æſtuas, quid angeris, ſeptem pedes cœmeterij poſt efflatam animam corpuſculum tuum capient.Quod ſi magna poſt hanc vitam poſsiderentur hic prædia, & prętoria,& non eſſet omnibus paratus loculus,homines ſe mutuo deuorarent. Quid,oro amice Lector,nónne videmus omnibus ex æquo diuidi terram ſacram?& tamen malè conſulti mortales, omnia diripiunt, omnia conuerſant, omnia corradunt, imò & mutuas fortunas inuolant, non aliter ac ſi vel hîc perpetuo manſuri, vel omnia poſt mortem ſecum ablaturi eſſent? Porrò me rogauerit fortè quiſpiam.Non potuit Chriſtus ſolo verbo iſtum curare adoleſcētem, quemadmodum puerum Centurionis, & Chananitidis filiam? Reſpondeo, cum hoc

tactu

tactu voluiſſe oſtendere carnis ſuæ virtutem, quę planè viuifica erat, ob inhabitantem diuinitatis plenitudinem. Si contactu mortui Elizei alter mortuus in vitam redyt, quantò magis contactu Chriſti viuentis, vitam recipiet mortuus? 4.Reg.13. *Illi autem qui portabant, ſteterunt.* Ecce verba iam vertit in opera. Verbis non paſcuntur pauperes, oportet manum admouere. Inſigne exemplum: primo, aperit Dominus os, & ſolatur ægrum viduæ animum, deinde & liberalē manum adhibet. Manus IESV ſaluiuifica, viuifica, creatrix, ſuſtentatrix. *Steterunt.* Quídni ſtarent, cùm miniſterium eorum iam finem habeat, adueniente vita? Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt ſtimulus tuus? Cedant mortis famuli, cùm vitæ adſit auctor. 1.Corin.15. Iſtis eripitur miniſterium, morti præda, telluri caro, orco anima, vermibus bolus deſtinatus. Vacuatur libitina, ſeu loculus, & euomere cogitur, quod iam glutiuit. Cedunt omnia, cùm ita vult, qui fecit omnia. O egregium ſpectaculum, & plenum myſteriorum. Miſceamus noſmet iſtis turbis, vel illi, quæ ſequitur Chriſtum vitam adferentem, vel hanc quæ comitatur viduam defunctū efferētem. A Chriſto diſcamus viduis ſuccurrere, à vidua mortuos honeſtè efferre, & ſepulturæ tradere. Non enim abijcienda ſunt defunctorum corpora, maximè (ait Auguſtinus) fidelium, & iuſtorum, quibus tanquam organis & vaſis vſus eſt ad opera ſua ſpiritus. Aug. lib. 1. de ciuit. cap. 13. Si enim paterna veſtis & annulus tātò charior eſt poſteris, quantò erga eos maior extitit affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora,

quę

quę vtique multò familiariùs, quàm noſtra ferimus indumenta, vnde & antiquorum funera pro officio curata ſunt, & exequiæ peractę, & ſepulchra exſculpta. Antiquiſsimum verò ſepulturæ genus eſt cadauer inhumare, & veluti terram terræ tradere, ac parentis gremio vitali aura deſtitutum reddere filium. Imò id Deus quodam modo mihi videtur, vel indicaſſe, vel *Geneſ. 3.* pręcepiſſe, dum Adamo ita loqueretur. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, ſpinas, & tribulos germinabit tibi, donec reuerteris in terram de qua ſumptus es. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Quòd ſi cui Biblia euoluere vacet, cōperiet Eccleſiam perpetuò filiorum ſuorum corpora terrę infodiſſe. Id verò probat, confirmatque Sapiens. Spiritus, inquit, redeat ad Deū, *Sapien. 12.* & corpus in terram, vnde ſumptum eſt. Videtur his verbis oſtendere, idcirco terrę corpus reddendum, quia de terra ſumptum fuit. Hinc Iudęi, imò & Chriſtiani, ſuos in terra ſepelire ſemper conſueuerunt. Imò & patriarchę ad hunc modum ſepulti ſunt.

Qui verò aut igni, aut alteri elemento corpora ſuorum commendant, non tam ſepelire ea, quàm abijcere mihi videntur. Vnde alieniſsimos ab humanitate iudico, qui beluis corpora tradunt, aut auibus, aut canibus, quos in hunc *Theodoretus li. ſer. 9 Græcar. affect.* vſum paratos, ſepulchrales appellant. Beluarum autem immanitatem ſuperant, qui ipſi cadauera ſuorum comedunt, ac dentibus laniant, quod factitaſſe Maſſagetas (auctor eſt Theodoretus) de antropophagis apud Americam in confeſſo eſt, homines liberaliter prius, ac largiter

giter alitos, quemadmodum in Belgio capi ſolent, aut gallinæ, comedere potiùs, quàm ſepelire. Dies me deficiet, ſi varios variarum gentium ſepeliendi ritus recenſere velim. Adeò verò eſt honeſtum, adeoque rationi conſonum mortuos inhumare, vt Epiphanius auctor ſit, *Epiphan.* corpus Moyſis ab angelis, ceſſantibus hominibus, fuiſſe ſepulturæ traditum: & D. Hieronymus ſcribat leones Paulo primo heremitę *Hieronymus in vita Pauli.* paraſſe, vnguibuſque effodiſſe ſepulchrum. Formicas verò ſe mutuo ſepelire, ſcripto prodidit Plinius. Quæ inſecta, ſeu beſtiolæ cùm polytiam habeant humanæ proximam, nobis exemplo eſſe debent, niſi ad angelos malimus reſpicere, qui hoc egregio circa Moyſen offitio, corpora hominum non abijcienda docent. Nolle humari, ferinum eſt, nolle ritè inhumari hominis irreligioſi eſt. Probro dabatur olim Chriſtianis, quòd in Gothica clade humana cadauera inhumata iacerent, eratque id Eccleſiæ proceribus artificioſe apud barbaros excuſandum. Regio prophetæ Dauidi cũ primis curæ *2. Reg. 2.* fuit, cæſa Iudęorũ cum Saule rege corpora colligere, & ſepelire. Quo igitur loco eos ponemus, qui ſepeliendi ritum ludibrio habent, & contemptui, quibus facetum videtur, & lepidum in Chriſtianas ſepulturas dicterijs, & cauillis ludere? Cęlo, inquiunt, tegitur, qui non habet vrnam. Et parui refert humíne, an in ſublimi aëre putreſcam: Poſtremò, facilis iactura ſepulchri. Sed audite quæſo ridiculi irriſores: Si templa Dei, & Chriſti membra, ſunt noſtra corpora, imò ſpiritus organa, in Deum, & Chriſtum *1. Corinth. 3. & 6.*

ciuſ

eius,iniurij ſunt,qui non aliter ac res nihili ea abijcere docent. Amas veſtem aut annulum ob amicum, aut heroëm, qui his te donauit, & Domini tabernaculum, in quo fides, cum cæterarum virtutum ſacro numero habitauit, negligendum putas? Itane tibi ipſi vilis es? An cum equis, & canibus tua oſſa miſceri ſuſtinebis, ac ſepultura aſini tumulari? Poſtquam igitur Chriſtus libitinarios, funereoſque miniſtros ſtetiſſe vidit, mox ad vitam iacenti reſtaurandam accingitur. *Adoleſcens (inquit) tibi dico ſurge, & reſedit, qui erat mortuus.* Hoc eſt verè conſolari ipſam mæroris, lamentationiſque materiem omnem penitus amputare. Sic
Io.cap.11. ad Martham: Reſurget frater tuus. Non inanibus verborum folijs, ac bullis iuuandæ ſunt
Iaco.cap.4 viduæ, ſed officijs, & beneficentia. Id quod eleganter oſtendit D. Iacobus Apoſtolus. Vult igitur, vt nō ſolùm egenis dicamus: Abite cum pace, caleſcite, ſaturamini (hoc enim lingua ſolùm conſolari eſt) verùm vt etiam elargiamur aliquid eorum neceſsitati operiendo, potando, cibando. *Reſedit qui erat mortuus.*
Io.cap.5. Vt impleatur quod ait: Mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Thabita
Act.ca.9. prius mortua ad Petri vocem aperuit oculos, & reſedit. *Et cœpit loqui.* O quale ſpectaculum habuerunt ciues Naimæi? Quid non poteſt, quid non efficit Deus tuus, ô fili, quid non operatur ô homo Deus tuus? Cur non igitur totam ei aſtringis fiduciam? Omnes ſenſus cum hoc adoleſcentulo obierant, ſed eo reuiuiſcente, redeunt. Audit Chriſti vocem, reſedit, loquitur.

quitur. *Et dedit illum matri ſuæ.* O quàm geſtijt animo calamitoſa muliercula? Sic Elyas 1. Reg. 17.
cùm filium Sareptanæ ſuſcitaſſet, reddidit matri ſuæ. Idem præſtitit Elyzæus matronæ Sunamitidi, cuius filium ſuſcitârat. 4. Reg. 4.
Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: quia Propheta magnus ſurrexit in nobis. Huius Deut. 18.
magni prophetæ Moyſes meminit. Iuuenem hunc reſurgere mirentur Iudæi, ſtupeant gentes, mundus paueſcat, nos verò, qui omnes aliquando mortuos reſurrecturos, atque ad vnam Chiſti vocem è ſepulchris redituros credimus, cur miremur? Canet tuba, & mortui reſurgēt. Incorrupti (ait Paulus) quæ eſt iſta tuba (ait Petrus Chryſologus) quæ inferis mouebit bellum ſepulchri ſoluet moles, mortuis intonabit vitam, & reſurgentibus in lucem perpetem dabit triumphum? Ea ſanè eſt de qua Dominus dixit. Mortui audient vocem filij Dei. Cæterùm, amice Lector, hāc hiſtoriæ moralē tractationem prolixè, & pulchrè Eraſmus proſequitur. Si videtur, illum audiamus. 1. Cor. 15.

Eraſmus in Paraphraſi.

Hæc eſt illa vidua quam conſolatur Eſaias Esaie 54.
propheta, dicens: Letare ſterilis quæ non paris, exulta quæ non parturis, quoniam plures filij deſertę, quàm eius quæ habet virum. Synagoga confidit in ſponſo ſuo Moſe iactat filios Abrahæ, pares numero harenę quæ eſt in littore maris. Eccleſia iuxta mundum videtur deſtituta ſponſo, qui ſeſe ſubduxit in cœlum. Primum viſa eſt eſſe ſterilis, & abſque poſteritatis ſpe vitam tranſigere, hoc agentibus Iudæis, &

autem IESV loquente ſecutum eſt? Reuixit innocentię, quę erat mortuus peccatis, erigit ſeſe, qui iacebat, & quod eſt certiſsimum animi correcti documentum, incipit loqui, confitens peccata ſua, gratias agens clementię Diuinę. Redditur matri rediuiuus, & qui prius magno & ingēti multorum luctu deferebatur ad ſepulchrum, nunc maiore omnium gaudio domum reducitur. Gaudet mater recepto filio, gaudent, qui funus ante lugebant. Nec gaudent ſolùm, verùm & laudibus celebrant miſericordiā Dei, cuius virtute reuixit mortuus. Aiebāt Propheta magnus inter nos ortus eſt, & reſpexit Deus populū ſuū. Hactenus Eraſmus.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Ibat in ciuitatem, quę vocatur Naim. *Græca habent Nain* ναΐν.

SECVNDA.

Magnificabant Deum. *Hoc eſt, glorificabant, Græcæ eſt* ἐδόξαζον, *hoc eſt, gloriam dabant.*

TERTIA.

Non eſt prætereundum ſilentio, ſed diligenter adnotandum matrem filij funus comitatam, nec domi deſediſſe interea dum efferetur. Irrepſit (neſcio quo auctore) irrepſit tamen apud Chriſtianos mos omnium teterrimus, & flagitioſiſsimus. Nam dum corpus filij, aut mariti effertur ad cœmiterium, matrem, aut coniugem cum cæterarum matronarū cœtu in domo funebri manere, imo & nonnunquàm per totas ſex hebdomadas (ſi nobilitatis vel primæ, vel mediocris ſit funus) ibi nidum premere, nec vſquā pe-

 dem

DOMINICA DECIMASEPTIMA POST TRINITATIS EVANG.

Luc. 14.

C*Vm introiſſet Ieſus in domum cuiuſdã Principis Phariſæorum, ſabbato mãducare panem, & ipſi obſeruabant eum.* Numeroſa eſt noſtri Saluatoris in hoc Euangelio actio. Conuiuatur cum principe phariſæorum, vt amicus, curat infœlicem hydropicum vt medicus, erudit, ac docet conuiuas, vt magiſter. Nihil minus erant Phariſæi iſti, quàm amici, ſed technis, & impoſturis pulchrè ſubornati, amicorum perſonam induerunt, vt certius ſub amicitiæ imagine fallerent. Altera manu panem, lapidem ferunt altera. Dominus in Euangelio regem Herodem, ob animi vafriciem, vulpem appellat, quo nomine profectò & iſti indigitari, & notari merebantur. Callidè crudele odium diſsimulant, offitioſeque ad prandium inuitant, ſed animo planè Abſolonico: Abſolō enim ſtructis inſidijs, fratrem Amon ad menſam Regio luxu ſplendidam admotum, ob ſororis ſtuprum, multo, largoque vino madidum, nihil veritus patris canos, nihil hoſpitij communicati ſacroſancta reuerentia cohibitus, violentus, & impius conuiuator obtruncat. Solemus 2. Reg. 13. ferè in conuiuijs, alioqui ſeueri & tetrici, frontem abolitis rugis exporrigere, ac linguam ad dicendi quandam libertatem ſoluere. Id cùm non neſcirent vafri illi cum ſuo principe conuiuatore, Dominum, vt nonnihil occaſionis

ad ſtruendam in illum calumniam, venarentur, hilari exceperunt conuiuio. Non diſsi-
3.Mach.16 milem habes hiſtoriam, vbi Ptolomæus filius Achobi, Hierecontinæ regioni præfectus, Simonem Machabæum, nihil mali animo præſagientem, inter epulas cum filijs obtruncat, ſanguinemque ſtrennuorum herôum cum vino indigniſsimè confudit. Non diſpari mente cum Domino Ieſu agunt Phariſæi, quem cùm infenſè odirent, ſperabant vino doloſo verbum aliquod ab eo exſculpere, vnde ei inuidiam prius, deinde & mortem conciliarent. Nemo verò arbitretur, Dominum ſe vltro conuiuio ingeſsiſſe, hoc enim inurbanum cum primis eſſet, & inciuile, ſed procul dubiò inuitabatur, priuſquam vel pedem in Phariſæi domum inferret: quanquàm illi naſſam in qua impediretur, ac laqueos quibus teneretur, ante parauiſſent. Nec latuêre doli Chriſtum, ſed quid faceret? Volebat oſtendere gal-
Math.21. linæ diligentis indolem, ac ſe in omnia vertit, vt vndecumque conuocaret, congregaretque ſub expanſas alas pullos quos paſceret, educaretque, ne phariſaicum quidem ſupercilium reijciens, aut à medico ſinu excludẽs, modò culturę patientem, pronamque prȩferet aurem, vſque adeo vt cuperet etiam ex lapidibus efficere filios Abrahæ. Non acceſsit verò Chriſtus conuiuium hoc, commeſſandi aut compotandi gratia, ſed vt vel hoſpitem, vel conuiuas alios dicto, factóue corrigeret. At plæraque hominẽ pars eduliorum lautiorum cupidine, aut vini fragrantis amore conuiuatur epulumque celebat.

celebrat. Deinde ſi inuiteris cum hoſpite, non Euangelicè, ſed Gnatonicè potiùs agis. Imò ne non videaris offitioſus, & vrbanus compotor, laudas omnia, miraris omnia, probas omnia, etiã imbroba. O fœdã & ſyncero Chriſtiano indignam aſſentationem. Hoccine eſt referre gratiam hero conuiuatori, palpum illi obtrudere, & inepta quæque laudare ventris gratia? Taceo hîc proiectam compotantium lętitiam, & nobilium formoſarumque mulierculærum illecebroſas cantilenas, verbaque ne Alexandrinis quidem delitijs permittenda, poſtremo riſus, iocoſque parum pudicos. Verbum D. Auguſtini eſt: Sæculi lætitia, impunita nequitia. Si Chriſti exemplo aliquando cupis eſſe conuiua, age Chriſti quoque exemplo ſobriè, frugaliter, ac modeſtè conuiueris. Vtinam verò conuiuia noſtratia Chriſto ſimilem menſæ moderatorem haberent. Pulchrę Philo libello de profugis: Si ad compotationem (inquit) aut conuiuium eundum erit, ito cum fiducia, intemperantem pudefacturus tua dexteritate. Nam ille pronus, & concupiſcentias prius quàm os diducens, auidè ad ſaturitatem ingeret, etiam quæ proximis ſunt apposita, nec pudebit eum ligurire omnia: moxque cibo differtus, ſpumantem pateram (vt poëtæ loquuntur) hauriet, conuiuis irridentibus, & cauillantibus. Tu verò, ſi nemo cogat, contentus eris modicis. Quapropter ſi amicorum, ac neceſſariorum menſæ fuerimus aliquando adhibiti, caueamus, ne fluente mero, defluant ſoluanturque mores. Sed ad Phari-

Philo libello de profugis.

ſcos reuertamur. *Ipſi obſeruabant eum.*

Prouer. 15. Rimantur veſtigantque viri boni, & candidi, quo poſsint figere dentem. Vnde rectè Solomon: Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio. Syncerus enim amor, vultuſque boni facile conuiuioli tenuitatem penſant: menſales verò rixæ etiam precioſorum ferculorum lautitias, atque delitias reddunt inſipidas. Similis ſententia eſt. Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Obſeruabant igitur Phariſæi Dominum, ac non tam mellis, quàm fellis propinabant cyathum. Ve (ait propheta Abacuk) qui potum dat amico ſuo, mittens fel, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Lynceos habebant oculos, ac tanquam argus centoculus Ieſu verba, actaque notare conabantur, vt inde calumniam texerent. Vt verò facilius fallerent, ſubornârunt miſerum quendam hydropicum, qui ſe Ieſu conſpectui offerret, ac calumniæ fomitem, materiemque porrigeret inſidioſus Phariſæis. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante eum.* Profuit miſero ſub oculos Chriſti conceſsiſſe. Nam optatam ſanitatem, tametſi non legatur poſtulaſſe, conſecutus eſt. Fortè cùm dies ſabbati eſſet, medici opem implorare auſus non eſt. Græci hunc morbum ὕδρωπα, hydropa vocant. Habet is

Cornel. Celſ. lib. 3. cap. 21. morbus (vt Cornelius Celſus ait) humoris nimiam abundantiam, ob quam ne vlcera quidem in his ægris facilè ſaneſcunt. Sæpè hoc malum per ſe incipit. Sæpè alteri vetuſto morbo, maxi-

maximeque quartanæ ſuperuenit, facilius in ſeruis quàm in liberis tollitur. Qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, non facile ad ſalutem perducuntur. Idæoque non ignobilis medicus (Chryſippi diſcipulus) apud Antigonum regem, amicum quendam eius, notæ intemperantiæ negauit poſſe ſenari. Cumque alter medicus Epirotes Philippus ſe ſanaturum polliceretur, reſpondit illum ad morbum ægri reſpicere, ſe ad animum. Neque eũ res fefellit. Ille enim cùm ſumma diligentia non medici tantummodo, ſed etiam regis cuſtodiretur, tum malagmata ſua deuorando, bibẽdoque ſuam vrinam in exitium ſe præcipitauit. Inter initia tamen non difficillima curatio eſt, ſi imperata ſunt corpori, quies, ſitis, inedia. At ſi malum inueterauerit, non ſine magna moleſtia diſcutitur. Hactenus Cornel. Celſus. Morbum hunc & tympanitem appellant. Pertinax & fœdum malum eſt, ac medicis difficulter curabile, ſed Chriſto medicorũ principi non grauatim cedit: quid enim illi inſanabile, cui & mors ipſa malorum omnium extremum cõcedit? Si ad myſticam velis hanc ægritudinem reuocare intelligentiam, hydropicos appellabis, quos vel perpetua diuitiarum vrget ſitis, vel immodica ventris tenet ingluuies. Illos nulla ſatiat pecunia, iſtis nullus potus ſatis eſt. Dominus autem ad aſpectum miſeri mouetur miſericordia, quanquàm nihilominus ob Phariſæorum cæcitatem vehementiſsimè doleret. Præuenire autem cupiens calumniam eorum, ac declarare ſe non ignorare,

quid

quid apud ſe cogitarent, reſpondens, ad illorum ſcilicet cogitationes. *Dixit ad Legiſperitos, ſi licet ſabbato curare.* Acutiſsimè ſanè interrogat, an liceat ſabbato curare. Nam ita calumniam in ſe meditatam facile excludit. Neque enim calumniandi locus vllus eſſe potuit, cùm rogati an liceret, non prohibuerunt, cùm ſe magiſtros omnium profiterentur. Cùm igitur interrogati ſilent, non reclamaturi, ſi curetur hydropicus, videntur. *Si licet ſabbato curare.* Quaſi dicat: Non ignoramus ô boni, quæ nobis per Möyſen ſint data præcepta, nimirum vt proximum diligamus, eique ſi res ita ferat, opitulemur: deinde vt & diem ſabbati obſeruemus. Iam verò ſe offert occaſio, vt ſuccurram proximo miſeris modis affecto, iuxta præceptum Domini, & occurrit etiam ſabbati religio. Iam igitur pendeo animi, ambigoque, vtrum potiſsimum ſequar. Si ſanauero hydropicum, reprehendor violati ſabbati: ſi non ſano, arguor neglectæ charitatis: interrogo quapropter vos viros longo rerum vſu, ac prudentia, ſcientiaque ſingulari præditos, ſi liceat mihi curare ſabbato, ſic ſcilicet, vt non violetur ſabbatum? Sed quid hîc obſecro, Phariſæi? Num dignus vindice nodus ab illos ſoluitur? *At illi tacuerunt.*

Papæ illuminatiſsimis, & acutiſsimis viris non aliam ſuccurrere reſponſionem? Si tacere reſpondere eſt, profectò egregiè reſponſum eſt. Apud imperitam plebeculam bene vocales erant, ac plenis nonnunquam tibijs rem gerebant, hic enim rabularum & pſeudopropheltarum

tarum mos eſt perpetuus, ſed præſente Chriſto, vix audent mutire. Imò ſic erant acuta interrogatione attoniti, vt vix contra poſſent reſpondere. Nam ſi dixiſſent, licet ſabbato ſuccurrere miſeris, & ægris, audiſſent confeſtim: Quid igitur me ita obſeruatis? Si reſpondiſſent, non licere, mox accepiſſent reſponſum quale iam audiemus. Atqui ſabbato licet benefacere, cùm igitur ſanare bonum opus ſit, quis non videt licere, vt proximum ægrum, & malè affectum curemus, & de vita periclitanti medicinam porrigamus? Deinde & benefaciendo, ſabbatum verè ſanctificamus. Sed quis vnquam legit Moyſen prohibuiſſe ſabbato curare hominem? *At illi tacuerunt.*

Tale reſpōſum & canes & feles facilè darēt. Huius rei non omnino abſurdam, aut ineptam figuram apud Danielem Prophetam habemus. Vbi immanis ille rictus draconis, quem Babylonij adorabant, obturatus eſt per Danielem, immiſſa in guttur eius maſſa picis. Erant Phariſæi in ſummo apud plebem precio, ſed cùm pleni inuidentiæ, & liuoris veneno eſſent, nihil non moliebantur, vt IESVM calumniarentur, & traducerent: ſed non ſucceſsit dolus, ita enim illos confudit ſaluator, vt ne hiſcere quidē auderent. Imò, vt Dauid ait: Obſtructū eſt os loquentium iniqua. Quî enim reſponderent tam apertæ, & potenti veritati?

Daniel. 14.

Pſal. 62.

Ipſe verò apprehenſum, ſanauit eum. Declarauit facto ſe & poſſe, & velle ſanare hydropicum, vt neque infirmitatis ſi nequiret, neque inhumanitatis ſi nollet, accuſaretur. Id verò

obiter

obiter hîc animaduertendum, nequaquam nos à laudatis beneficentiæ operibus ceſſare debere, etiam ſi mundus calumnietur aut obtrectet. Potiùs enim eſt Dei beneuolentiā humanitate in proximum ſibi demereri, quam prurientes, pronoſque in impietatem homines malefactis deuincire. Sed declaret nobis Chriſtus, ſibi fuiſſe licitum, etiam die feſto ad ſanitatem ægros reuocare: *Et reſpondens ad illos, dixit: Cuius veſtrum bos aut aſinus in puteum cadit, & non continuò extrahit illum die ſabbati? & non poterant ad hæc reſpondere ei:* Hanc quæſtionem ferè obijcere, conſueuit Chriſtus, cùm ei de ſabbato violato litem mouerēt, quæ ſanè tanta eſt, vt illi reſpōdere nec auſint: nec ſi omnes etiā neruos intēdant, poſsint. Quid enim? Si licet ſabbato aſinis, ac bobus ſuccurrere, cur non & homini ad Diuinam imaginem creato? An ne homo infinitis partibus pecore maior eſt, & præſtantior? Sed belli, & incorrupti noſtri Phariſæi pluris faciebant brutum pecus, quàm ſalutem hominis, tam prudens & oculata in eis fuit charitas. Deum immortalem, quam ſunt vbique multi horum Phariſæorum ſimiles, quibus potior eſt aries, equus, bos, imò & canis, quàm anima. Quinetiam plærique ita præpoſtero ſunt iudicio, vt non paulò accurationem habeant rationem animaliū pręcipuè, quę in dilitijs illis ſunt, quā filiorū, aut domeſticorū, quibus lubenter in aurē illud Pauli inſuſurrauero: Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos & illorum nonnullam etiam habet rationem? Non ineptè verò (quod D. Au-

D. Auguſtinus obſeruauit) hydropicum animali, quod in puteum delapſum fuit, comparat, quia humore laborauit, & veluti è puteo, in quo aquarum vi ſuffocandus fuerat, Domino manu illum prehendente, ſubtractus fuit. Ad eum modum & mulierem, quam diabolus per decem, & octo annos alligauerat, ipſe ſoluit, ac iumento etiam comparauit, quod ſoluitur, vt ducatur adaquatum. Perſtringit igitur Chriſtus caninam Phariſæorum auaritiam, quos propius tangit infirmum pecus, quàm malè affectus homo. Tales hodie permulti ſunt, qui pecora ac iumenta quàm diligentiſsimè curant: hominem verò pauperem in plateis, ac triuijs fame, ac frigore periclitantem vix ſiniſtro oculo, imò vix dignantur verbo. Videtur autem Dominus agens hîc contra Phariſæos de boue & aſino ſermonē miſcuiſſe, propter id quod ſcriptum eſt, vbi ſic legis: Si occurreris boui aut aſino inimici tui erranti, reduc ad eum. Inde verò educit ineluctabile argumentum, quod tale eſt: Si boui, ac aſino ipſo die ſabbati ſuccurrere licet, cur non & homini? Porrò Iudæi ſabbatum ſuum in maxima habuerunt reuerentia, & honore, vſque adeo vt antiquato ſabbato legem quoque vnà extinguendam arbitrarentur. Geminæ verò cauſæ ſunt, ob quas ſanctificari illud ac celebrari decerneretur. Prior eſt, vt populus haberet peculiare tempus, quo ſe in Diuino cultu exerceret, illius opem imploraret, ſubmiſſas preces funderet, gratias ageret, ac ſupplex ei eſſet, quod verè eſt ſabbatum ſanctificare, pijs

1. Corin. 9.

Luc. 13.

Exod. 23.

ſeſe

ſeſe dedêre exercitijs, ac otio ſpirituali totum eum diem conſecrare. Poſterior ratio eſt, vt homines, ac iumenta paululum à quotidiano & irrequieto labore reſpirarét. Prout canit ille.

Ouidius. *Quod caret alterna requie, durabile non eſt,*
Hæc reparat vires, feſſaque membra leuat.

Quapropter in præcepto ſabbati non tantum animi rationem, qui cultu Dei fouetur, ſaginatur, & impingueſcit, ſed & corporis etiam habuiſſe videtur, nam vtrique nonnunquam laxatis habenis opus eſt, ne immodica contentione corrumpantur. Nunc ad legem, quæ ſabbatum præcipit. Sex diebus facietis opus, in die ſeptimo ſabbatum eſt, requies ſancta Domino, omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. Et rurſum: Septimo die ſabbatum Domini DEI tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, ſeruus tuus, & ancilla, iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portas tuas. Gaudet Dominus nos illius pro virili inhærere veſtigijs. Cùm igitur ille ſex dierum ſpatio cœlum, & terram creaſſet, ſeptima luce quieuit. Sunt heri plærique tam inhumani, & truculenti, vt famulatia vix reſpirare ſinant, ſed perpetuò vrgent, & inſtant, vt diurnum ſoluant penſum, etiam die feſto. Quod ſi vel ad horulam ceſſetur, flagra expediunt, ſæuiſque dictus tonant, ac ancillas quoque pulſant. Non ita præſcripſit, aut tibi dictauit Dominus tuus, ſed requiem potius indulget, vbi fuerit opportunum. Alij auaritia ſtimulante boues ſuos equoſque nunquam non ſtimulant, nunquam non pungunt, ac

Exod. 31. Deut. 5. Exod. 20.

cedunt

cedunt. Sed aurigarum hic ludus, qui vbi latera equorum bene tutuderint, iuramentorum, ac blaſphemiarum plena plauſtra in eos exonerant; imò Deum potius veluti theomachi gigantes, inceſſunt, horreſcentibus bonorum virorum animis, qui eodem (quem crudeliter pulſati excarnificatique equi trahunt) curru vehuntur, vt non ineptè quidam propter impietatem, eos terræ fecem vocet. Hinc appoſitè Solomon: Nouit iuſtus animas iumentorum ſuorum, viſcera verò impiorum crudelia. Decet aurigam quemque cognoſcere, quantum oneris, aut ſarcinarum vel trahere, vel ferre poſſet iumentum, quapropter nec verberibus, nec minis, multominus blaſphemijs inceſſere debet nihil reſponſurum. Deinde neque lucri gratia diebus feſtis, aut Dominicis agitandæ bigæ, niſi neceſsitas cogat, ſed non niſi audito ſacro, ac propitiato Chriſto. Hactenus de ſabbato, quod prophanis operibus ceſſationem, & feſsis, fatigatiſque quietem adferre debet. Porro Chriſtiani quoque ſuum habere ſabbatum, & ſeruare debent, ſed non more Iudaico, qui externè ſeruabant, mutatis veſtibus & alijs frigidis cæremonijs, neglecto interim animo, quem tum temporis præcipuè excoli, exornarique decet. Habebant & pagani ſuas ſolennitates, in quibus vel lautioribus epulis, vel ludis indulgebant. Chriſtiani habent ſuum Dominicum diem. Quem diem ſi rectè interpretemur, vocabimus Belgicè, Des Heeren dach. Vulgus appellat diem ſolis, ſondach.

Prou. 12.

Apoc. 1.

Iudæo-

Iudæorũ Rabbini aiunt, tantæ ſuum ſabbatum eſſe auctoritatis, tantæ virtutis & ſanctitatis, vt dæmones non ferentes, in terrarum hiatus, & tetras ſpeluncas ſe recipiant, totumque eum diem veluti incluſi ibi agant: ſed tranſacto ſabbato, rurſus ad vexandum homines reuertantur. At nos contrà dicere poſſumus, feſtis ac Dominicis diebus, laxante clauſtra Lucifero, infinita cacodæmonum agmina ad Chriſtianos ex inferno ſubuolare, tantum vbique ſcelerum, tanta malorum lerna in ſolennitatibus noſtris regnat, primumque locum obtinent Bacchus, volupia, chorea, pompa, vt verè dies noſtros vocare poſſumus, Saturnalia, aut Bacchanalia. Porrò (quod dictu eſt mirum) ſenatores in quibuſdam locis, & ſacerdotes diebus feſtis nihil aliud quàm chartis, ſpectaculis, choreis, & venationibus, commeſſationibuſque ſtrennuam nauant operam, neglecto templo, neglecto Chriſto. Huc facit quod legimus: Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti ſunt, ſed contempto templo, & ſacrificijs neglectis, feſtinant participes fieri paleſtrę, & præbitionis iniuſtæ, patrios honores nihili facientes, Græcas glorias optimas arbitrantes.

Apocal. 1.

2. Mach. 4.

Et non poterant reſpondere ei. Quid reſponderent miſeri tantæ ſapientiæ? Sed quid mirum, cùm nec B. Stephano reſpondere poſtea poſſent? Quid reſponderent magiſtro, qui à diſcipulo vincebantur? Cæterùm Chriſtus viciſsim cepit notare mores & ineptias Phariſæorum, videnſque omnes primos accubitus eligere, commoda eos parabola perſtringit, atque

Act. 6.

atq; reprehendit, deterrẽs ab omni ambitione, atque inani gloria. *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco &c.* Quid hoc, obſecro, rei eſt? Si omnes infimum locum tenere debẽt, vbi illud, Honore inuicẽ pręueniẽtes? Verùm ſententiola hęc nihil habet incommodi, neque pugnat cum verbis Chriſti. Hìc enim non loquitur contra eos, qui vel primo, vel infimo loco ſedent, ſed contra eos potiùs, qui ſeſe importunè ingerunt, ac ſupremas ſedes ſibi vendicare contendunt: Hoc eſt, qui primis locis pręcæteris dignos ſe iudicãt. Contra tales philautos, ac Thraſones, acriter inuehitur Chriſtus. Terreat omnes Luciferi horrendus caſus, qui cùm primũ locum meditaretur, ad infimum deiectus eſt. Auguſtin. lib. de virginitate: Petrus ſe primo loco poſuit, quando ait: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed nõ ego. Sic Dauid: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternũ. &c. Sed abſterret nos ab omni ambitione Solomon. Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne ſteteris. Melius eſt enim, vt dicatur tibi: Aſcende huc, quàm vt humilieris coram principe. Obſeruãdum etiam quod dicitur: Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & corã Deo inuenies gratiam. Porro Phariſęi genus hominũ ambitioſum, & humanę gloriolę inſatiabile, per ęqua & iniqua ad principes, & primas ſedes graſſabantur. Quod qui ignorat, Euangeliũ legat *Math.* 23. *Marc.* 12. *Luc.* 11. *Tunc incipias cum rubore nouiſsimum locum tenere.* Sic Aman à ſummo culmine rerum deturbatus, laqueo dignus viſus eſt. Adonias

Rom. 12.
Eſaie 14.
Luca 22.
Pſal. 29.
Prouc. 25.
Eccleſ. 3.
Eſter 5.

quoque cùm per nuptias Abiſach ſperaret ſcep-
trũ, pręter ſpem,& votũ interéptus eſt. Pręcla-
3.Reg.2. rum eſt, illuſtreque exemplũ regis illuſtris Antiochi, qui inanis glorię vento veluti vter inflatus, ignẽ ſpirabat, animo in Iudęos vehementer concitato; ſed mox Diuina manu impiũ feriente, cyclopicę,& immanis arrogantiæ pœnas meritas luit. Nã pure & vermibus vndique ebul-
2.Mac.9. lientibus, infœlicem animam expuit, atque ex ſublimi regni ſolio ad imum inferni locũ præcipitatus eſt. *Sed cùm inuitatus fueris, recumbe in nouiſsimo loco, vt cũ venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, aſcendę ſuperius, & tunc erit tibi gloria corã ſimul diſcũbentibus.* Nõ ſupremũ locũ tenere crimẽ eſt, ſed per fas ac nefas quærere,& om-
Geneſ. 41. nibus velis remiſque eò contendere. Nã Ioſeph à rege Pharaone in Ægipto primo loco ſedit, nõ tamẽ idcirco ſuperbię accuſari debet: quemadmodũ neque Eſther, quæ, eiecta ab imperio faſtuoſa,& iactabũda regina Vaſthi, in ſummũ euecta eſt ſolium, cõiunx facta Aſſueri. *Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Venuſtiſsimũ,& longè elegãtiſsimũ eſt iſtud epiphonema, quod & Dominus alibi quoque vſurpauit, vt videri poſsit hac ſentẽtia delectari. In nullo verò hominũ apertius id declaratũ eſt, quàm in ipſo, qui primus huius ſententię auctor fuit,& monitor. Humiliauit ſemetipſum,
Philip.2. factus obediẽs vſq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis. Nũquã ſubmiſsio maior, nunquã exaltatio ſublimior. Genius mundi eſt, nolle contemni, nolle honore amato exui, nolle negligi: Mũdus malit præeſſe, quã prodeſſe. Diuerſus eſt genius Chri-

ſti;

ſti: Reſpicit enim ille ad gloriam futuram, pręſentem non negligere ſolùm, ſed & auerſari ſolitus. Quid enim Chriſto, imò quid tibi ô Chriſtiane, cum deciduo inanis glorię flore, qui paululum oculis blanditur, & veluti momento vno delectat, & poſtea ſtipitem ſuũ perpetuò relinquit aridum, deſtituitque? Omnis caro fœnum eſt, & omnis gloria eius, quaſi flos agri. Contemne florem, cõtemne virorem, & cum ligno crucis in humili ſedeas loco, vt in montibus æternis, inter ligna fructifera, apud Chriſtũ, qui arbor paradiſi eſt, tranſplanteris. Quid ſuperbimus terra & cinis? Sanè ligna infructifera ſum⁹, & arbores ſteriles, & niſi diuinæ gratiæ ſcatebris admoueamur, fructũ ex nobis nullum producere poterimus. Hauriamus in gaudio de fontibus ſaluatoris, & arbuſtum noſtrũ niſi ſterileſcere prorſus, & areſcere malimus, irrigemus. Hæc eſt illa ſpiritus ſancti lympidiſsima aqua. Cyrillus Hiereſolymitanus dicit, ſpiritũ ſanctũ aquã eſſe: vt enim aqua plantæ, ita ſpiritu ſancto omnia cõſiſtunt. Quapropter nõ ſumus ſuperbi, ſicut Cedri Libani, ſed tanquã humiles geniſtæ, & virgulta humillima ſubmittamus nos ad gratiæ fontẽ. Quò enim nos magis ſubmiſerimus, eò maior, ac lętior diriuabitur in nos gratiarum & diuinorum chariſmatũ cópia. Demittit Deus fontes in cõuallibus, & cõtra ſuperbi mõtes ſpiritus ſancti rore non fouentur. Pulchram & elegãtẽ figurã habemus, vbi Dauid ait: Mõtes Gelboe, inquit, nec ros, nec pluuia cadat ſuper vos, quia in te ceciderũt fortes Iſraêlis. Sed nũc conuertamur ad Dominum ex toto corde, &c.

Eſaie. 40.

Hiere. 12.

Cyrillus Catecke. 6.

2. Reg. 1.

PRIMA.

Intendens quomodo primos accubitus eligerent &c. *Intendens hoc loco, idem eſt, quod attendens, & conſiderans, cùm Græcis ſit,* ἐπέχων, *quod idem eſt, quod* προσέχων, *ſicut & Act. 3. cùm dicitur, Claudus intendebat in eos.*

SECVNDA.

Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non recumbas in primo loco, &c. *Videtur hic Dominus præceptum quoddam ciuilitatis dediſſe. Nec indigna eſt hæc moralis doctrina Euangelicæ doctrinæ. Nam quemadmodum boni medici eſt, non tantum grauioribus mederi morbis, ſed & leuioribus, ita boni doctoris erat, etiam quæ in ciuili conuerſione ſunt inhoneſta, reſecare: & quæ ſunt ciuilis decoris, indicare, maximè in conuiuio, vbi ſe occaſio offerebat. Certè Theophilactus hanc Domini doctrinam, vt morale ciuilitatis documentum tractat. Huc facit, quod D. Paulus habet, Omnia honeſtè,* 2. Cor. 13. *& ſecundum ordinem in vobis fiant.*

TERTIA.

De ſabbato multa quotidie à concionatoribus, & paſtoribus plebis, dici, monerique debent. Eleganter, & acutè de eo diſputat D. Thom. Aquin. 22. queſt. 122. ar. 4. ad prim. *Morale (inquit) eſt in præceptis ſanctificationis ſabbati, vt homo aliquod tempus deputet ad vacandum rebus diuinis. Ineſt enim homini naturalis procliuitas, rei cuique tempus aliquod certum, & peculiare tribuere, ſicuti cibo, & ſomno, aliíſque ſimilibus, vnde & ſpirituali hominis exercitio, quo mens in Deo fouetur, & paſcitur, ratio, & æquum dictant tempus aliquod tribuere. Quapropter ſi rem*

altius

altius expendamus, facile comperiemus, præter præceptum, rationem ipſam nos monere, Deo (à cuius nutu pendemus omnes, à quo non animam ſolùm, ſpirandíque munus, ſed & mille inſuper beneficia recepimus) portiunculam aliquam temporis tranſcribere, qua ei vni, ablegatis ab animo rebus aliis, vacemus, piis votis, ardentibuſq́ue precibus eius benignitatem, locupletiſſimámque miſericordiam implorantes. Quod cùm vel quotidie fieri deceat, Dominicis tamen, feſtiſque diebus hoc agere, niſi diuinum, Eccleſiæque præceptum præuaricari velimus, neceſſum eſt. Quod quàm negligant (ne dicam contemnant) nautæ, atque aurigæ, quis non videt? Non reprehendo omnes, ſed omnium plurimos, qui vel ante auroram, tanquam vmbræ, ſuis adhærent curribus, vnde ne ad momentum quidam auelli poſſunt, vt vel concionem, vel ſacrum audiant: ſed fabulis inter ſe parum pudicis, & horrendis clamoribus perſtrepunt. Mitto conuicia, quibus mercatores, ac mulierculas, aut monachos, ad conſcendendum currum improbè cogunt: mitto technas, quibus etiam inuitos per fas ac nefas argento emungunt: quis verò ferat illorum minas, ac blaſphemias, quibus equos diris deuouent? Audiui, qui furore percitus, meliꝰ dicã perditus, equis ſex dæmonum vaſa optauerit, ita crebris verberibus, fuſte querno ilia eis tundẽs, vt currum ferè ob vulnera extra viam tranſuerſum in vepretum raptum, cum omnibus qui inſederant, euerterit. Oritur noua tragedia, aderant enim fortè Hiſpani duo, qui ſtricto ferro in ſceleratum aurigam ferebantur, confoſſuri nebulonem, niſi à pluribus fuiſſet interceſſum. Motu compoſito, proficiſcebamur, tum præſenti periculo nonnihil manſuetior, ac religioſior

 factus,

factus, cepit ab ouo (vt dicitur) nobis narrare vitæ ſuæ ſeriem, quæ ſanè erat portentoſa, ac inter alia, quantam equorum iacturam eo anno paſſus eſſet: tum ego (vt lalus ſum, & linguæ liberioris quàm vellem) Nihil mirum (inquiebam) ſi moriantur equi, tot peſtibus, & exitijs ab hero deuoti. Dixiſſes cicadam ala correptam, nam mox ad me conuerſus: Tace (ait) Monache, tuum eſt in templo cum alijs papis (ita enim vulgus comtemptim appellat ſacerdotes) plenis tibijs canere, ego hic cum bellis iſtis mercatoribus regno. Dialogum noſtrum excepit alter bene vocalis: Imo, inquit, commodè iam, cum equis tuis (qui immeritò vapulant) ſex dæmoniorum vaſa iunxiſti: formidabam, ne nos non ad regum ciuitatem Bruxellam, ſed ad orcum potius, & Plutonis aulam pertraherent, atque axe citato in lutum defigerent. Quò enim lubentius, aut alacrius, quàm ad regem ſuum (cui merent) furni properent ſatellites?

DOMINICA DECIMAOCTAVA POST TRINITATIS EVANG.

Mathæi cap 22.

PHariſæi audientes, quòd Ieſus ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, conuenerunt in vnum. &c.

In hoc præſenti Euangelio nobis ob oculos conſtituitur ſpecioſa Chriſti noſtri victoria, quam ab hoſtibus multò pertinacisſimis retulit. Vbi enim manus cum Sadducæis, Phariſæis, & legiſdoctore conſeruiſſet, ingenita virtute triplicem aciem exarmauit, & fudit,

dit. Interrogatur Imperator noſter, & interrogat. Ad dilectionem pertinet id de quo interrogatur: ſed ad fidem, quod ipſe rogat. Nemo miretur ſponſam Chriſti à coniuratis hæreſibus vndique oppugnari, ſed videat, ac ſerio gaudeat ſponſam Eccleſiam difficili & multiplici bello implicitam, ſponſi ſui auxilio nixam ſuperare. Primò in Ieſum impreſsionem faciunt homines audaciores, quàm eruditiores (vt nihil audacius quàm imperitia) Sadducæi contendentes, ac mordicus tuentes, in hominibus animum vnà cum corpore (quemadmodum bruta animantia ſolent) interire, nihilque à funere ſupereſſe hominis, quàm meros cineres, ac nomina nuda buſtis, ſarcophagiſque inarata. Si quis verò hanc hæreſin propius cognoſcere cupiat, Diuum Lucam conſulat. Aiunt hanc ſectam ortum cepiſſe annis ferè centum ante Chriſti natalem. Sed ad rem. Phariſæi cùm vidiſſent Sadducæos Domino congreſſos, fortiter repulſos, conſcia arma iunxerunt, ac ſimul coëuntes, facto globo, vt multitudine vincerent, quem ſcripturis, ac ratione non potuerunt, cæci feruntur in IESVM. Certè veritate ſe exutos fatebantur, dum multitudine ſeſe armarent. Prælium igitur tentant Phariſæi. Sic fieri ferè ſolet, vt canis vnius latratu ſedato, latrare incipiat alter, tot vbique hoſtes habet veritas. Miſeri Phariſæi, qui gaudent Sadducæos gentem ſibi infeſtam, & aduerſariam, eſſe fuſos, fugatoſque, dolent tamen, (hi ſunt inuidiæ mores) à Chriſto, quem pluſquam in-

Pſal. 128.

Act. 4. & 23.

ſenſe odiebant, victos, & in triumphũ ductos. Quid igitur aliud oſtendunt, quàm quòd nõ veritatẽ ipſam, ſed aliud potius quærant? Etenim qui pro veritate certamen init, vbi de illa fuerit eruditior factus, & inſtructior, iam quieſcit, & bono reperto, lætus fruitur. Longè verò ſecus faciunt, qui pro gloria magis, quàm pro

Ioan. 9. veritate in pugnam deſcendunt. Simile quid habes, vbi in cęci hiſtoria licet apertè, & ſine ambagibus vllis profeſſus eſſet rei totius ſeriẽ, & quo pacto ſanati, & ad lucem hauriendam curati eſſent oculi, quoniã tamen Chriſto hanc gloriam inuidebant, ſemper eandẽ cantilenam repetunt, videlicet: Quid fecit? &, quomodo tibi aperuit oculos? *Conuenerunt in vnum.* Sic Herodes & Pilatus cũ Caypha & ſuis complicibus, quanquam alioqui inter ſeſe diſſiderent, conſpiratis in Ieſum animis, copias con-

Iob 41. iunxerunt. Pulchrè Iob: Sqama ſqamę coniungitur, & non eſt ſpiraculum in eis. Neque enim ſpiritus ſanctus impietatem in Deum, aut proximum meditantes, aſpirat, aut afflat. Sed cogant vires ſectę omnes, parent arma, & Nazarenum iſtum aggrediantur, expediant tela, non poterint Deum vincere theomachi.

Verùm (vt D. Hieronymus teſtatur) liuor nutrit impudentiam, & aliquoties victi abſterſo pudore, rurſus noua prælia tentant. Sed viſum eſt illis, veluti monomachia, ſeu duello, periculum facere, an Ieſum vincere poſſent, atque Achyllem aliquem ſubornare, qui in harenam contra victorem deſcendat. Is erat Legiſdoctor, homo verſipellis, & vafer, qui vulpinã induẽs,

aſtu

aſtu rem gerit. *Interrogauit igitur eum Legiſdoctor, tentans eum, & dicens: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?* Magiſtrum vocat, cuius nolit eſſe diſcipulus. Simpliciſsimus interrogator, & maligniſsimus inſidiator. De magno mandato interrogat, qui ne minimum quidem obſeruat. Veriſimile verò eſt, quòd ſperaret Ieſum quippiam dicturum, vnde anſam arriperent Phariſęi calũniandi, ac reprehendendi eũ.

Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deum tuũ, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt primum, & maximum mandatum. Deute. 6.

Tametſi Dominus apertè intelligeret, hunc legis Doctorem non diſcendi voto, ſed ſtudio cognoſcendi, an ſciret quod interrogabatur, quærere: nõ eſt dedignatus tamen reſpondere, ne, qui ſe quotidie in templo doctorem, & magiſtrũ exhibebat, videretur ignorare id, quod in primis Doctori eſt cognoſcendum. Deinde cùm populus multus adeſſet, qui diſcendi gratia conuenerat, conſpiciens non mediocrem vtilitatem ex reſponſo emanaturam, vltro & liberè reſpondet, & dilectionem omnibus pręfert. Mandatum enim dilectionis maximum eſt, maximam adferens vtilitatem, & quietem, maximè in cœlo coronandum, ſi impleatur: et contrà maximè in inferno puniendum, ſi negligatur. Maximum certè mandatum, quo ſine, cętera vel parua ſunt, vel nulla. Sine charitate maxima nihil ſunt. Teſtis nobis ſit Apoſtolus. Si dedero omnes facultates meas pauperibus, ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Præſente

verò

verò charitate, etiam res minimæ fiunt maximæ, aſcenduntque ad pretium omnino immenſum. Nónne ex dilectione propinatus calix etiam frigidus, & res maxima fit, & plurimi apud Deum æſtimatur? Imò calix frigidus tanti apud Deum pretij eſt, vt pro præmio detur propinanti regnum cœlorum. O charitas virtutum princeps, imò & virtutum omnium vita, ſine qua nulla virtus viuit. Ad inferos ducimur, ſi nos deſeris: reducis, ſi adſis. Mortificas omnia, ſi abſis: viuificas rurſus omnia, ſi reuertaris. Tua præſentia nihil fœlicius, tua abſentia nihil miſerius. Tua præſentia Deum affert, abſentia aufert. Vbi tu es, ibi cœlum: vbi abes, ibi infernus. Tu inter cœli luminaria ſol es, inter membra cor, inter ordines angelorum Seraphin, inter elementa, ignis: inter metalla aurum, inter fortia mors, Cant. 8. Fortis vt mors dilectio. Vnde apparet, quòd charitas inter omnia principem & primum locum teneat. Omnia opera extra charitatem plumbea: cum charitate aurea ſunt. Quid enim? nónne charitas dat omnibus operibus pondus, & dignitatem? Quid eleemoſyna, quid preces, quid ieiunium, carniſque maceratio ſine charitate? Quapropter D. Paulus ſciens omnia opera condienda eſſe charitate, exclamat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Et alibi: Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculū perfectionis. Huc faciunt verba Hugonis Victoriani. O charitas, quàm magnum eſt vinculum tuum, quo Deus etiam ligari potuit? Hoc vinculum traxit

Math. 10.

Rom. 8.

Coloſſ. 3.

traxit Deum in terram. Hoc vinxit eum in vtero virginis, hoc alligauit columnæ, Hoc tenuit in cruce. Quid igitur optatius, quid beatius, quid denique melius, & locupletius charitate? *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.* Per cor voluntas, per animam, vita, vel appetitus ſenſitiuus, per mentem verò intellectus debet intelligi. Sic Magiſter N. Heſſelius. Ad eundem modum interpretatur Thomas Caietanus commẽtario in Mathæum. Sequuntur iſti irrefragabiles doctrinæ Chriſtianæ præceptores D. Auguſtinum & S. Thomam, qui ad eundem modum Chriſti verba interpretantur. Sed D. Auguſtinum audiamus: Deum (inquit) ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diliges, vt omnes cogitationes tuas, & omnẽ vitam tuã, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipſa quæ confers. Cùm autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quę vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re frui velit, ſed quicquid aliud diligendũ venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit, &c. Diuo Auguſtino videtur ſubſcribere B. Bernardus ſerm. de diligendo Deo. Diliges Dominum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute, id eſt, diliges dulciter, ſiue affectuosé, diliges prudẽter, diliges fortiter. Certè affectuosè diligere pertinet ad voluntatem, ſicut prudenter ad intellectũ. Quantũ igitur ad duas priores particulas nõ diſsidet ab Augu. Sic & D. Ambr. li. de paradiſo cap. 2. ex toto corde, & ex tota anima ad intel-

Expoſitio M. Ioannis Heſſelij.

Caietanus

Thomas Aquinas

Aug. l. 1. de doct. Chriſtia. c. 22.

Bern. ſer. de diligendo Deo.

Ambroſ. li. de paradiſ. cap. 2.

intellectum & voluntatem refert:ex tota mēte verò ad memoriam. Sunt qui ex toto corde diligi Deum interpretantur, quando rationem, ſiue intellectum captiuamus in obſequiū Dei, ita vt non quod ratio noſtra dictat, non quod intellectus aſſequitur, ſed quod in ſcriptura cōtinetur, id ſolum verum, id ſolum rectum eſſe perſuaſum habeamus. Ex tota verò anima, aiunt Deum diligi, quando voluntas noſtra omnis citra contradictionem Deo addicta eſt. Ex tota denique mente Deum diligi, quādo in memoria non alia res verſatur magis, quā ipſe Deus, vel id quod ad honorem Dei pertinet. Gregorius Niſenus, & Theophilactus in Mathęum, aiunt, cor ſignificare animam vegetabilem, anima, ſenſitiuam, mens intellectiuam, vt videlicet ſignificetur, nos debere ad Deum referre quod nutrimur, ſentimus, & intelligimus. Cæterùm cùm tanta ſit opinionū varietas, non inutile fuerit conſiderare, quid ſacris ſit literis conforme, atque harum filo, imò potiùs fonte certi aliquid elicere. Ex ſcriptura namq; ſacra, facilè perſpicimus tantum includi in vnica illa particula, Ex toto corde, quàm ſi reliquæ par-
3. Reg. 14. ticulæ addantur. Dauid enim dicitur, ex toto corde ſecutus Dominum. Quod teſtimonium ipſe Deus de eo præbet. Quid? Quando conteſtatur eum ex toto corde ſecutū, nónne etiam putas totam præterea mentem, animam, viréſque omnes, quo placeret Domino, cōiunxiſſe?
Pſal. 118. Quin & Dauid de ſeipſo canit, Pſal. 118. Domine in toto corde meo exquiſiui te. Et in toto corde meo, ſcrutabor mandata tua.

De Ioſia verò ſcribitur, quòd reuerſus ſit ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua, iuxta omnem legem Moyſi. Et quanquàm hîc tria illa ponãtur, quæ Deut. cap. 6. in dilectionis præcepto exiguntur, nihil tamen plus dicitur, quàm de Dauide, qui dicitur Dominum ſequi, vel quærere ex toto corde. Deut. cap. 4. ait ſe Dominus inueniendum, ſi quæratur ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ. Nec Samuël minus exigit à populo, quando monet, vt reuertantur ad Dominum ex toto corde. Idem enim poſtulat, quod Moyſes, neque opus fuit Samuëli addere, ex tota anima, aut ex omnibus viribus, quòd particulę, ex toto corde, emphaſis, aut declarationis gratia adduntur. Nam cordis nomine affectus, & intellectus includitur, ad cuius explicationem coniungitur, ex tota anima, & ex tota mente, anima enim dicit affectũ, mens verò intellectum. Apud Marcũ enim pro mente habemus intellectum. Poſtremò, qui ex toto corde quid facit, rectè dicetur illud agere ex omnibus viribus, vel pro virili, vnde additum eſt declarationis gratia, Ex tota fortitudine. Eſt locus qui plurimum noſtro propoſito lucis adferre queat. Legimus ibi Ihehu feciſſe quod rectum eſt, et placuit oculis Domini, et fecit omnia quę erant in corde Dei contra domum Achab, ſed additur, quòd non ambulauit in lege Dei, in toto corde, et quòd non receſſerit à peccatis Hieroboam. Ex hoc loco facile diſcimus, eum non diligere Deum ex toto corde, qui nõ ſtudet omnia eius pręcepta implere.

4.Reg.23.
Deut. 6.
Deut. 4.
1.Reg.7.
4.Reg.10.

Is autem

Is autem ex toto corde Deum amare dicendus, qui illud non diuidit, aut inclinat ad creaturam, ſed potiùs omnia rapit ſecū ad Deum, nulli rei etiam pulcherrimæ, aut venuſtiſsimæ quippiam tribuens, aut adſcribens, niſi propter Deum, aut ad eius laudem, & honorem, ita, vt ob eius amorem poſtponat omnia, honores, aurum, gemmas, formas, veſtium ornamenta, parentes, liberos, cognatos, atque adeò etiam arcto nexu coherentem coniugem, poſtremò & vitam ipſam, luciſque huius vſuram præ Deo vilem habeat, omnia quæ dixi deſerturus potius quàm amatū creatorem. Quin etiam toto affectu, & cogitatu in illum feratur, illū animo contempletur, illum colat, cogitet, ſomniet. Nulli rei lubentius, ac alacrius ſtudeat, omneſque eò ſpes, opeſque collocet: imò illum actionum omnium proram, & puppim faciat. Synceros huiuſmodi amatores biblica tibi le-
Geneſ. 22. ctio facilè ſuggeret, ſuppeditabitque. Mitto Enoch, Abelem, Nohæum, ad Abrahamū venio, qui ita in cāpo dilectionis præcucurrit cæteros, vt quem habebat vnicū filiū, aris, non aliena ſed propria manu iugulādum admoueret. Quid de Moyſe legiſlatore attinet dicere, qui optauit è libri vitæ paginis expungi, atque eradi potuis quàm vnicè ſibi carum populum Iſraëliticum interire? Prætereo Ezechiam, Dauidem, Ioſiam, reges, Eſaiā, Hieremiam, ac Danielē prophetas. Ad legem charitatis, hoc eſt, nouam, quæ nouo Chriſti mādato fulget, verto ſermonem, ibi Petrū, ibi Paulum, ibi Ioannem lego. Ibi Paulus exclamat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?

tribula-

tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an perſecutio, an gladius? An non iſte fortiter, ex toto corde, atque ex tota anima Deum amauit, qui vitam potuis cum ſanguine profundere voluit, quàm dilectionis ferre diuortium? Quod ſi quiſpiam, vel in Euangelium, vel in Epiſtolas illius diſcipuli, qui in pectus Domini IESV incubuit, vel ſemel tantum inciderit, nónne comperiet ibi tot nutriri, tot proſilire ſcintillas, quot verba? Erant iſti, quemadmodum & martyres cæteri, etiam propriæ vitæ prodigi, imò & vnius Chriſti gratiam animas in aperta miſerunt pericula. Quid igitur iſtorum ardentiſsimo amori comparari, aut æquari poſſet? Charitas quippe (Auguſtino teſte) tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa, ipſa contemnitur vita. Fortis certè, vt mors dilectio eſt. Multi ſanè huius ſunt virtutis precones, multi encomiaſtæ, atper quàm pauci, qui re ipſa præſtant, aut amplectuntur quod laudant. Quis verò tam eſt ab omnî amore alienus, quis tam impius, qui non laudet? Hanc Chriſtianus, hanc Neſtorianus, hanc Catholicus, hanc hæreticus, hanc in omni gente Chriſtiana ſummi, medioximi, & infimi omnes celebrant, pauci ſeruant, aut præſtant. Quid igitur ceſſamus inertes? præſtemus quæſo quod laudamus, & Deum noſtrum ſuper omnia diligamus. Nam ſine charitate, nullum ei cultum ſat gratum exhibere poſſumus: imò nullum opus eſt, quod ei ſine charitate placeat: dilectio enim radix eſt omnium bonorum.

Rom. 8.

Aug. de natura & gratia cap. vlt.

Cant. 8.

Et

Et ſicut radix humorem ſubmittit, ac veluti ſubuehit ad ramos, ſic charitas bonitatem ad opera cæterarum virtutum. In charitate Deus cor hominis ita ſibi vendicat totum, vt nullam eius partem alicuius alterius amor occupare poſſet. Eſt enim Deus noſter zelotes, & non modò nō præferri, ſed nec exæquari ſibi quicquam in amore patitur. Id Eſaias quoque ait:
Eſai. 28. Coanguſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrunque operire non poteſt. Quamobrem diſcedit mox de ſtrato cordis noſtri, ſimul vt alius admiſſus fuerit. Hoc etiam
1. Cor. 10. Apoſtolus ait: Non poteſtis calicē Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini eſſe participes, & mēſę idolorum. Quid igitur cum creaturis, neglecto Deo creatore, cui in baptiſmo nomen dedimus, fornicamur? Metuo ne aliquādo nobis exprobret, quod Iudæis olim per Eſaiā ca. 57. Iuxta me,
Eſai. 57. inquit, diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum, dilataſti cubile tuum: ſumpta videlicet metaphora à muliere adultera, quæ pręſente marito in eodem lecto adulterum admittit: quo facto, grauius ledit virum, quàm ſi eo abſente clā ſui corporis copiam faceret. Neque Romani olim ignorauerunt Deum noſtrum eſſe zelotem, nec perpeti poſſe aliorum Deorū conſortium. Nam dum orbem Romano ſubegiſſent imperio, omnium regionum Deos in vrbem adſciſcere decreuerunt, vt videlicet eos haberent propitios, & benignos. *Congregatis antē Phariſæis, interrogauit eos Ieſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei David. Ait illis:*

Quomodo

Quomodo igitur Dauid in ſpiritu vocat eũ Dominũ, dicẽs: dixit Dominus Domino meo &c. Iudęi planè carnales erant, nihil præter merum hominem ſapiebant. Cùm igitur Chriſtus cuperet omnibus eſſe medicus, mentem illorum paulò ſublimius ad Diuinitatem vel à longè cognoſcendam, ſubuehere voluit. Non negat ſe filiũ Dauidis: ſed maius quid ſe eſſe profeſſus eſt, quibus verbis ex ipſius Dauidis pſalmo. 109. petitis, aduerſariorum ora obturauit, cùm apertiſsimum de Diuinitate ſua promeret teſtimonium. Quod cùm illi diſſoluere nequirent, ſed veluti ad nodum perplexum, & inexplicabilem hærerent attoniti, deinceps illum interrogare non ſunt auſi, eo videlicet conſilio, ne illi, quem tam infenſè oderunt, laudem, ac gloriam ex victoria, qua proſternerentur, parerent, & ſibi dedecus coram populo victi lucrifacerent. Quid enim? Nónne & hac tempeſtate hęretici, dum percunctãdo, reprehẽdendo, vellicandoque, matrem Eccleſiam improba perſecutione vexãt, dum oppugnãdi eius dogmata neque finem, neque modum habent vllum, eã potius illuſtrant quàm extinguunt? Quapropter verſipelles, ac vafri veteratores Iudęi, ne Chriſti glorię ſuffragentur, ne populo commẽdatum, & charum, reddant crebris trophæis illuſtriorem, conſultò ab eius congreſſu abſtinent. Sic non perpetuo nos oppugnat diabolus, ſed aliquando fortiter, & generoſè repulſus arma deponit, canitque receptui, ne antagoniſtę ſuo coronam luctando paret. *Pſal. 109.*

PRIMA.

Quod eſt mandatũ magnum &c. *Poſitiuus hic pro ſuperlatiuo ponitur, vnde interpres poſtea vertit maximum, cùm tamen vt hic, ita ibi quoque Græcis ſit μεγάλη.*

SECVNDA.

Miretur meritò quiſpiam, cur hoc præceptũ non ſit in Exodo, vel Leuitico, Sed tantum in Deu-
Deuter. 6. *teronomio. Sed animaduertendum, ſi vim vocabuli erutam velimus, Deuteronomium nihil eſſe aliud, quàm ſecundam, ſiue alteram legem, atque idcirco optimè typum eſſe legis Euangelicæ, quæ ſecunda, & altera eſt à lege veteri. Nam Euangelicæ legi hoc præceptum proprium eſt, cùm ſit lex charitatis. Lex vetus, lex timoris, noua lex amoris liberos filios generans. cùm illa potius ſeruos parere ſoleat. Et vide ſi non ideo Moyſes cum cap. 5. Deuteronomij enarraſſet decalogi præcepta data in montis vertice, cum maxima timoris incuſsione. Deinde capitis ſequentis exordio ſubiunxerit hoc dilectionis præceptum, ſpiritu ſancto ſignificante, poſt legem timoris ſucceſſuram legem amoris. Neque fruſtrà Deuter. cap 17. præ-*
Deut. 17. *cipitur, vt Rex ſibi deſcribat Deuteronomiũ legis, hoc eſt, legem charitatis. Certe 2. Paralip. 24. Rex Ioas coronatus Deuteronomium legis in manu habuit. Vtinam reges omnes hanc legem dilectionis in manu tenerent, aliquanto (opinor) fælicius & ſanctius imperarent.*

TERTIA.

Dilectionis præceptum. quod ad proximum pertinet, Dominus dicit eſſe ſecundum, non quidem ordine legiſlationis, quia prius illud erat datum, Leu. 19. ſed ſuis ſecundum dignitate.

QVARTA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Sunt qui opinentur præceptum iſtud, ſicut & illud,* Non concupiſces, *homini in hac vita eſſe non difficile, ſed impoßibile quoque impletu. Quod quàm ſit dicere, aut docere abſurdũ, nemo non videt, niſi qui nihil videt. Quis enim vel mediocriter in re theologica verſatus, non intelligat homini in hac vita nihil præcipi à Deo, niſi quod illius adiutorio perficere poßit? Præcepta verò nõ dantur in altera vita, ſed potius præceptorũ impletorum ibi capitur præmium, & merces. Sic verò implebimus hic præceptum hoc, ex toto corde, quando Deum pro ſummo bono colimus, præferentes eum rebus omnibus, quæ recipiunt commutabilitatem, vſque adeò vt quibuſlibet carere malimus, quàm Deo. Ad hunc igitur modum poteſt quiſquè intelligi Deum diligere, ex, ſiue in toto corde. Et hæc phraſis omnibus obuia eſt, qui ſacram ſcripturam ſalutauerint. Nam ita legis: In omni corde ſuo iurauerunt, & in tota voluntate* 2.Par. 15. *ſua quæſierunt Deum. Dicitur de Ioſia, quòd reuerſus ſit ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota* 4.Re. 23. *anima ſua, & vniuerſa virtute ſua, iuxta legem Moyſis. De multis legimus, qui hoc præceptum impleuerunt. Tertij. Reg. cap. 15. ſcribitur:* 3.Reg. 15. *quòd cor Aſæ perfectum erat cum Domino Deo ſuo. An non impleuit præceptum Domini, cuius cor erat perfectum? Sic ſcribitur, Ezechias ambulaſſe* 4.Re. 20. *coram Deo ſuo in veritate, & corde perfecto. Et Dauid ait: In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. Ad plenum autem, &* Pſal.118. *perfectißimo modo hic in exilio impleri non poteſt hoc præceptum, ſed id fiet in patria, eritquè fœlici-*

tas quædam eius regni, quod nos coronandos expectat: Nam hic concupiſcentia nos agitat, & corpus animum ita aggrauat, vt miſeri exules, non ita vt volunt, hoc mandati noui faceſſant, impleantque. Placemus tamen Deo, quando ſedulo huc tendimus, vt impleamus, & tendimus eò pro portione noſtræ virili. Nam & miles vel tunc etiã copiarum ductori placet quando legittimè dimicat, & militat, etiã ſi hoſtẽ omnino nõ conficiat. Eò tamen placet magis, quò aduerſarium fortius, & amplius premit. Ad eundem modum & nos imperatori noſtro placem⁹, imò & ab eo præmia recipimus, quando legittimè ad præſcriptũ finẽ ten dimus, etiam ſi hic nõ poſſumus vnquam eum aſſequi.

DOMINICA DECIMANONA
Poſt Trinitat. Euangel.

Matth. cap. 9.

AScendens IESVS in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam.

Poſtea quàm Geraſeni lucem oblatam reſpuerent, & ſeſe indignos facerẽt verbo Dei, Chriſtus noluit ſanctum dare canibus, neque
Matth.7. margaritum obijcere porcis. Adeò enim rudes erant infælices illi, vt Ieſum totius bonitatis fontem vberrimum, & omnis puritatis auctorem poſthaberent porcis, & ſuibus impuriſsimis. Nam vbi viderent Geraſeni iſti numeroſum porcorum gregem in mare vicinum præcipitatum, incredibili dolore perculſi, ac iacturam eam ſecus quàm par erat expendẽtes, maluêre Saluatore carere, quàm pecunia, ac diſſeſ-
ſum

ſum eius precabantur. Vides hîc apertè mundi huius indolem, qui vel IESV ipſi, hoc eſt, ſaluti valedicere conſueuit, vbi vel modicũ ſuis commodis diſceſſurum videt. Succurrit mihi modò D. Ambroſij verbum. Vt infirmiores (inquit) oculi refugiunt ſolem, ita ſapiẽtiæ fulgorem mens inualida non ſuſtinet. Sed ament Geraſeni cum talpis, & veſpertilionibus tenebras, & caliginem, nos noſtram lucem exporrectis lacertis amplectamur. Nunquam Dominus ab Euangelico vacat negotio, ſed à nauſeabundis repulſus, mox ad ſitientes, & eſuriẽtes tranſmittit. *Aſcendit autem nauiculam.* Poterat is qui Petro calcabile mare præbuit, vel ſicco pede tranſire, præſertim cùm & fluctus maris rubri olim ſuſpenderit, vt dilecto Iſraëli iter ſiccum pateret, ſed noluit, ne crebro diuinas virtutes craſsis, & infirmis hominibus demonſtrans, cum natura humana nihil habere commune putaretur. Deindè volebat ſe nauibus oblectari oſtendere. Sic nauem Nohe pereuntibus omnibus, ſeruauit: ſic Petri nauim & miraculo captorũ piſcium, & ſermone ad plebem habito, cohoneſtauit, veluti tectè ad Eccleſiæ ſuę nauim alludens, quam cum Chriſto conſcendat, neceſſe eſt, ſi à Geraſenis porcorum amatoribus abire iuſſus in ciuitatem ſuam, atq; ad patriæ littora appellere cupiat.

Ambr. lib. 2. de Abra bam ca. 4.

Math. 14.

Exod. 14.

Luce. 5.

In ciuitatem ſuam. Non quòd tam fuerit vel locuples, vel potens, vt ciuitatem poſsideret, cùm non haberet vbi vel caput feſſum, affectumque reclinaret, ſed idcirco ciuitas eius appellata eſt Capharnaum, quia crebris & mira-

Math. 8.

culis, & concionibus ſuam effecerat. Quemadmodũ enim Bethlehem cunis, Nazareth educatione celebres reddidit, ita Capharnaũ perpetua ferè commoratione, tametſi plebs huius vrbis nec concionibus, nec ſignis frequentibus ad meliorem frugem pertrahi potuerit. Hinc grauiter reprehendit aliquoties Capharnaitas, vt, Et tu (ait) Capharnaũ nunquid vſque ad cœlum exaltaberis? Vſque ad infernum detraheris. Erat enim ad verbum Dei vel audiendũ, vel præſtandum mirè contumax, vt ferè plæręque vrbes nobili mercatu, & portu accommodo ſplendidæ. Erat ciuitas littoralis, apta negotiationibus, &, quòd diuitias comitari ſolet, luxu diffluens, ac faſtu turgida. Apud hos corruptiſsimos non eſt dedignatus habere domicilium Agnus ille manſuetiſsimus, qui venerat non vt vocaret iuſtos, ſed peccatores inuitaret ad pœnitentiam. Quęrit miſeros miſericors, quęrit ægros tam amicus medicus. Solus ſine faſtidio verſatur inter peccatores, qui ſolus erat ab omni peccati contagio immunis. Sunt qui Capharnaũ Galilææ fuiſſe metropolim volunt. Sed hoc nihil niſi nomẽ inane, cùm ciues ſint praui, & inepti. Non ego eam laudo ciuitatem, vbi cadentibus moribus ſurgũt mœnia. Non quòd metropolis ſit (ait Chryſoſt.) neque quòd habeat domiciliorum magnitudinem, & ornatum, neque quòd multas columnas, porticus, & deambulationes, neque quòd ante ciuitates alias prædicetur: ſed inhabitantiũ virtus & pietas, hæc eſt dignitas, & ornatus, & tutela ciuitatis: ita ſi hęc deſint, omnium ſit viliſsima

Math. 11. *Chryſ. ad populum Antioche. Homil. 17.*

liſsima, licet infinitum ab Imperatore conſequatur honorem. Vis ciuitatis tuæ dignitatem diſcere? Vis gentilia ipſius ornamenta cognoſcere? Dicam ſedulò, non vt diſcas ſolùm, verùm vt & imiteris. Contigit primum Antiochiæ diſcipulos appellari Chriſtianos. Hoc ciuitatum omniũ quæ in mundo ſunt, habet nulla, nec ipſa Romuli ciuitas: propterea contra omnem terrarum orbem oculos erigere poteſt, &c. Et paulò inferius. Mihi ciuitas nõ habens pios ciues, omni villa vilior eſt, & quæcunque ſpelunca ignobilior. Virtus ſola inhabitantes ornat. At multitudo (inquies) hominum ornamento eſt ciuitati, vnde & conſequitur, Capharnaum fuiſſe inſignẽ vrbem, quia populoſam. Sed melius eſt (ait Chryſoſt.) vnum eſſe, qui Domini voluntatem faciat, quàm mille impios. Quid rogo turba prodeſſe poterit? Ex hoc omnia euertuntur, quòd veluti in theatris multitudinem quærimus, non probatam multitudinẽ. Vis diſcere quòd multitudo ſancti ſunt, non multi. Educite ad bellum decies centena milia, & vnum ſanctũ, videamus quis plura præſtabit. Ieſus Naue filius in pugnam deſcendit, & ſolus omnia geſsit, alij verò nihil profuerunt. Nónne videtis quòd melius eſt vnum habere precioſum lapidem, quàm multos obulos? Nónne melius eſt vnicam ouem habere ſanam, quàm decem milia ſcabie repletas? Populoſa erat Babylon, ac delitijs luxuque multo diffluens. Amœna Sodoma, tanquam paradiſus Dei. Mercatu omnigeno, & mercibus peregrinis, atque vndique affluentium inſtito-

Act. 11.

Chryſ. homilia. 26. ad populũ.

Ioſue. 11.

 rum

rum copia nobilis Tyrus. Nunc & campus eſt vbi Troya fuit. Habent & præclaræ vrbes ſenium ſuum, quod non anni, ſed malitia, & corrupti ciuium mores accelerant. Quid Athenæ florentiſsima olim academia, ſcientia, & belli artibus potens, quid iam eſt aliud quàm vicus? Ad eum modum de Capharnaum dicere poſſumus. Imò Hieroſolyma ipſa vix iam locum ſuum obtinet, & Roma toties euerſa vix terrori eſt. Porrò cùm M. Curij verbum ſit, frugalitatem bonæ valetudinis ſororem eſſe, par eſt luxum immodicum, & crapulam, morborum & aduerſæ valetudinis eſſe fontes, vnde & veriſimile apud Capharnaitas complures fuiſſe ægros. *Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Mathæus obiter deſcribit hanc hiſtoriam, Marcus & Lucas fuſius. Aiunt enim ad eum, cùm in domo eſſet, confluxiſſe quàm plurimos, imò & vnà adfuiſſe Phariſæos, & legis doctores complures, vſque adeo, vt ex omni caſtello Galilææ, & Iudææ, atque ex ipſis etiam Ieroſolymis conuenerint. Videtur autem ſeruator latenter eam domum ingreſſus, atque ibi ſe abdidiſſe, priuſquã innoteſceret vulgo. Verumenimuerò nequaquam ſol latere poteſt, omnia enim penetrat, ſeque ipſum prodit. Rumor autem à paucis ortus iam per compita, & vicos populoſiſsimæ vrbis ſparſerat, Ieſum eſſe in ædibus. Vnde confeſtim tanta hominum vis eò confluxit, vt non domus ſolùm compleretur, ſed & aditus ad ianuam ducentes conſertam, denſatamque accurrentium multitudinem capere non poterant.

Marci Curij verbũ.

Marci. 2. Lucæ. 5.

rant. Docuit autem Dominus è domo tam diſertè, & plenè, vt & vox ſeſe foras effunderet. Erat illi naturale omnibus gratificari, & benefacere. Quocumque circumferas ignem, calefacit. Quocumque vnguentum, impinguat. Vbicumque ſol eſt, lucet. Quacumque labitur aqua, rigat. Vbicumque diffunditur balſamum, ſpargit odoris gratiam. Seruator erat, nihil aliud cupiebat, nihil aliud poterat, quàm ſeruare. Si quis perit ſuo vitio, perit, cùm eius beneuolentia, nulli non ſit obuia. Verùm ecce inter loquendum præſto eſt exercendæ virtutis materia. Paralyticus lecto affixus à quatuor baiulis ferebatur, qui nihil addubitabant (ita vigebat in ijs fides) quin IESVS & ſalutem dare poſſet affecto, cui nullum morbi genus eſt immedicabile: quin & velit, ſi modò ſub oculos miſericordis veniat miſerandæ calamitatis ſpectaculum. Sed differta turba fores obſidens aditum claudit miſero. Neque tamen malè fauebant ęgro, ſed non poterant ab oratore tam facundo, cuius verba (teſte Hieremia) velut ignis accendebant, *Hiere. 23.* diuelli. Tanta verò auditorum vis erat, vt domo plena plurimi ad patentes feneſtras, atque ad fores ſermoni Ieſu inhiarent. Tam promptos & ardentes animos ad hauriendam concionem Eccleſiaſticam adferre oportet. Excluſi igitur baiuli, cùm iter ad ſeruatorem, omni moto lapide, molirentur, neque quicquam promouerent, non deſtitêre tamen cepto, ſed potuis vndique ſibi opem adſciſcebant, vt voti compotes fierent. Quid igitur? Inceptant

tant rem longè (vt videbatur) & ineptiſsimam, iuxta, & impudentiſsimam: ſed Græcis in prouerbio eſt, inutilis eſt pudor viro egeno. Verùm fœlicem ego impudentiam iudico, quæ per fidem impetrat totius hominis ſalutem.
Lucæ.7. Exemplum ſimile eſt. Vbi mulier peccatrix non erubuit, multo priùs imbre lachrimarũ defuſo, Ieſu pedes, ſpectantibus Phariſæis, paſsis
Lucæ.15. capillis abſtergere. Nónne & pudoris plenum erat, filium illum nepotem, qui impurè commeſſando, paternas opes decoxerat, coram familia parentis ſeſe oſtendere? Sed quoniam vehementiſsimè hos pigebat, pudebatque tot commiſiſſe flagitia, non deterrebantur pudore humano, quo minus accederent, illa ſeruatorem, iſte patrem. Magno conatu ſarcinam ſuam in tectum domus ſubuehunt. Veriſimile eſt, tectum nullas habuiſſe contignationes, nec fuiſſe ſimile noſtratibus, ſed planius, in quo liceat ambulare, quod genus ædificia adhuc videntur apud Hiſpanos, & Italos. Ego quoque dum Dilingæ apud Cardinalem Ottonem Truceſium agerem, huiuſmodi complura vidi ruri, non ita longè à Memminga. Nudata igitur tecti parte, paralyticum penſilem cum ſuo grabato ad Ieſu pedes demittunt. Hic rogabit aliquis, cur non expectabant concionis finem? Indignum enim videtur & inciuile, talem prophetam interpellare. Sciebant eum ſæpius appellari, nec vſquam procedere, niſi denſiſsima vallatum turba, ſe verò cum ſarcina parum expeditos ad ſequendum, aut per turbam

turbam penetrandum ad IESVM. Deinde perſuaſum illis erat, tam placidis, ac mitibus moribus præditum medicum non eſſe irritabili bile, vnde non facile, ſi quis opis indigus, eum precaretur, offendebatur. Admirabilis certè Domini manſuetudo, qua funeſto ſpectaculo non indignabatur interrumpi ſermonem. Imò tantum abeſt, vt grauatim ferat baiulorum improbitatem, vt etiam fidem illorum commendaret. Dixerit hîc quiſpiam, quo pacto Capharnaum de impietate reprehẽdetur, vbi tales viri tam amantes ſalutis fraternæ reperiuntur? Sed vnica hirundo non facit ver, & in corruptiſsima Sodoma repertus eſt pius Loth cum filiabus. Non omnes igitur erant in hac vrbe deplorati, ſed maior pars vicit meliorem. Huc ſpectat fortaſsis quod Dominus ait Regulo: Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. Erat certè in quatuor his baiulis ardens, & indefeſſum in proximum ſtudium, nobis meritò imitãdum. Imitanda eſt & ægri patientia, ſimul cum fide coniuncta, dum hæc omnia, quæ hîc narrantur, patienter tulit. Sed in baiulis plures enitent virtutes. Primò ingens miſericordia. Nam cùm eſſet impos virium, & membrorum paralyticus, nihilque poſſet quàm iacere, iam ſemiuiuum potius cadauer quàm homo, luridus, ſqualidus, atque in ipſis ferè ſtragulis putrefactus, non auerſantur eum tamen baiuli, ſed gerunt potiùs, miſericordia commoti, ad medicum, vt ſuo labore illi parent ſanitatem. Ecce miſericordiam. Iam ſpem, ac fiduciam illorum videamus. *Ioan. 2.*

Nònne

Nónne ſummam de Chriſti potentia ſimul ac bonitate fiduciam tibi concepiſſe videntur, qui non ſolùm alacres ad eum feſtinant, ſed etiam domicilij tectum ſcandere audent? Tribus verbis dicamus, fide credunt Chriſtum talia poſſe, confidunt Chriſtum talia velle, & dilectione miſerum aduehunt. Niſi enim proximum amaſſent, eiuſque vicem indoluiſſent, nequaquam eum tam diligenter Chriſto offerendum curaſſent. Pudeat nos noſtrę oſcitantiæ, ac negligentiæ, qui nequaquam pares animos, paremque iuuandi fratres ardorem concipimus. Sic verò myſticè intelligere poſſumus. Anima pijs operibus deſtituta, Chriſtum quęrens, per paralyticum hunc intelligitur. Hęc per obſtantem impeditur turbam, nec eum inuenire poteſt, niſi tecta aperiat .i. ſcripturæ operta & arcana, per quæ deſcendendo ad Chriſtum venitur, id eſt, modeſtiam & humilitatem eius amplectendo, & fidei pietate ad incarnationem eius deſcendendo. *Et videns Ieſus fidem illorum.* Pręclara fides, quam Dominus ſuo dignatur obtutu, quam tres Euangeliſtę ſtilo ſuo illuſtrant. Cùm enim viderent fratrem cum morbo teterrimo colluctari, nihilque præſidij aut opis eſſe in mędicis, ſeſe inuicem cohortantes, agite, inquiunt, ad Ieſum Nazarenum eatur, ad Ieſum pauperum omnium patronum, infirmorum medicum, mœſtorum, triſtiumque hominum conſolatorem. Ille pro ſua humanitate infœlicem paralyticum noſtrum recreabit, curabitque: De potentia verò eius nihil addubitamus, Si velit, poteſt. Deus enim

enim illi cooperatur, vſque adeò, vt & verbo infirmitati huic mederi poſsit. Talem fidem cùm haberent, mirabitur quiſpiam quòd Dominus benignis oculis eam contempletur? Neque bajuli ſolùm, ſed (ſi Chryſoſtomo auſcultamus) & paralyticus quoque fidem, fiduciamque habuit. Nequaquam enim Dominus dixiſſet, dimittuntur tibi peccata tua, niſi & ipſe quoque fidem habuiſſet: Nam quamquàm ſanitas corporis aliquoties collata ſit à Domino, fidei alienæ reſpectu, animæ tamen ſanitatem, quæ in peccatorum conſiſtit remiſsione, adultis dari non poteſt, niſi propriam fidem habeant. Quando autem dicitur fides aliena ſaluare aliquem, de ſanitate corporali intelligas, oportet. Non poteſt pro me alius credere, poteſt tamen aliquis ſua fide impetrare, vel ſua prece ſuccurrere. Quod ex Ambroſio perſpicuum euadit. Diſce (inquit) qui æger es, impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Eccleſiam, quæ pro te roget, cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare poſsit, ignoſcit. Quando igitur Dominus dicitur fidem portantium infirmum, non ob id ſtatim excluditur fides propria, quæ in adulto, vt illi peccata donentur, neceſſaria eſt. Sic in vita naturali nemo poteſt pro me naſci, aut mori, oportet vt ego naſcar, non aliud pro me: poteſt tamen alius vita ſua me adiuuare, vt & ego vitam acquiram. Ita nemo pro me credit, ſed fidem mihi impetrare poteſt, atque ad hoc valet fides aliena. Sic B. Stephanus, vti Aurelio *Act. 7.*
Auguſti-

Auguſtino, eiuſque ſtudioſis placuit, Paulo fidem impetrauit. Sic Paulus & ipſe pro Epheſijs precatur, vt conſequantur pleniorem cognitionem Chriſti. Ex his poſſumus colligere, quid de pueris, qui baptiſmo admouentur, ſentiendum ſit. Qui verò exactius cognoſcere cupiat, quæ fides paruulis ſuccurrat, legat D. Thomam Aquinatem, tertia parte quæſt. lxviij. art. 9. Videas amice Lector, D. Bernardum, ſermone 66. in Cantica, vbi inter cætera ita habet. Quid (inquit) ſi infans pro ſe loqui non poteſt, pro quo vox ſanguinis fratris ſui, & talis fratris clamat ad Deum de terra? Adſtat nihilominus & clamat Mater Eccleſia. Quid tamen infans? Nónne & ipſe tibi videtur inhiare quodammodo fontibus ſaluatoris, vociferari ad Deum, ſuiſque vagitibus clamitare: Domine vim patior, reſponde pro me? Flagitat auxilium gratiæ, quia vim patitur ab origine. Nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui mater impartit ſuam. Magna eſt Eccleſiæ fides. Nunquid minor fide mulieris Chananææ, quam conſtat & filiæ ſufficere potuiſſe, & ſibi? Nunquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes, animæ ſimul, & corporis obtinuêre ſalutem? Quorum fidem vt vidit &c. *Ait Ieſus paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Epheſ. 3.

Ecce filium vocat, quem tamen peccatorem dicit. Quomodo peccator eſt filius DEI? Si Deus non eſſet peccatorum pater, nequaquam docuiſſet nos Chriſtus dicere: Pater noſter qui es in cœlis, remitte nobis debita noſtra.

ſtra. Pater verò peccatorum eſt, non ideo quia peccatores ſumus, ſed quia homines ſumus. Pater peccatorum eſt, non quia ea foueat, ſed vt ea expellat. Sic medicus pater eſt ægroti, quando hunc non ob ægritudinem interficit, ſed potiùs ab ægritudine liberat. Sed numero dicam, Deus pater eſt peccatorum, quia mauult ea agnoſcentibus, & relinquentibus ignoſcere, & parcere vt pater, quàm vt iudex vindicare. *Confide fili.* Id eſt, bono ſis animo. Porrò geminam ob rationem, priuſquam Dominus ſanitatem confert, remittit paralytico peccata. Primò, vt oſtendat eum propter peccata in hunc morbum incidiſſe: Deinde, vt occaſione obmurmurationis Phariſæorum de ſua poteſtate, & diuinitate apertius diſſereret. Nam obmurmurantibus Phariſæis, occaſio data eſt, vt diuinitatem ſuam eis declararet, videlicet demonſtrando ſe videre cogitationes eorum, & ſubito ſolo iuſſu ſanitatem corporalem largiendo. Porrò peccata morborum præbere cauſas, non vno loco ſacræ docent literæ. Id Paulus oſtendit, dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi, id eſt, mortui ſunt. Item Ioannis cap. 5. dicitur languido, qui à Christo ſanitatem conſecutus erat: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat: vbi apertè oſtẽditur, peccata ortum dediſſe ægritudini. Idcirco prudentiſsimè ſanè in Cõcil. Lateranenſi conſtitutũ, decretumq́; eſt.
1. Corin. 11.
Ioan. 5.
vt

Concil. Lateranen. can. 11. Vt priuſquam ad infirmum corporis medicus admittatur, medicus animæ ſacerdos vocetur, ſic enim Canon habet: Cùm infirmitas corporalis nonnũquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido: Vade, & amplius noli peccare, decreto præſenti ſtatuimus, & diſtricte præcipimus medicis corporum, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ante omnia moneant, & inducant, vt medicos vocent animarum: vt poſtquam fuerit infirmis de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur, cùm cauſa ceſſante, ceſſet effectus. Hactenus Canon. Huius igitur rei Dominus Ieſus apertiſsimum præbet exemplum, prius animæ opem ferens, deinde tanquam indigniori ipſi corpori. Hîc obiter etiam mihi vide Domini liberalitatem. Multò plus largitur, quàm expectabant baiuli. Probabile eſt, eos nihil præter ſanitatem à paralyſi expectaſſe. At Dominus, cui interna quoque patent, videt hominem magis ægrotare animo, quàm corpore, vnde illi primo ſuccurrendum iudicat, poſtremo corpori. Vide porro, qua facilitate, quáue manſuetudine vniuerſa eius tollit crimina. Non prodit commiſſa, non obiurgat, non exprobrat. Sed quid? Confide, inquit, fili, Iuxta Mathæum, filium vocat, iuxta Lucam, hominem. Ante nec homo erat, nec filius: Vtrumque fit, condonatis peccatis. Iubet eſſe bono animo, pro merita obiurgatione conſolationem impertiens. Et cùm exemplum tale nobis ediderit ſummus ille omniũ Dominus,

nus, in quo nullus erat vel criminum neuus, non pudet quoſdam tanto ſæuire ſupercilio in lapſos, cùm ipſi ſæpè vitijs madeant grauioribus. Sed nihil æquè offendit ſanctos illos viros ſcribas, & Phariſæos, ac illa vox Domini: *Fili, remittuntur tibi peccata*.

Erat enim inaudita illorum auribus. Verſabatur illis in pectore illa vox Eſaiæ: Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me. Vnde cùm Ieſum merum hominem eſſe arbitrarentur, blaſphemiæ eum reprehendere meditantur. Ille verò, & ſi vtcumque rectè oſtendit ſe Deum eſſe, dum per tot tectoria, quid animo voluerent, ſe cognoſcere demonſtrat. Erant enim inter Scribas aliquot, qui tacitis cogitationibus obmurmurarét, ac dicerent: *Hic blaſphemat*. Qua frõte vendicat ſibi homo, quod Dei eſt? Calumnioſa res ſupercilioſa ſcientia, Legis cognitio armat eos ad calumniandum. Sed reſpondeamus ſupercilioſis legiſperitis: Frequenter in pſalmis occurrit de Deo, quod facit mirabilia ſolus, & tamen non obſtanti hac ſcriptura, intelligimus & alios homines miracula facere, Deo ſcilicet poteſtatem ſuam eis communicante: ita quoque intelligere debemus, Deum Chriſto communicaſſe poteſtatem ſoluendi peccata, qui etiam propriam ei communicauerat poteſtatem miracula faciendi. *Sed cùm vidiſſet Ieſus eorum cogitationes, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris.* Profectò vos Scribæ, & Phariſæi malè cogitatis: Iudicatis enim me blaſphemare Deum, propterea quòd dicam miſero,

Eſaie. 43.

peccata tua remittuntur tibi, & reprehenditis me, quaſi Deus non eſſem. Sed intelligite, quòd eadem potentia, qua occultas cogitationes video, etiam peccata remittere poſſum. Sicut enim ſolius Dei eſt, remittere peccata, ſic etiam ſolius Dei eſt, cognoſcere hominum cogitationes, & ſcrutari corda. *Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere, ſurge & ambula?* Senſus eſt: Vos me blaſphemum exiſtimatis, quòd dixerim paralytico: *Remittuntur tibi peccata.* Et idcirco iudicatis me vſurpare poteſtatem Diuinam. Sed veſtrum nunc rogo iudicium, veſtram ſententiam, vtrum horum duorum minoris eſt poteſtatis, seriò, & cum efficacia dicere: *Remittuntur tibi peccata*, an dicere, *ſurge, & ambula.* Non dubito, quin vtrumque ſit paris poteſtatis, ac talis, quæ vni Deo propria eſt, cùm ſolius Dei ſit, verbo præſtare, quicquid voluerit. Igitur cùm ſolo iuſſu faciat paralyticum, cui nullus erat antè membrorum vſus, ambulare, quis tam ſtupidus, vt non credat eum etiam poſſe remittere peccata? Nam puro homini vel alterum præſtare eſt impoſsibile. Animaduertendum autem, Chriſtum, quatenus homo eſt, aliter peccata remittere, quàm ſacerdotes. Sacerdotes enim remittunt ſolum tanquam miniſtri Chriſti, Chriſtus autem remittit auctoritatiuè, & meritoriè, ſua morte expians hominum peccata. Cùm verò Scribæ & Phariſæi non reſponderent, vtrum facilius eſſet, ſed ſilentio rem premerent, pergit proſequi ſermonem. *Vt autem ſciatis (inquit) quòd*

quòd filius hominis poteſtatem habet remittendi peccata in terra, dixit paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Acſi dicat, videte nunc, an mea verba vana ſint, & vacua, an verò poteſtatis, diuinęque virtutis plena. Et quoniam homines eſtis, in re viſibili virtutis meæ præclarum ſpecimen dabo, vt inde colligatis, quid in inuiſibili præſtare queam. Si nequaquam plenè hîc paralyticus eſt ſanatus, ſi non fortis exilit è lecti ſui nido, ac ipſo prehenſo domum recurrat, reum me blaſphemiæ (non reclamo) nunc agite. Cùm verò coram conſpiciatis, eum non egere quatuor baiulis, ſed ijs ablegatis, iam lectum in ædes ſuas referre, ſplendidiora, & meliora vobis de me promittite, ac tandem, ó tandem reſipiſcite. Inſigne hoc miraculum. Lectus ille, qui fuerat paralyſeos, teſtimonium modò ſit, & integræ teſtis ſanitatis. Conſultò verò domum repetere iubet, ne in foro, & plateis gloriam aucupari videatur, ſi ſecum duceret ſanatum. Sed quid hîc paralyticus, audito ſermone tam exoptato? *Et ſurrexit, & abijt in domum ſuam.*

Nouum & admirandum ſpectaculum, exilit è lecto, ac ſolidis iam inſiſtens pedibus, firmis lacertis lectulum complectitur, ſublatumque in domum reportat. O miraculum præclarum: paulò antè tanquam exangue, atque exanime cadauer à quatuor baiulis lecto infixus geſtabatur, modò verò tantæ vehendæ ſarcinæ vnus ſufficit. Negatus illi fuit aditus ſeu locus aduenienti, nunc verò vltro datur abeunti. Quid verò hîc liuore marcidi, & exangues ſcribæ?

Quid cogitant, quid dicunt? Verbo dicam. Rabioſa ſilentia rodunt. Subducunt igitur ſeſe, ac turbam operum diuinorum admiratricem cum Ieſu relinquunt. *Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.* Inuident præclaro, & illuſtri miraculo Phariſæi, ſed ſimplex turba fauet. Tacent Scribæ grauiore paralyſi correpti, quàm fuerat ille paralyticus. Multitudo verò indocta religioſius interpretans ea quæ gerebantur, timore concutitur, ſed timore reuerentię. Nunc ad allegoriam veniamus. Paralyſis animæ multis partibus miſerabilior eſt paralyſi corporis. Quàm infœliciter paralyticus eſt, qui non habet manus ad ſubueniendum egenis, ſed habet ad rapinas: qui membra non habet ad offitia charitatis, ſed habet ad luxum, ad libidinem, ad violentiam. Qui linguã non habet ad docendum, ad conſolandum proximum, ſed habet expeditam ad nugandum, ad turpiloquium, ad obtrectandum. Totus iacet, non in grabato, ſed in cœno vitiorum omnium. Defertur à baiulis, non ad Chriſtum, ſed ad omne dedecus. Baiulos autem habet ambitionem, auaritiam, luxum, & inuidiam. Sed ablegatis ô miſer his baiulis, adſciſcas tibi quatuor alios, qui te ad Chriſtum portent. Hi erunt eleemoſyna, piorum interceſsio ad Deum, manſuetudo, & fides. Nec eſt quod animum deſpondeas, quia diu in vitijs computruiſti. Ibis ad benignum, & miſericordem medicum, vnde audies: Fili, remittuntur tibi peccata tua, ſurge, & vade in domum

Allegoria.

mum tuam. Curet igitur paralytica anima, vbi morbum ſuum agnouerit, in Epiſcoporum, concionatorum, paſtorumque humeros ſeſe inijcere, in illorum ſinum ſe abdere, obnixè rogans, vt ſeſe ad medicum Ieſum doctrina, precibus, inſtitutioneque ſua ferant, ac illi etiam atque etiam commendent. Qui non dubium, ſua benignitate omnibus ſupplicibus expoſitiſsima, non ſolùm peccata remittet, vnde paralyſis illa, & virium diſſolutio nata eſt, ſed & vires largietur tantas, vt non tantum ſurgat, ſed etiam lectum, hoc eſt, carnem, in qua putrefiebat, & quieſcebat langueſcens, & marcens, ad omnem boni operationem, veluti in humeros tollat, dominans iam illi, cui prius ſeruiebat. Et quoniam hæc diuino munere ei concedit altiſsimus, honorem, & gloriam illi vni tranſcribet, ſecum frequenter expendens beneficij accepti, & miſericordiæ Chriſti magnitudinem: vnde cum Pſalmiſta ſæpiuſculè exclamabit. Conuertere *Pſal. 114.* anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. &c.

Annotatiuncula Prima.

In hoc Euangelio id ſingulariter adnotandum occurrit, Dominum Ieſum prius docuiſſe, deinde ægrotos ſanaſſe, re ipſa declarans, primam animorum rationem habendam, poſteriorem corporum, vnà indicans, ſe non tam veniſſe ad curanda corpora, quàm ad docendum.

SECVNDA.

Nemo miretur paralyticum perpetuo hic tacuiſſe. Apud benignum medicum, ac indulgentiſſimum patrem loquax res eſt calamitas. Nónne & infantibus matres vbera ingerunt? Et miſeriam vultu oſtentaſſe, ſatis eſt miſericordiam rogaſſe.

TERTIA.

Videns Ieſus fidem illorum. *Sed quare dicitur vidiſſe fidem baiulorum, & non paralytici patientiam, ac miſeriam? Non dubium, quin ægri patientiam, & adferentium ſtudium charitatemq́ue benignis notauerit oculis, ſed fidei propria merces eſt, conſequi id quod credit, & ſperat. Id quod ferè innumeris locis oſtenditur in Euangelijs. Vnde frequenter legimus: Fides tua te ſaluum fecit. Si habueritis*
Math. 17. *fidem ſicut granum ſynapis. Et Math. ca. 9. ait duo-*
Math. 9. *bus cæcis: ſecundum filem veſtram fiat vobis.*

QVARTA.

Sed dubium eſt, quod magis vrget, quomodo videlicet remiſsiò peccatorum tribuatur fidei, cùm baiuli ne cogitauerint quidem de hac ſanitate ſpirituali. Sed ita factum oportuit. Nam ſanitatem corporis certo ordine largiri voluit, remota prius radice peccatorum, vnde infirmitas fuerat nata. Vel poteſt rectius reſponderi, fidem de remiſsione peccatorum in illorum fide fuiſſe implicitam, licet actu de illa non cogitauerint.

QVINTA.

Quomodo æquè facilè aſſerit Chriſtus dicere, ſurge, & ambula: &, remittuntur tibi peccata: Cùm Ioan. Chryſoſtomi ſententia ſit, longè difficiliorem eſſe animæ quàm corporis curationem. Quin & Auguſtinus accedit Chryſoſtomo aſtipulator in caput Ioan. 14. dicens, maius eſſe opus, cùm quis ex impio

fit

ſit iuſtus, quàm creare cœlum, & terram. Reſpondendum proculdubio, maius eſſe opus iuſtificare impium, quàm ſanare ægrum, cùm hoc ad corpus, illud verò ad ſpiritum pertineat. Verùm ſanare paralyticum ſolo iuſſu, & remittere peccata, ſi referantur ad cauſam, à qua ſola hæc fieri poſſunt, æquè difficilia, æquè ſunt facilia. Nam diuinæ virtuti, quam nulla remoratur difficultas, æquè facile vtrumque eſt.

DOMINICA VIGESIMA A TRINITATIS EVANGELIVM.

Mathæi. 22.

Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.

Nuptialis huius conuiuij commemoratio tanta dulcedine vndique reſperſa eſt, vt meritò etiam animi medullas liquefacere poſſet: imò incredibiles excitare flammas. Hoc ſanè conuiuium illud de quo vaticinatus eſt Eſaias, Faciet Dominus exercituum omnibus *Eſaie.* 25. populis in monte, hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. O magnificum Aſſuerum, qui pauperem virgunculam Eſtherem ſibi deſponſam in æternæ vitæ delitias ad menſam regalem introducere meditatur. Imò ſi rem omnem expendamus, epulum illud Aſſueri nihil eſt aliud, quàm cœna paupertina, ſi Chriſti conuiuio comparetur. Durauit illud diebus octoginta, iſtud perpetuo. Conuiuator ille mortalis erat, varijſque vitæ huius ca-

lamitatibus obnoxius. Chriſto verò Eccleſiæ ſponſo inuenta eſt viridis, æterna, perpetuóque ita florens, vt nullis iniuriantis fortunæ caſibus ſit oportuna. Chriſtus enim reſurgens
Rom. 6. ex mortuis, poſthac non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Nuptias Aſſueri conciliauit forma, & amor carnalis. Has nuptias Chriſti cum Eccleſia conciliauit honeſtas, atque adeo ipſe Spiritus ſanctus. Prædixerat has olim nuptias Hoſee propheta, ſpiritu videlicet ſtipulatore, huius ſanctiſsimi coniugij plenus.
Hoſee. 2. Sponſabo (ait Deus) te mihi in ſempiternum, in iuſtitia, in miſericordia, & in miſerationibus. Sunt & figuræ huius coniugij per ſacras literas ſparſæ, nempe Moyſis cum Æthiopiſ-
1.Reg.24. ſa, Dauidis cum Abigaele ruſtica, & Solomo-
Exod. 2. nis regis pacifici, ac ſupra modum locupletis cum filia Regis Ægypti. Quis verò poterit ſponſi Chriſti virtutem, opes, clementiam, potentiamque vel calamo deſcribere, vel lingua effari? Omnia in his nuptijs myſteriorum, admirationiſque plena ſunt. Dic Gabriel, tanti conſcie coniugij, imò dicite potiùs Seraphin, ac Cherubin, quo igne caluerit veſter conditor, veſter rex, vt ad Adami præuaricatoris filiam ſe demitteret? Mitto nunc linguæ plectrum, mitto calamum, ſed quod pectus quæſo tam ſublimium rerum capax, vt cogitatu concipere queat, quo fœdere, quo nexu vtraque natura conſeritur, vt à maieſtate ſuſcipiatur humilitas, à virtute infirmitas, ab opulentia egeſtas, à ſummo pretio vilitas? Quis non totus rapiatur extra ſe vel ſtupore, vel amore,

amore, dum cernit ſolem inuolui luto, adamantem plumbo, regem coniungi ancillæ, Deum homini, creatorem creaturæ? Itáne fœno exarido iungitur cœleſtis, atque ab æterno virens immarceſcibilis roſa? An ne hoc diſpar coniugium? Ortum verò habuerunt hæ nuptiæ in vtero virginis Mariæ, vbi facta eſt coniunctio vtriuſque naturæ. Sed meruit ne noſtra natura diuinæ coniungi, & à Dei filio aſſumi? Nequaquam. Conticeſcant (ait D. Auguſtinus) humana merita, quæ perierunt in Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia per Ieſum Chriſtum. Sed audiamus Iuſtinum martyrem. Lia (inquit) eſt Synagoga, Rachel noſtra eſt Eccleſia. Seruijt Iacob Labano pro maculoſis & varijs pecoribus, Chriſtus pertulit mortem pro varijs hominum generibus. Certè natura noſtra altius nubere non potuit, quàm cùm iungeretur filio Dei. *Et miſit ſeruos ſuos vocare ad nuptias, & nolebant venire.* Serui miſsi, Apoſtoli ſunt cum Ioanne baptiſta. Sed quid aiebant? Pœnitentiam agite, & apropinquabit regnum cælorum. Tam ſuauiter verbum inuitationis propoſuerunt Apoſtoli, vt facilè ferrum, & rigida ſaxa emollire potuiſſent. Paulò ſeuerius viſus eſt agere Baptiſta, nam nonnihil adhuc veteris legis ſeueritatem reſipiebat. Sed nihil actum, viſique ſunt ſurdis canere. Hoc indicatum videri poſſet Math. cap. 11. Lamentauimus vobis, & non ploraſtis: cantauimus vobis, & non ſaltaſtis: hoc eſt, neque beneuolentia, neque ſeueritate ad meliorem frugem adduci poteſtis.

Epheſ. 5. Apoc. 19. & 21.

Aug. lib. de prædeſt. Sanc. c. 15.

Iuſtinus cõtra Triphonem Iudæ.

Math. 4.

Math. 11.

Nolebant

Nolebant venire. O phreneticum facinus & execrabile. Pauper es, famelicus es, triſtis es, infirmus es, mortuus denique es, & vocaris, inuitariſque ad opes immenſas, ad menſam opiparam & ſplendidam, ad gaudium æternum, ad ſanitatem perpetuam; deniqúe ad vitam, & miſer tergiuerſaris, moraſque nectis? Nolunt venire miſeri etiam inuitati, quò vel vltro properare debuerant, ſi vel micam ſanæ mentis habuiſſent. Vitium hoc non fragilitatis eſt, ſed meræ malitiæ & rebellionis. *Iterum miſit alios ſeruos dicere inuitatis: Ecce prandium meum paraui: tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias. &c.* Per ſeruos ſecundos ſignificantur Paulus, Barnabas, Marcus, Ioannes, & alij diſcipuli, qui cum Apoſtolis verbum Euangelicum prędicauerunt, & ab eſurie ad adipatam menſam, & nuptiale conuiuium auditores inuitauerunt. Prandium paratum eſt .i. remiſsio peccatorum, iuſtitia, gaudium, pax, conſcientiæ ſecuritas, adoptio filiorum Dei, & beatitudo, prandij ſponſi Ieſu fercula ſunt. Optima ſanè fercula dulciora ſuper mel, & fauum. Tauri mei, & altilia occiſa ſunt. Acſi dicat: Multum impenſarum, multum laboris cepi, nolite committere, vt tantos ſumptus vobis abnuentibus, & faſtidientibus fruſtrà fecerim. Per tauros, prophetas intelligo. Tauri & boues terram proſcindunt, ac ſementi parant, multoque labore aratrum trahunt. Altilia Apoſtoli ſunt, veluti in familia Ieſu, ac in ſinu eius indulgenter aliti. Iſtos Chriſtus tritico verbi ſui, atque vberibus

ribus doctrinæ ſalutaris enutriuit. Vel Meſsia mortuo,& crucifixo,& à ſepulchro exſurgente omnia parata ſunt,quæ ad ſalutem nobis neceſſaria ſunt,ſpiritualiſque refectio parata eſt.Hoc verò reſtat ſolùm,vt fide veniant inuitati,fiant que tantorum bonorum,atque tam opulentæ menſæ participes .Cùm autem Agnus proprio cruore perfuſus,in ara Crucis igne ſyncerę charitatis percoctus, tanquàm in menſa appoſitus eſt, ab omnibus fide & ſacramento edebatur, & fideles miſſo Spiritu ſancto, chariſmatum ſpiritualium adipe paſsim impinguebantur.

Omnia parata . Diabolus victus, mors occiſa,ira patris extincta ,paradiſus apertus. Cùm igitur omnia ſint parata,quid tergiuerſamur, quid cunctamur cum fidutia accedere ad thronum gratiæ eius? Gaudeamus, atque exultemus (ait B.Ioannes in Apocalipſi) quia venerunt nuptiæ agni. Porrò id mirandum eſt, quòd cùm omnia parata ſint, quæ ad nuptiale pertinent epulum, homo non ſit paratus. Parati ſunt prophetæ, & Apoſtoli, vt conuiuium laudent, celebrentque, & inuitati reſiliunt. Sequitur enim. *At illi neglexerunt*. Nec regis benignate prouocati, nec potentia eius terrefacti, venire Iudęi voluerunt. *Sed abierunt, vnus in villam,alius in negotiationem.* O infelices terrigenæ, præter terram, & lutum nihil ſapientes.O miſeri,qui ad delitias,& quietem vocati, ad laborem & animi inquietudinem curritis; Quid enim omnia hæc terrena aliud,quã labor, & afflictio ſpiritus? Dicent aliquando iam viuendi facultate lapſi, ſed ſero: Ambulauimus

Hebræ. 4.

Eccleſ. 1.

Sapien. 5.

uimus vias difficiles, & lumen iuſtitię non luxit nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis. Ecce opibus inhiabant, quæ per villam, & negotiationem ſignificantur, atque idcirco Apoſtolicam prędicationem negligebant, & temporalia æternis poſthabebant. O iniquos, ô cœcos iudices. Optimè autem & elegantiſsimè genus humanum hîc per iſta duo ſignificatur, quod auaritiæ deditum, vel manuum labore, vel induſtria, & ingenio perpetuò rem facere ſtudent, neglecto Deo, neglecta ſalute. Calathum ficuum malarum cęci amplectimur, atque inuadimus, & ficuum bonarum corbem pedi-
Hiere.24. bus proculcamus. Iacemus in terra cum talpis. Vna nonnunquam talpa fodit & perrepit totum hortum, & tamen non eſt opus illi tanto ſpatio: ſic quidam omnes terras pererrant, currunt ad Indos, atque ad extremos hominum Morinos, omniaque in ſuam crumenam conuerrere conantur: & de lucrando, adipiſcendoque cœleſti regno vix cogitant. O præpoſteros homines, ſeptem pedum ſpatio poſt exhalatam animam contenti erimus, & nunc ardentiſsimæ omnia poſsidendi ſiti nihil eſt ſatis. Deut. 2. cap. legimus, quòd filij Iſrael multis annis gyrauerunt ſe circa montem Seyr, priuſquam ingrederentur terram promiſſam. Huiuſmodi ſtultorum plenus eſt mundus, qui terram cœlo præferunt, teruntium coronato, qui malunt audire ſonum auri, quàm euangelij. Huiuſmodi ſunt, qui aiunt, non poſſum adire templum, non vacat audire ſacrum, aliò alia me vocant negotia: ſi nihil habeo,

beo, nihil largientur, nihil mihi numerabunt ſacrifici: etiam ſi ad ſeſquihoram illos è ſuggeſto audiam tonantes, nihil conſequar, non enim verbis latrans placatur ſtomachus. Bone Deus, quàm ineptit, ne dicam inſanit populus Chriſtianus.

Aurea nunc verè ſunt ſæcula, plurimus auro
Venit honor, auro conciliatur amor.
Chreſtum pro Chriſto colimus.

Aurum amplectimur, & Paulo euangelij poſſeſsionem & adnuntiationem cedimus. Diuitias accipimus, & Chriſto cœlum ſuum relinquimus. Imò nunc ferè Chriſtianiſmum, ac qui in noſtra religione primi ſunt, honores, pecunia metimur, & quò quiſque locupletiſſimus, hoc quibuſdam eſt religioſiſsimus, adeo omnes paſsim philargiriæ ſeu auaritiæ facibus aduruntur. Neque Iudęorum ſolùm hoc vitium eſt, ſed & Chriſtiani etiam vitulum aureum ductis choreis ſtrennuè, colunt ac diuinos tribuunt honores. Deinde neque prophani homines duntaxat fœda habendi opes lepra ac contagio perfuſi ſunt, verùm & ad ſacerdotes ſacroſque præfectos ſerpuit malum, vt cùm plurima poſsideant, plurima tamen quærant: De quibus verè illud Dauidis dici poſſet: Adhęſit pauimento anima eorum. Inſigne eſt quod habet D. Ambroſius lib. de paradiſo: Ait ibi, quòd auari amant maledictionem ſerpentis, dum nunquam niſi in terra ſerpunt, terramque lingunt. Geneſ cap. 3. Sed ſatis de iſtis cupidis ac auaris, qui nihil quàm pecunias, lucrum, numмoſque *Pſal. 11.* *Ambro. li. de paradiſo*

moſque in ore habent. *Reliqui autem tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos, occiderunt.*

Sub occiſis ſeruis, & Chriſti cædes, qui ſponſus eſt, intelligitur, quæ tamen hîc ſilentio tegitur, ne parabola interrumpatur. In rebus enim humanis ſponſo interempto, ipſa nuptiarum feſtiuitas planè ceſſat, ac omnia vertuntur in luctum: & nullus deinde ad nuptias inuitatur: cùm igitur adhuc alij pòſt vocentur, ſubticeri debuit ſponſum eſſe interfectum. Neceſſum tamen erat hanc ſubintelligi, quoniam ira regis propter indignam ſponſi necem maximè efferbuit. Sic Paulus contumelijs afficitur à Feſto Iudice, & à Nerone Imperatore occiditur. Sed quid mirum, verbi diuini buccinatores virulentis peti linguis, cùm Elias, Iſraëlitici populi perturbator: Apoſtoli, temulenti: & ſponſus ipſe beelzebub ſit vocatus? Sanaballat & Goſen miris conuitijs meriſque ſannis inceſſerunt Eſdram, & Nehemiam, non tamen idcirco à cepta vrbis ædificatione fracti animo deſtiterunt. Quapropter veritatis præcones magno animo contemnent ſibilantis vulgi ludibria, ac ſcommata. Quòd ſi contumeliæ omnes in Chriſto, & Apoſtolis, martyribuſque ſunt cõſecratæ, cur cõtumelijs irrogatis ſuccũbimus? Cur conuitianti indignamur, ac conuitia regerimus? Neque enim ſi quiſpiam (ait Chryſoſtomus) nauem fracturus, & iam ſubmergendus, te quiete in terra ac littore ſedentem, contumelijs inceſſeret, ex eo vehementem dolorem caperes, nec è terra excedens, cum eo naufragij particeps eſſe velles. Sic igitur apud

Filius regis occiſus.

Act. 2.

Luc. 11.

2. Eſdr. 4.

Chryſo. in Pſalm. 7.

te reputa,

te reputa, quòd qui te contumelia afficit, aut probris inſectatur, naufragus eſt, cùm vario turbine & inuidię, iracundiæque procellis agitatus, demergitur, & tu miſer pereunti ſimilis eſſe cupis, & iracundiæ abyſſo tanquàm naufragus abſorberi? Age verò, & veluti immota rupes fluctus omnes cõtumelioſorum hominum flocci facias. Sanctiſsima ſanè, & longè pręclariſsima functio eſt ex Ægiptiaca ſeruitute, ex crudis oleribus, ad veras regis Iſraëlitici Ieſu delitias euocare, atque ad nuptiale cõuiuium: quòd ſi Amalechitæ, aut Moabitæ ſeſe obijciant, & contumelijs veritatis præcones afficiant, obſtrepantq; neceſſariæ functioni, forti, infractoq; perferendum eſt animo, exemplo Chriſti, imò & Apoſtolorum, qui dum inuitatos euocarent ad nuptias, nihil non perpetiebantur. Inſignem de Apoſtolis cõtumelia affectis habes figuram, 2.Reg.10.
vbi legati Dauidis regis à rege Amonitarum maximam paſsi ſunt contumeliam. At ſponſus Chriſtus de interemptione ſuorum famulorum apertè apud Mathæum loquitur. Ecce (inquit) *Math. 23.*
mitto ad vos prophetas &c. Mira verborum dulcedine beatus Stephanus Iudæos ad nuptias inuitauit, ſed tantum abeſt, vt inuitanti obſecundarent, vt etiam vrbe pulſum lapidibus obruerent. Capitali verò ſupplicio D. Iacobus affectus eſt. Petrus & Paulus Romæ Nerone impe- *Act. 7.* *Act. 12.*
rante, alter gladio, cruce alter, vitam pro ſponſo Chriſto, dum multos ad nuptias inuitaſſent, poſuerunt. *Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt, & miſsis exercitibus, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorũ ſuccendit.* Meritò ſanè iraſcitur rex iſte,
vt qui

vt qui videat ſe ita amãtem, ac in certi amoris argumentum etiam menſa ſua quoſlibet dignantem, vel negligi, vel contemni, ſponſum, ſponſamque deſpici: denique tam inſigne conuiuium, tanto ſumptu præparatum reijci, ac tanquam rem vilem faſtidiri. Nemo verò exiſtimet Deum affectu fuiſſe iratum, ſed tantum per vltionem & puniſionem, quemadmodum & penituiſſe in ſcripturis dicitur, quia generali diluuio hominum genus paucis exceptis, perdidit. Sanguis autem iuſtorum temere fuſus inclamat vindictam; vt de Abelis iniuſta cæde ſcripto tradidit Moyſes. Et D. Ioannes audiuit animas interfectorum vindictam petere. Exercitus verò ſuos Romanos appellat, qui ducibus Veſpaſiano & Tito, tanquàm executores diuinę iuſtitiæ, Iudęos malè multauerunt, atque ad ſummas redegerunt anguſtias. At dicet quiſpiam, mali & ſuperbi erant Romani, quam ob rem ergo eius exercitus vocantur? Reſpondeo, Deum ferè per malos punire, & caſtigare malos. Quin & ſacræ literæ hoc apertè teſtantur: Nónne filios Iſrael per Aſſyrios afflixit? Eſaię cap. 10. Virga furoris mei Aſſur, & baculus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea. Virga Domini erant Sennazerib rex Syriæ, & Nabuſardam princeps militiæ, vt populum Eſechię Regis caſtigarent: ſed vbi largiter pro meritis vapulaſſent ciues Hieroſolymitani, virga Domini planè confracta eſt. Nam Dominus omnipotens, miſſo deſuper angelo, occidit centum octoginta quinque milia nocte vna, Sennacherub verò cum infœlicibus

Geneſ. 4.

Apocal. 6.

Eſaiæ. 10.

licibus

licibus florentiſsimarum copiarum reliquijs fugiens, vbi in Niniuen ſe recepiſſet, à filijs interfectus eſt. Expectauit autem Deus pœnitentiam Iudæorum quadraginta annos, ſed vbi horribiliſsimi ſceleris, quod in filium Dei commiſerũt, nulla eos teneret pœnitudo, ſed potius diſcipulis Chriſti infeſti eſſent, vindictã meditari cepit, euocatiſque Romanis, etiam incendio Hieroſolymam ferè totam cum templo deformauit. Id Titus iam nobili triumpho ob debellatam gentem digniſsimus, ingenuè apud Philoſtratum eſt profeſſus, dum non ſe, ſed Deũ viciſſe diceret, ſe tantũ Deo euocanti obtẽperaſſe, manuſque & copias accommodaſſe. Non ſimus igitur fratres, non ſimus procliues, aut celeres in vindictam. Nam tametſi nullum ſcelus inultum eſſe ſinat, aut impunitum Deus, non ſtatim tamen ad vindicandum proruit, ſed conceſſo miſeris mortalibus ſpatio reſipiſcendi, tardè ad vindictam ſe accingit. Malos igitur malè perdidit Deus, & homicidium, malo nodo malum adaptans cuneum, homicidio puniuit. Iudæi occiderunt Chriſtianos, & Iudæos viciſſim ethnici & pagani. Exiſtimauit Menelaus cæſo Onia ſummo apud Iudæos ſacerdote, ſe iucundè, vbi facinus patraſſet, victurum, ſed Antiochus ſuggerente Lyſia duce, ſceleſtum hominem ab edita turre in aggeſtum cineris locum præcipitari iuſsit. Ad eundem modum & Saul rex, vbi ſtomachum ſuum iugulando ſacerdotes octoginta, expleſſet, tandem à Deo deſertus, deſperata ſalute (nam ſagittis Philiſtinorum grauiter conſauciatus erat) ſibi manus intulit.

Philoſtra.

2. Mac. 13.

1. Reg. 31.

Hh Amat

Amat ad nocentium delicta cõniuere Deus,aliquando tamen,vbi eius prudentię oportunũ videtur, inſperantibus etiá nobis in ſcelerum vltionem imminet:quod in omnium ducum crudeliſsimo Sylla eueniſſe prophanę teſtantur hiſtoriæ. Cùm enim bello ciuili Mariũ peſſundiſſet,& victor omnia Romæ cędibus,incẽdio, rapiniſq́; permiſceret, ſibi viueret, ciues circũſcriberet,ac nihil ſceleris intẽtatũ ſineret, diuinæ tãdem ſeueritati meritas pœnas dedit.Nam depoſita dictatura,iam quietẽ,& à negotijs Reipublicæ vacationẽ & otium veluti in manibus habens,de repente tantis corporis cruciatibus, tãtis vndique doloribus iam ętate grauis agitatus eſt,vt mors tã luctuoſa & acerba priorẽ vitę fœlicitatẽ deleuerit.Quid de M.Craſſo dicã, qui cùm Syriã ingreſſus,Hieroſolymam opibus florentẽ venit, vbi ea quæ reges à multis retro ſæculis Domini templo dicauerant,homo auarus præter fas & ęquum expilaſſet,in præſenti quidem nihil à Superis damni ferens, non ita multo poſt tempore filium cariſsimum ante ſuos oculos à Parthis crudeliter interemptum vidit,& deinde amiſſo exercitu ad tantam ipſe quoque cladem accedens, concidit.Sic Nicoſia Cipri metropolis noſtra ætate, opibus, & inde nato luxu notiſsima,in Turcharum poteſtatem venit, ac miſerrimè à barbaro hoſte vaſtata eſt. Sic Conſtantinopolis vrbium per oriẽtem clariſsima,cùm diu in fide,ac religione vacillaſſet, varioque luxu,horrendiſque ſceleribus maduiſſet,grauiſsimam Dei vindictam ſenſit.Capta eſt anno Domini 1453 Maij 29 à Mahumete Amurathis

rathis filio. Conſtantinus cæſar inter fugiendum prope vrbis portam trucidatus eſt, caput eius cuſpidi infixum per vrbem Turca ferri voluit. Crucifixi imago in foro erecta, luto & ſtercore conſpurcata eſt, cum inſcriptione tali. *Hic eſt Deus Chriſtianorum*. Coniunx Cæſaris in conuiuium cum filiabus & honeſtis matronis protractæ primum, ibi cum ludibrio conſtupratæ fuerunt, & pôſt fruſtulatim diſcerptæ. Narrat Baptiſta Egnatius in venerandis altaribus virgines, ſpecioſaſque puellas à fœdiſsimis militibus oppreſſas fuiſſe. Exemplo nobis ſit hæc memorabilis Conſtantinopoleos expugnatio, ne diuinā clementiā continuis ſceleribus ad ſumendam vindictā prouocemus, ſed potius caſtigatiorem vitam ſerio meditemur. Sed pergamus. *Tunc ait rex ſeruis ſuis. Nuptiæ quidem paratæ erant, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni.*

Quomodo eſſent digni, qui Dei famulos inuitantes non ſolùm repulerunt, ſed etiam iugulauerunt? Suauiſsimè eos inuitauit Ieſus, & venire nolebant, idcirco venit Veſpaſianus ex Italia non inuitatus ab eis: nullum enim ei nuncium miſerant Iudęi, vt veniret. Sed qui nolunt venire ad delitias, & ad conuiuium, merito occupantur ab illis, qui eos trahant vel inuitos ad miſerias & calamitatem. Inuitat Chriſtus, ſynceraſque delitias, ac mel merum ſe propinaturum promittit, & faſtiditur: inuitat mundus, & nihil niſi fucatum, & impurum, nihil verum, ſyncerumque pollicetur, & neſcio quo fiat pacto, vt infelices ac maleſuadi mortales illuc ſumma accurrant alacritate. Quis ſatis conſide-

ret, quòd Dei nuncij, nuptiarumq́ue præcones incredibili pollerent auctoritate, ac ſuauiſsimis verbis, quibus vel rigida ſaxa commitigare poſſent, apud omnes vterentur. Quid igitur duri, & agreſtes obſeramus oſtia, obijcimus repagula, peſſulaq́ue obdimus, ne vel vox inuitantium ad nos vſq; penetret? Quapropter ſumus indigniores, quàm qui inuitemur. *Qui inuitati fuerunt, non erant digni.* Plus hîc intelligendum eſt, quàm ſignificatur, exprimaturq́ue, nimirum quòd vocati non ſolùm non fuerunt digni, ſed ſe indignos etiam fecerunt, qui nuptijs intereſſent, paratoq́ue epulo fruerentur. Quòd ſi oculos in nos quoque vertamus, opinor, nec milleſimum quemque tanto prandio dignum cenſeri poſſe: ſolùm enim diuina clementia locum hic habet, nequaquàm verò noſtra dignitas. Id quod D. Ioannes in Apocal. nobis ſignificatum voluit, dum ait: Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſo ſplendenti & candido. Vult Ioannes omnem gloriam Deo tranſſcribi, non equidem nobis, deinde quoque diſertè ait ſponſæ datum eſſe, vt byſſo veſtiretur, ne faſtus humanus quippiam ſibi vendicet.

Apoc. 19.

Ite igitur ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias. Idcirco ne nuptiæ vaſtabuntur, & cõuiuium corrumpetur, propterea quòd vocati Iudæi accurrere nolunt? Igitur gratis, & fruſtra agnus nuptialis immolatus eſt? An ſponſi, nouæq́ue nuptę ſine conuiuis ſolæ merebunt? An nulli ſunt pręterea per orbem

vaſtiſsimum ſparſi populi, qui ad nuptiale properabunt prandium? Nunquid Iudæorum Deus tantum? Nònne & gentium? Imò & gentium. Lapis quem Iudæi pertinaces ædificatores reiecerunt, factus eſt nobis in caput anguli. Eant igitur Apoſtoli, & tanquàm columbæ à feneſtris ſuis prouolent in orbem vniuerſum, & epithalamium canant, inuitentque ad prandium. Inſignis hîc conſolatio peccatoribus præbetur, dum extra viam regiam ad varia diuerticula ſparſi colligũtur, & quòd nulli reijciantur, modò pronas, & obuias donent inuitatoribus aures. Id in Luca etiam eleganter oſtenditur, dum cæci quoque, & claudi introduci iubentur. Nihil enim non infirmum, nihil non cæcum & claudum apud gentes erat. Id Paulus indicat: Mutauerunt, ait, gloriam ſuam &c. Ideo tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniunt. &c. Solet apud exitus viarum ingens eſſe hominum copia, ſed pauperũ ferè: non tamẽ deſpicit illos, qui propter nos pauper factus eſt ſponſus. Verè autem gentes ad exitus viarum habitabant, qui nullum prophetam, nullam legem, quæ via ad Deum eſt, receperant. Succurrit quod ait Solomon: Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum profert verba ſua. In omnem igitur terram exiuit ſonus Apoſtolorum. Eritis mihi (ait Chriſtus) teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, atque vſque ad extremum terræ. Et meritò ad gentes ſe conuertunt Apoſtoli à Iudaica gente excluſi, & expulſi. Vndè & immen-

Rom. 3. *Pſalm. 117.* *Marci. 16.* *Math. 28.* *Rom. 1.* *Prouerb. 1.* *Pſal. 18.* *Act. 13.*

ſas, immortaleſque Deo gratias agimus, quòd cùm æternis ignibus dedendi eſſemus, facti ſumus conuiuæ, & filij adoptiui, atque commenſales ſponſi Ieſu: imò cùm nollet cæca Iudæa
Rom. 15. eſſe arbuſtum Dei, nos oleaſter in radicem pinguedinis eius ſumus miſericorditer inſiti. *Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.* Omnes menſę plenę erant, neque erat cubiculum, quod non haberet hylariter conuiuantes, quod ſanè futurum eſt in fine ſæculi, vbi omnes electi eccleſiam intrauerint. *Intrauit autem rex, vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali.* Per hominem hunc omnes impij ſunt intelligendi, qui nudi charitatis, & bonorum operum, ſe primos arbitrantur, nec tamen ſunt. Hi ſacramentis, myſterijſque diuinis indiſcriminatim communicant. Verùm quod verbo, aut nomine profitentur, opere, conuerſationeque deteſtantur, nec ſunt quod eſſe dicuntur. Nuptialis veſtis charitas eſt, veſtis ſanè venuſtiſsima, & florulenta, veſtis dibapha, hoc eſt, bis tincta. Fulget enim, atque ſupra quã dici poteſt, rutilat propter ardentiſsimas geminæ charitatis flammas. Eleganter verò appellatur veſtis nuptialis, nihil enim æquè exornat, atque decet nuptias, atque ardens, ſynceraque dilectio. Hoc indicat aureus ille annulus, qui coniugum digitum vincit, atque circumplectitur, qui digitus venám habere dicitur, quę cor attingat. Non conuenit autem regijs nuptijs intereſſe vulgari, & ſordido veſtimento. Proinde, vt ſequamur patres antiquos, veſtis hæc nihil aliud quàm charitas eſt, cuius munus eſt ope-

eſt operire multitudinem peccatorum. Venit enim hac veſte indutus ſponſus, ſcelera noſtra à paternis oculis, atque contuitu contecturus, & ſponſæ ſuæ concretas maculas abluiturus. Hæc eſt illa veſtis, ad quã nos ſerio hortatur Paulus. Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: Et alibi. Si tamẽ veſtiti, & non nudi inueniamur. *Et ait illi rex: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Sedit ibi impius ac ſceleſtus verbero in regali menſa ita ſordibus obſitus, ita pannoſus, ac ſentus, vt nihil differret à ſcurra, aùt impudẽtiſsimo mendico, aut effronte rabula. Erãt qui ſuſpicarentur eum à porcorũ lintre recẽs auulſum, aut à fumoſo hypocauſto profligatũ, feſtis ſe miſcuiſſe nuptijs: neq; reſecti illi vngues, neque abluta ora, ac manus, neque pexum capillitiũ, indicabant hominem eſſe nihili, & nullius eſſe frugi. Decet conuiuas tanto conuiuatori ornamento eſſe, non pudori. Omnium itaque oculi, in nebulonem illum coniecti erant, ac tacitè expectabant, quid Rex tãdem, vbi impurum cõuiuam conſpexiſſet, eſſet facturus. Rex igitur cùm nihil eum lateret, cùm illepidum illum & inelegantem conuiuam acribus notaſſet oculis, verbis etiam ſeueris, ita cõpellauit: *Amice quomodo huc intraſti, non habens &c.* Ironica eſt locutio. Eodem nomine & Iudam Scariothen proditorem inſigniuit. Qua igitur fronte, quáue audacia huc intraſti, non habens veſtem noſtra menſa dignã? Hęc autem reprehenſio ſignificat, Deum in nouiſsimo die acerrimè acturum cum his qui fidelibus & Chriſtianis permixti, non vixerunt

Rom. 13.
2. Corin. 5.

vitam tanto nomine , tantoque conſortio dignam: ſe verò mira benignitate erga omnes affectum eſſe, vtpote qui ad nuptias ex mera humanitate vocauerit, vt intelligamus Deum non perſonarum odio, ſed iuſtitiæ zelo quoſdam condemnaturum. *At ille obmutuit.* Quid enim reſponderet, cùm peccata eius eſſent apertiſsima? Significatur peccatores in iudicio non habituros quod reſpondeant, aut quo ſe colore defendant. Hinc illud Iob: Quid dicam, cùm venerit ad iudicandum Deus, & cùm interrogauerit, quid reſpondebo ei? Neque mirum eſt hominem obmuteſcere, cùm Deus verbum ſonat. Huc facit verbum Iob: Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille. *Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus & pedibus, mittite eum in*
Math. 13. *tenebras exteriores.* Qui ſint apud regem iratum adminiſtratores iuſtitiæ, ſatis ex Mathæo aperitur: Ibi legimus: Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, etiam omnia ſcandala. Manus verò & pedes eis ligabuntur, quia non poterint perficere quod deſtinata ac praua volun-
Aug. li. 11. *de trinita. cap.* 6. tate cupient. D. Auguſtinus intelligit prauarum, ac diſtortarum volũtatum implicationem, quæ vinculum eſt, inquit, quo alligabitur, qui hoc agit, vt proijciatur in tenebras exteriores. Theophilactus intelligit ligationem, quòd damnatus nihil operis boni vel facere, vel deſiderare poſsit. Recentiores, inter quos Dyoniſius Rikel & Franciſcus Titelmannus, per ligationem intelligunt, ineuitabilem ignis æterni pœnam. Vt
enim

enim demergendis manus & pedes ligantur, ne quo pacto enatent, ita in Gehennā mittendi nulla ratione emergere poſſunt. Huc facit quod habet B. Ciprian. marty. li. 2. Epiſtolarum: Deus eſt indulgens, ita eſt & pręceptorum vt ſuorum exactor, & quidem diligens: & ſicut ad conuiuia vocat, ſic habitū nuptiarum non habentem ligatis manibus. &c. extra cœtum Sanctorum foras iactat. Parauit cœlū, ſed parauit & tartarum.

Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Vero ſimile eſt, quòd damnati verè in igne & tenebris corporalibus futuri ſunt, imò & in fletu cū ſtridore. De his Vergiliana verba adduci poſſent. Horribiles formę viſu, lętūque laborque: Fletus naſcetur ex acerbiſsimo dolore, qui lapidea damnatorū corda reſoluet in lachrymas. Stridor fortè dentium erit, qualis in febrientibus eſſe ſolet. Erit verò, ſi ita Iob 24. cap. intelligere velimus, frigus & intemperies, diſcraſiaque corporis. Flebit ibi oculus, qui hîc, dum non eſſent caſſæ lachrymæ, flere noluit: ſtridebunt & dentes, qui fratris nomen arroſerunt. Erunt lachrymæ igneę, Videbunt pios ſedere cum ſponſo in perpetuo conuiuio, ſe verò perpetuò exturbatos. Vlulabunt, clamabuntque, hi ſunt quos habuimus aliquādo in deriſum: nos inſenſati vitā illorum ęſtimabamus inſaniam. *Sapien. 5.* Figura venuſtiſsima eſt in Geneſi, vbi Eſau magno fletu flebat propter primogenita, & quia paterna, & optata benedictione fruſtratus, Iacobo fratre minore eius, potiente. *Gene. c. 28.* *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Nemo id miretur, in meſſe enim plus paleę eſt, & inutiliſ ſtraminis, quàm grani.

Perpuſilla

Perpuſilla terra eſt, quæ ſponte aurum gignit, maxima quę rudem, & inutilem maſſam habet. Plurimi ex Ægypto, vix vnus aut alter terram promiſſam eſt ingreſſus. D. Auguſtinus intelligit de Iudæis lib. 1. poſt collat. contra Donatiſt. cap. 20.

Annotatiuncula Prima.

Simile eſt regnum cœlorum. *Cumprimis animaduertere oportet, regnum cœlorum hic per metonymiam dici, pro rege cœlorũ, nempe pro Deo patre.*

Secunda.

Occiſa ſunt. *Grecæ eſt* τεθυμένα, *immolata,*
Mat. 10. *ſiue oblata. Nam cùm miſiſſet Apoſtolos, veluti agnos in medium luporum, quid aliud quàm ad cædem deſtinati videntur, iuxta illud: æſtimati ſumus*
Pſal. 43. *ſicut oues occiſionis. Olim in nuptijs, ſacris epulis agebantur conuiuia, & plerique cibi prius immolabantur, & deinde edebantur. Sic & Lucæ. 15. vbi filius prodigus, facti iam pœnitens, ad patrem rediiſſet, inter cætera pater ait famulis ſuis: immolate vitulũ, vbi noſter textus habet, occidite vitulum. Græce enim eſt,* θύσατε, *immolate.*

Tertia.

De tauris, & altilibus conflatur hoc tam ſolenne epulum nuptiale. Sed mirum eſt, taurinam carnem proponi, quæ planè dura eſt. Reſpondeo, varios hic eſſe cibos, pro diuerſo hominum palato. Ruſtici enim dura ferè carne pro ſtomacho capiuntur. Vnde & ſuilla admodum delectantur, præcipuè apud Friſios, vbi nõnonquam ſuilla fumo indurata pluſquam auidè veſcuntur, & neſcio an huic cibo turdos, ficedulas, & lepores poſthabeant. Groſsiores igitur, & rudes vorent

vorent, ac dentibus pertundant duram taurorum carnem, delicatiores verò, & perfectiores adipe veſcantur altilium pinguium.

QVARTA.

Tunc ait ſeruis ſuis. *Dictiuncula tunc, non eſt referenda ad omnia præcedentia, ſed refertur ſolùm ad tempus, quo accepit occiſos nuncios, aut ſeruos ſuos.*

QVINTA.

Impletę ſunt nuptię diſcumbentium. *Sic & alij iunxerunt verbum impleor genitiuo. Verg. lib. 1. Æne. Implētur veteris Bacchi pinguiſq; ferinæ. Et T. Liuius li. 1. Adoleſcentem ſuæ temeritatis implet.*

SEXTA.

Non habens veſtem nuptialem. *Hierenæus li. 4. ca. 70. interpretatur, veſtem banc eſſe iuſtitiæ opera, vel ambulationē Deo dignam. Clemens li 4. ait, hanc veſtem pollui prauis operibus, qualia ſunt, homicidiū, adulteriū, inuidia, auaritia, & concupiſcentia. Anacletus epiſtola 1. intelligit bona opera. Tertullianus libel. de carnis reſurrect. ſcribit eſſe munditiem carnis. D. Hieronymus ſuccinit Anacleto. Theoph. & Chryſ. dicunt eſſe vitam immaculatam. Ambroſ. lib. 1. de pœnitentia, aſſerit eſſe charitatem. Sequitur eum Auguſt. Auguſt. ſequuntur Beda & Grego. & recētiores ferè omnes, inter quos Georg. Wycel. qui ſtrenuè dimicat contra eos, qui coacta interpretatione hanc veſtem fidem eſſe contendunt. Quòd verò quidam aſſerant eſſe bona opera, non reclamamus, cùm ea prodeant ex charitate. Quæ enim ſunt opera bona, ſi priuentur charitate? Neſcio an Wycelius agat in Iac. Fabrum, qui videtur dicere, fidem eſſe veſtem nuptialem. Quod ad nos attinet, non iuramus in verba Fabri, ſi bonus vir fabricet nobis gloſſemota non bona.*

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA-PRIMA A TRINITATE EVAN.

Ioan.cap.4.

ERat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.&c. Hiſtoria hodierni Euangelij, ſi quæ vſquam alia, ob oculos nobis conſtituit fidei vim & naturam. Primò initium eius & veluti ortum nobis aperit. Hinc porro augmentum eius, quo proficit: poſtremò perfectum robur, & plenam conſummationem. Nam quemadmodum corporis noſtri ætas ſuam habet infantiam, adoleſcentiam, & virilitatem, non aliter fidei noſtræ natura rudimenta ſua habet, deinde profectum, poſtremò faſtigium. Sed quæret fortè quiſpiam, vnde in Regulo hoc nata ſit primùm fides? Sunt qui aſſeuerent, eum adfuiſſe nuptijs illis, vbi Ieſus aquam inſipidam meraciſsimo vino verterat, quo facto mirificè de eo ſperare cepit, ac intelligere inſignem præditum virtute, ad maxima (vbi viſum eſſet) ægris mortalibus præſtanda. Sed hæc ſpontanea coniectura eſſe videtur (quandoquidem ibi de diſcipulis ſolùm dicitur, quòd conſpecto in nuptijs miraculo, in Ieſum crediderint) Hîc obiter mihi monendi ſunt parentes, ne filiorum ſalutem negligant, ſed diligenter ſecum diſpiciant, quibus artibus illis, vbi res poſtulet, ſuccurrere queant. Solent enim parentes, niſi planè ſint aſtorgi, filiorum incommoda haud ſecus atque ſua propria ſentire, & dolere. Exemplum habes in vxore

in vxore Ieroboã regis,quę materna ſedulitate, 3.Re.c.14.
ancipiti filij morbo commota, ad prophetam Ahiam properat. Impijſsimus erat Imperator Valens, qui tamen naturæ vi ſtimulante, ſupra modum pro filio in mortis veriſimili diſcrimine verſante, nullum non mouet lapidem, nullas non emendicat vndique preces, vt nato ſanitatem conciliet. Id egregiè nobis deſcribit Nicephorus. Puero Gallo nomen fuit, cuius Niceph.li. 11.c. 18.
ſalutem cùm medici iam deſperarent, Valens impotentiſsimè tulit, atque in ſolo ſe volutans, pro filij incolumitate ſibi mortem potius optauit. Neque minus eius coniunx Dominica affligebatur. Solent enim reges ac principes viri ſuorum obitus impatientiſsimè ferre, atque propterea nihil non comminiſci, nihilq́ue non agere, vt inſtantia funera amoliantur: Vt nihil mireris, ſi regius hic heros tantopere pro filio ſatagat, afflictetur q́ue. Quapropter nemo admiretur, ſumma nonnunquam peritis medicis præmia ſtatui, nihil enim mortales vita ipſa carius habent, pro qua proroganda, etiam quicquid vbique opum eſt, lubenter profunderent. Id pulchrè oſtendit D. Auguſt. in caput xi. Euangelij D. Ioannis. Erat paulò ſuprà noſtram memoriam in Italia medicus, longè ætate ea præſtantiſsimus, nomine Thadæus, ſed qui aut neglectis, aut deſpectis pauperibus, ſolùm nobilibus ſuam elocabat operam. Is non temere à nobili aliquo affecto vocabatur, ſed cum eo nequaquam paciſci voluit, niſi quinquaginta aureis in diem. Vocauit eum aliquando pontifex Honorius: at ille accedere

cedere Sanctitatem ſuam noluit, niſi intellexiſſet ſibi cētum aureos in diem ſtatutos. Tanti autem illum fecit Honorius, vt iam curatus, vltro 10. milia aureorum numeraret. Huc locum habet non tam elegans, quàm tritus verſiculus, Dat Galenus opes, dat Iuſtinianus honores. Si tanti mortalibus eſt corporis huius decidui, & ſemper ad interitum properantis, valetudo, quanti facienda eſt animæ incolumitas? Animaduertes hîc ſtudioſe Lector, vitę huius ærumnas, & incommoda æquè pauperibus, & locupletibus eſſe cōmunia, mortemque & morbos ſceptra ſubinde ligonibus ęquare, niſi quòd diuites aduerſus has calamitates ferè ſint minus firmi, & validi, & fortunæ ictibus magis expoſiti, ac oportuni. Prodigio ſimilis in maieſtate ſenectus. Quæ autem eſt vita noſtra? Nonne (vt ait B. Iacobus) vapor ad modicum parens? Tranſit vita noſtra tanquàm veſtigium nubis, & ſicut nebula diſpergitur, quæ fugata eſt radijs ſolis. Idcirco non ineptè canit Horatius Flaccus.

Bapt. Mantuanus lib. de patien. primo cap. 6.

Iacob. 4. *Sapient. 2.*

Flac. li. 4. Car. od. 7.

Nos vbi decidimus,
Quo pius Æneas, quo Tullus diues, & Ancus,
Puluis & vmbra ſumus.
Quis ſcit an adijciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Dij ſuperi?

Sed externa valeant, & ad noſtra reuertamur. Quid ſanctius Dauide, quid Abſolone formoſius, quid Samſone fortius, aut Aſſuero potentius? Hos tamen omnes atrox mortis imperium abſtulit. Quis igitur mortalitatem hîc ſibi inter tot mortes & morbos ſibi aut ſpera-

aut ſperare, aut polliceri audebit?

Hic cùm audiſſet, quòd Ieſus à Iudæa adueniret in Galilæam, abijt, & rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius. Deſperabant medici, de infirmi ſalute, iamque ferè animam ceperat agere. Pater igitur cùm vndique opem quæreret, incidit in eos, qui ſaluatorem non procul abeſſe nunciarent. Totam igitur ſpei ſuæ anchoram in eum collocandam conſultum eſſe exiſtimauit, atque in re deplorata & afflicta, Ieſu oculis occurrere: iam enim commodum & ipſe ſaluator in Galilæam ſe recipere cogitabat. Regulus igitur venienti ſeſe offert, rogaturus pro filio. Certè (vti ait Pſalm.) Deus noſter refugiũ eſt, & virtus. Sunt quędam refugia (inquit Auguſt.) vbi non eſt virtus, quo quiſq; cùm fugerit, infirmetur magis quàm confirmetur. Confugis, verbi gratia, ad aliquem in ſeculo magnũ, vt potẽtem ſcilicet tibi amicum pares, & refugium tibi videtur, ſed tot & tanta ſunt huius mundi incerta, atque ita potentiũ ruinę quotidianę crebreſcũt, vt cùm ad tale refugiũ receperis, magis etiã timere tum incipias. Antè enim tuę tantũ cauſę metuebas, nunc verò & de illo tibi timebis. Multi enim cùm ad talia refugia fugiſſent, cadentibus illis & ipſi quęſiti ſunt, quos nemo quęreret, ſi ad eos non cõfugiſſent. Non eſt refugiũ noſtrũ tale, ſed refugiũ noſtrũ virtus eſt, & cùm eò fugerimus, tuti & firmi erimus. Et quod refugiũ (quęſo) ſponſę aut tutius, aut firmius, quàm in re acciſa & deſperata reſpicere ad ſponſum? Auibus nidus, luſtra feris, abyſſus & gurges piſcibus, pueruli s maternus

Pſal. 45

Simile.

maternus ſinus confugia ſunt, Chriſtianis autem ipſe Chriſtus. Omnes pendemus à Chriſto, non aliter atque lineæ à centro, ſeu à puncto. Non eſt alibi tibi emendicandum auxilium, niſi à Chriſto, & ab Eccleſia eius. Rumor aduenientis Ieſu Capharnaum vrbem grandem & præclaram iam implêrat, & Regulum exciuit. Curramus & nos in odore vnguentorum Ieſu. Si princeps quiſpiam, aut præfectus ciuitatem ingrediatur, non vſque adeo geſtiunt, ac gaudent ciues, præſertim cùm facile intelligant, quòd non tam adferre, quàm auferre meditetur. Accedunt enim ferè tales, vt populum nummis emungant, & argento. At benigniſsimus noſter princeps Ieſus, quocumque, & quacumque venit, meras attulit diuitias, vt in pauperes & ſibi deditos eas diſpertiretur. Nemini fuit moleſtus, nemini durus, ſed omnibus beneficus. Quidni igitur nos infœlices, propter peccata malè multati, ac ęrumnis multis ferè obruti, non prodimus, non properamus ei obuiam? Cur non porrigimus libellos ſupplices regi noſtro de Iudæa in Galilæam venienti? Si quid mordet animum, ſi quæ ærumna, ſi quæ egeſtas premit, ſi æs alienum grauat, ipſe medicus eſt, diues eſt, beneficus eſt. Prodi, prodi malè ſane, malè conciliate peccator, & abijce te ad pedes Ieſu. Qui eget igne (vt in prouerbio eſt) recta focum petat, & cineres excutiat. Filium Reguli morbus corporis, nos animę morbi malè afficiunt, qui eò ſunt grauiores, quò anima corpore pręſtantior & dignior. Morbi corporis facile intelli-
guntur

guntur vel ex pulſu, vel ex calore, vel certè è cutis colore. Non ita verò facile apparent morbi animi, propterea quod ægra ſit ea pars, quę indicare debuerat. Deinde morbos carnis, ſuis appellamus, indigitamuſque nominibus, nempe febrim, podagram, epilepſiam, ſed morbis animæ nolumus ſua nomina dari, ſed indignamur potius, ſi quis verum eis vocabulum tribuat, & auaritiam dicimus frugalitatem, & luxum liberalitatem. Corpore infirmi cupiunt curari, catapotia hauriunt, medicos implorant, pharmaca quærunt: at animo ægri, diſsimulant, teguntque malum, vſqueadeo vt citius peſte intereant, quàm peſtem agnoſcant. Sed cordati eſt hominis peccatoris medicum Ieſum quærere, vim mali indicare, & denique ad illius pronißimas aures opplorare, ac ex intimis animi fibris clamare, vt deſcendat & curet. *Incipiebat enim filius mori.* Imò iam certò moritur anima, niſi ſuccurrat Ieſus. Imò non tunc ſolùm cepit mori, ſed ab ipſo naſcendi momento, & veluti ab vtero materno. Morimur enim viuendo & quotidie, imò omni temporis momento demitur aliqua pars vitæ. *Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.* Pulchrè Gregorius Nazianzenus apud Maximum: Vt aquarum fluxus (ait) incidentē recipiens pluuiam, bullas excitat, quarū alię ſimul ac natę ſunt, rumpūtur & pereunt, aliæ diutius inflatæ, poſtea & ipſæ quoque rumpuntur, ſic in vita noſtra fit: ſiue enim pauperes, ſiue ſimus locupletes, nihil aliud quàm bullæ ſumus. Veriſimile eſt Regulum

Plutarch. libel. quod grauior morbus animi quā corporis.

iſtum ne cogitaſſe quidem de morte, imò nec Ieſu per ſomnium quidem meminiſſe. Quid enim ſtipatus amplo famulitio, bella fœlix coniuge (ſi tamen vna contentus fuit) re lauta, nobilitate ac maiorum imaginibus clarus, de morte aut morbo ſomniaret? Quapropter in tanta rerum copia aduerſa calamitate carpitur, vt clauſi tanto luxu oculi aperiantur. Ruimus interdum in ſcelus veluti obuinctis oculis, tum Deus noſtri miſertus, fel infirmitatis
Tobia. 11. occluſis luminibus inſtillat, & confeſtim velut remoto velo, noſmet agnoſcimus, veniamque precamur. Iudas in conuiuio non agnoſcit Chriſtum, quem latro facile cognoſcit in cruce. Antiochus neque Deum, neque Dei miniſtros agnoſcere volebat: at vbi teterrimus illum morbus corripuiſſet, exclamat: Iuſtum eſt hominem ſubditum eſſe Deo, neque paria
2. Mach. 9. Deo ſentire. Multiplicatæ ſunt infirmitates
Pſal. 16. eorum, poſtea accelerauerunt. Sola vexatio
Eſa. 28. dat intellectum. Aquæ multiplicatæ leuaue-
Gen. 7. runt arcam nauim Nohę in ſublime. Cùm enim fluctus, crebræque tribulationum procellæ noſtri corpuſculi cimbam feriunt, reſideſque artus pulſant, ad ſydera mox attollimus oculos, cùm prius obſtipo capite figentes lumine terram, Dei, cœlorum, propriæ denique ſalutis obliti, ferremur in abyſſum. At ſunt plærique, qui ita veluti callo ducto, aduerſus diuina flagella obduruerunt, vt ne ſenſum quidem doloris vllum habere videantur, tantum abeſt, vt ad Deum ſupplicaturi properent. De huiuſ-
Hierem. 5. modi contumacium hominum genere, Hieremias

mias: Percuſsiſti eos Domine, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Simile habet Amos propheta: Percuſsi vos (ait Dominus) vento vrente, & non eſtis reuerſi ad me. Sed audiamus, quid rogatus Ieſus ſupplici Regulo reſpondeat. *Dixit ergo Ieſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Voluit Ieſus non huius viri tantum puſillam notare fidem, ſed & omnium Galilæorum, idcirco pluraliter loquitur, deprimendo eorum faſtum, qui Samaritanis collati, nullius fiduciæ fuiſſe videntur, cùm illi ſine ſignis aut miraculis editis crediderunt. Conſultò igitur duriuſculè nobilem hunc affatur, quòd filij incolumitatem in ſola Domini Ieſu corporali præſentia ſitam eſſe putaret. Medici corporum præſentes ferè eſſe debent, & pulſu explorare valetudinem laborantis, aut certè inſpecto prius lotio, de morbi genere & grauitate iudicare. Non oportet tam tenuem de Chriſto habere opinionem. *Deſcende priuſquam moriatur filius meus.* Rectè, ſanè, quaſi Deus de propinquo ſolùm ſit, & non de longinquo. Nónne Dauid de eo canit: Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate? Credidit eſſe virùm pium & ſanctum, qui plurimum præſtare poſſet, verùm non credidit eſſe Meſsiam. Quapropter ſtudioſo auditori animaduertendum eſt, Chriſtum patrem prius quàm filium curare voluiſſe. Grauior quippe morbus animæ quàm corporis. Magis etiam

Amos. 4.

Hiere. 23.

Pſal. 144.

ad ſanandas animas, quàm ad curanda corpora cœlo ſeſe demiſit altiſsimus. Non obiurgat illum, quòd petierit ſignum, ſed quòd non plenè crediderit. Nam ad propagandam fidem, ſigna erant neceſſaria: cùm enim fidei myſteria ſuperent intellectus noſtri vires, neceſſum erat, Chriſti prædicationem prodigijs & ſignis, veluti ſigillo quodam, confirmari. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Iudæi gens erat ceruicoſiſsima, & aduerſus imperata principum ſuorum contumax. Queſtus eſt de illis Moyſes olim ad Dominum, dicens: Non credent mihi. Plurimum igitur Iudæi degenerabant à veſtigijs patrum ſuorum. Quę ſigna vidit Abraham, cùm exiret de terra ſua. Quæ ſigna vidit Dauid, cùm tam ſtrenuè aduerſus Goliadt immanem & vaſtum gigantem in pugnam prodiret? Verùm commendanda Reguli huius modeſtia, qui grauiter ſatis à Domino reprehenſus, nihil acerbius reſponderit. Non diſsimili ingenio fuit Chananæa illa, quæ & canem ſe nominari non fert grauatim. Sic Marci. 16. increpat Dominus duritiam diſcipulorum. Quidni igitur patienter ferat Dominicam reprehenſionem Regulus, pręcipuè cùm ex animo tam candido, & amico proficiſceretur? Rectè Homerus, dum ait: Sancta exhortatio amici eſt. *Domine deſcende, priuſquam moriatur filius meus.* Vide hominis huius conſtantiam, repulſam paſſus non diſcedit, ſed iterum Dominum compellandum exiſtimat. Sic Chananæa repulſa non relinquit Domini clementiam, ſed confidentius potius interpellat,

Exod. 4.
Geneſ. 12.
1. Reg. 15.
Mat. 15.
Marci. 16.

terpellat. Etiam, inquit, Domine, canem me appellas, non diffiteor me catellam eſſe, & idcirco tuis veſtigijs adhæreſcens, veluti fidá catella, rogo, vt me adiutes. Laudatur mulier illa, cui cum iudice crudeli & inexorabili res erat. Ille ſemel atque iterum appellatus ſerio, diſsimulat tamen: verùm vbi muliebrium precum improbitate defatigaretur, manus porrexit, ſeque victum fatebatur, ſuppliciq́ue fœminæ ſuppetias tulit. Vicinus à vicino rogatus, panes accommodat quotquot habet neceſſarios, & nonne Dominus tibi propinquior eſt quàm vicinus? Sed quid eſt ô Regule, quòd tantopere vrges Dominum, vt deſcendat à Chana Capharnaum? Tantæ eſt virtutis, tantæ potentiæ hic (quem non ſatis agnoſcis) Dominus, vt in Chana Galilææ fixus immotuſq́ue conſiſtens, verbo vnico edito, tuum ſanet, curetq́ue filium in Capharnaum decumbentem, imò extrema ſuſpiria trahentem. Addam & hoc: Etiam ſi filius tuus iam vi morbi exhalaſſet animam, verbulo vno poſſet à Ieſu in Chana exiſtente curari, priſtinæq́ue valetudini reſtitui. Id ſanè perſuaſiſsimum erat Centurioni illi apud Mathæum, Qui ait: Domine dic verbo, & ſanabitur puer meus. Non opus eſt tua pręſentia, ſed verbo duntaxat mihi opus eſt ad cariſsimi filij valetudinem recuperandam, inſtaurandamq́ue. Plenè credidit Centurio, ſed Regulus mirè prodidit fidei ſuæ infantiam, non idcirco ſolùm, quòd diffidebat ſolo duntaxat verbo Ieſum ſanare poſſe, verùm & ideo etiam, quòd arbitraretur eum non poſſe iam

Matth. 18.
Luc. 11.
Math. 8.

deſunctum ad vitæ munus, luciſque vſuram reuocare. Nónne hęc fides eſt pluſquam puſilla? Atqui peſsimè nobiſcum ageretur, ſi tum in vita nobis Dominus ſuccurreret, & non etiam
Ioan. 11. poſt peracta funera. Nónne apud Ioannem ait? Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet. *Priuſquam moriatur filius meus*. Acſi dicat: Si emiſerit ſpiritum, actum eſt, conclamatum eſt. Quapropter feſtinato opus eſt. Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis. Sed quid Dominus tantopere vrgenti Regulo reſponderit, audiamus. *Dixit ei Ieſus: vade, filius tuus viuit*. Quaſi dicat: Nihil omnino opus eſt, vt pro filio curando me Capharnaum vſque conferam, ſed abito tu potius, & iter illud quod merens, & lugens es ingreſſus, feſtinus, & alacer totum relegas: redde tè filio, quia filius è capulo retractus nunc valet, & viuit. Porro vide mihi Domini Ieſu expoſitiſsimam in omnes benignitatem, quia noſtræ ſe infirmitati attemperat. Non enim ſemper imperitiam noſtram reſpicit, ſed etiam indignè, & putidè, contractéque de ſe ſentientibus vltro auxilium prebet. Quidni? cùm probè cognoſcat figmen-
Pſal. 102. tum noſtrum, vt legis Pſal. 102. Subiratior fuiſſe videri poſſet aliquando Ieſus, ſed non
Abac. 3. perpetuo, ait propheta, iraſcetur. Et Abac. 3. Cùm iratus fueris Domine, miſericordiæ recordaberis. Quapropter benigniſsimi auditores, decet nos nunquam non bene de Deo ſperare, etiam cùm videatur iracundior. Pater enim eſt, & nequaquam nos abijcere poteſt.

Imò non

Imò non aliter ac pater miſeretur filiorum, ita & ipſe miſerebitur noſtri. *Credidit homo ſermoni, quem dixit Ieſus, & ibat.* Ecce fidem adultiorem. Primo credidit Dominum non poſſe curare, niſi pręſentem, nunc etiam, vt Centurio apud Mathæum, verbo nudo fidem adhibet. Verùm hæc rara Domini miſericordia, qui interea dum mutuo fruuntur colloquio, fidei infantiam à præcordijs eius reuellit, & eximit, & fidem gignit perfectiorem, & veluti iam adultam. Hæc planè Abrahæ fides, *Rom. 4.*
aut certè illi quàm ſimillima, contra ſpem in ſpem credere. Hæc fides ſupra naturam natat, attollitq; in ſublime. Hic Dei noſtri genius eſt & indoles, ſupra omnia mutabilia mentem credentis attollere, imò & ſupra naturam ipſam prouehere. Sic Nahaman Syrus primò ad verba Elyzei vacillat, atque eius pręſentiam neceſſariam arbitrabatur, vnaque lepram tangi debere à Propheta iudicabat: poſtea verò mo- *4. Reg. 5.*
deſtè ſuggerentibus famulis, verbis Elyzei fidere cepit, ac iam deſperatum, deploratumque corpuſculum luſtralibus Iordanis aquis admotum, ad conſummatam retulit ſanitatem. Ecce inſignem arborem ex humili virgulto. Ecce clariſsimum ignem è ſcintilla, fluuium è fonticulo. Fides aſſeuerat, quæ natura negat. Natura opinatur pleraque impoſsibilia factu, quæ fides perfectè credit iam eſſe facta. Impoſſibile fit poſsibile. *Credidit homo verbo &c.* Hîc receditur à Ieſu præſentia corporali, & adhęretur eius verbo. Verbum eius omnia perficit, omnia corrigit, omnia dirigit, omnia

 ſanat.

ſanat. Ieſus manet in Chana, & verbum eius ſanat in Capharnaum. Quis vnquam audiuit rem magis miram? Regulus diuina miſericordia, cùm prius rudis eſſet, ita eruditur, vt plus tribuat verbo Ieſu, quàm proprijs oculis. Iam oculis proprijs viderat filium ita febribus ardentiſsimis correptum, vt minimum abeſſet, quin animam exhalaret: auribus deinde hauſerat familiæ totius planctum, fœmineumque vlulatũ. Iam & naribus teter, & funeſtus morituri corpuſculi odor infuderat: audet tamẽ neglectis his ſenſibus, certo credere filiũ iá eſſe ſanum & incolumem: imò audet ſenſibus omnibus diffidere, vnico Ieſu verbo fretus. Falſum illi iam erat, quod oculi viderant, & multo veriſsimum, quod Ieſus pronunciauerat.
Geneſ. 15. Sic Abraham cùm ſciret ſe eſſe ſeniculum, & ętate grauem, cùm ſciret coniugis vuluam eſſe emortuã, & partui ineptam, fide tamen corroboratus, credit ſe noua prole parentem fore.
Rom. 4. Nónne hæc eſt fides D. Pauli? Sed verba Apo-
Galat. 3. ſtoli audiamus. Credo (inquit) Deo meo, quia
Act. 27. ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi. Sed quidnam obſecro vel dictũ, vel promiſſum erat illi? Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Vrgebant nauem fluctiuagę procellæ, rumpebatur malus, fluctuum crebris ictibus ceſſerat clauus, euris, nothiſque furentibus velum, tenſaque linthea, breuiter pręſentem viris intentabant omnia mortem: denique deſperabant nautę, fuga ſibi conſulere volebat nauarchus. Quid hîc Paulus? Quid? Cęteris neglectis credit verbo. Imò ne vnus quidem ob

dem ob hanc tempeſtatem deſiderabitur, ne vnus quidem fluctibus abſorbebitur. Pulchrè Propheta Dauid: Domine in verbo tuo ſuperſperaui. Famuli Nahaman Syri inculcant hero ſuo verbum Domini per Elyzeum pronunciati, videlicet: Lauare ſepties in Iordane, & mundaberis. Sic noſter Regulus indiuulſè hæret illi verbo, videlicet: Vade, filius tuus viuit. Quapropter piiſsimi auditores, cùm audiatis verbum Domini è ſuggeſto pronunciari, tum quòd Deus pater noſter ſit, tum quòd aues cœli paſcat atq; educet, quòd lilia agri vario colore induat, adhuc vacillabitis, adhuc ambigetis, quòd vos in ſuã curam receperit? Ipſi, ait D. Petrus, cura eſt de vobis. Paſcit Deus atros colubros, paſcit araneas, earũ retibus muſcas impediens, implicanſque: dat iumentis eſcam ipſorũ, & pullis coruorũ inuocantibus eũ: & non paſcet, educabit filios quos adoptauit ſecum in coheredes regni cœlorũ? *Filius tuus viuit.* Verbũ hoc Chriſti mirificè nos recreat, & ſingulariter de patre cœleſti cõfidere, & bene de eo nobis polliceri monet. Dicas hoc etiam nobis Domine Ieſu, dicas hoc mihi: Quid ſolliciti, imò & anxij eſtis miſeri, quid tu infelix homuntio tantopere futurorum metu trepidas. Anima tua viuit, valet, incolumis eſt. Quòd ſi minus quàm neceſſum eſt, valeat, tu pie Ieſu, qui fons vitæ es, vitam inſpires tuæ imagini, vt ex tua benignitate, tanquam ex herba medica, ſugat valetudinem confirmatiorem.

Pſal. 118. *Math. 6.* *1. Petri. 5.* *Pſa. 146.*

Credidit homo ſermoni quem dixit Ieſus, & ibat. Ibat tripudians, & geſtiens, viamque iam

vocare videbatur. Figura venuſtiſsima eſt de
Geneſ. 45. Iacob Patriarcha, qui audiens filium ſuum viuere, ac in Ægipto cum rege rerum potiri, quaſi è graui conſurgens ſumno, exclamauit, ſufficit mihi, ſi filius meus Ioſeph adhuc viuit. Sic ibat & æthiops reperta ſalute lætiſsimus, præceptore Philippo & inſtructore Act. 8.

Iam autem eo deſcendente, occurrerunt ei, ſerui, & nũciauerũt ei, dicentes, quia filius eius viueret. Vides hîc indolem & naturam liberalium famulorum, qui ex animo dolori ſui heri condolere norunt, ac viciſsim eius gaudio congratulari. Magna alacritate illi in via ſe obuiam effundunt, ne fortè inter proficiſcendum, ob filij iam ferè deploratam ſalutem, grauius in ſe conſuleret, aut ſe illata manu perditum iret. Eccle. cap. 7. ſcriptum legimus: Seruus fidelis tibi eſt, diligas eum tanquam animam tuam, neque inopem derelinquas eum. Valerius Maximus ſcripto prodidit, ſeruum Cæſaris Augu-ſti, cùm ad M. Antonium iam captus duceretur, dixiſſe: Fac quod poteris, quicumque me ducis, nec enim vel ſalutis beneficio, vel mortis ſupplicio efficere poteris, vt miles Cęſaris eſſe deſinam, & tuus eſſe incipiam. Quam
Vale. Max. lib. 3. fidem in Dominum vbi conſpexiſſet M. Antonius, vita eum donauit. *Interrogauit ergo horam ab illis, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: quia heri hora ſeptima reliquit eum febris.*

Famulis optata & iucunda afferentibus, pater aliò prorſus ſpectabat. Nunciabant illi corporalem adoleſcentis ſalutem, ipſe verò tum filium ipſum, tum famulos ad perpetuam animæ

ſanitatem

ſanitatem traductos cupiebat : atque idcirco diligenter horam veſtigat recuperatæ valetudinis. Iam enim animo decreuerat, vt ſi hora ſanitatis inſtauratæ ea eſſet, qua dixit ei Ieſus: Filius tuus viuit, iam de diuina illius virtute ſe nihil deinceps addubitaturum, imò Dei filium, & mundi moderatorem ſe vel vltro profeſſurum. *Heri hora ſeptima reliquit eum febris.* Antiqui diem in duodecim horas diuidere ſolebant. Septima autem hora proxima eſt à meridie, atquę hęc ipſa hora eſt, qua ferè ęger omnis peius habere incipit ſecũdum naturam, quia ſol à ſummo cœli incipit declinare, & cum declinatione ſolis omnis ægri virtus cadere ſolet. Vnde patet, quòd curatio hæc fuit magis miraculoſa, quã naturalis. Vnde in Iob dicitur: Ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt. *Cognouit ergo pater, quòd illa eſſet hora, in qua dixit ei Ieſus: filius tuus viuit. Et credidit ipſe, & domus eius tota.* Iob. 5.

Miranda & laudanda Ieſu Meſsiæ noſtri opera, patrem liberat infidelitate, filium febribus: huius corpus, illius animum. En quanta meſsis ex vnico miraculo. Noua quoque familiæ facies, pater enim cum filio, atque adeo cum omni famulitio (quod ſanè erat numeroſum) fidei ſacramentis inaugurantur, ac baptiſmo admoti, in Domini Ieſu familiam tranſeunt. Infirmitas autem filij, cauſa fuit paternæ ſanitatis. Vtilis ſanè res eſt tribulatio, ſi quis ea rectè vtatur: Imò quando conſpicit Dominus ſuam medicinam obuio excipi ſinu, alacer accurrit, & animi maculas abluit, abſtergitque.

Noſtro

Noſtro verò fit vitio, quòd ex morbo aut rerum aduerſitate nihil commodi nanciſcamur. Res longè vtiliſsima crux eſt, ſi quis aptè vtatur. *Tertullia.* Quemadmodum (ait Tertullianus) ſcala Iacob angelos quoſdam habuit aſcendentes, alios verò deſcendentes: ita in tribulatione nonnulli proficiunt, magnoſque progreſſus faciunt: plurimi autem deficiunt, atque deſcendunt. Enimuerò non mediocriter profuit huic familiæ, morbo filiumfamilias attentatum, correptumque fuiſſe: Nam vnius illius gratia pater eſt ſollicitus, diſcurritque, famuli obeunt ſua munera, filius ſanatur, tota denique familia veluti nouam induit faciem.

Annotativncvla Prima.

Erat quidam regulus. *Nemo hunc intelligat paruum fuiſſe regem, non enim Græce eſt βασιλίσκος, ſed potius βασιλικὸς, hoc eſt, regius vel regalis. Verum Eraſmus opinatur eum geſsiſſe profanum Cæſaris magiſtratum, neque Iudæum fuiſſe aut Samaritanum, ſed ethnicum. Secundum Hieronymum in caput Eſaiæ 65. Palatinus vocari poſſet, aut aliquis de regia aula. Puto autem interpretem legiſſe βασιλίσκος. i. regulus, quo nomine non ſolùm parui reges, ſed illi etiam ſignificantur, qui alicuius vrbis, oppidi, aut ditionis aut principes, aut magiſtratus. Opinatur Ioannes Gagnæus Iudæum fuiſſe, cui non grauatim accedo, quòd Chriſtus ei exprobret: Niſi ſigna & prodigia videritis, &c.*

Secvnda.

Filius tuus viuit. *Hic viuere accipitur, pro ſanum, & incolumem eſſe, phraſi hebraica, quemadmodum*

modum & in pſalmis, viuificare frequenter accipitur, pro à malis reſtituere, & periculis mortis eximere.

TERTIA.

Niſi ſigna & prodigia. *Notet hic ſtudioſus Lector, Dominum fuiſſe paratiſsimum accedere famulum Centurionis, cùm tamen ille id nequaquàm flagitaret, ſed verbo ſolo contentus eſſet: ad Reguli verò filium ire recuſat, licet ille Centurione multo eſſet potentior. Sed id ita fiebat (ait Chryſ.) quoniã fides Centurionis multò erat confirmatior, & illuſtrior. Regulus autem in eadem fide vix erat catecumenus, & planè rudis. Gregorio autem viſum eſt, Dominum Ieſum id ideo ita feciſſe, vt doceret nos nequaquam generis nobilitatem, aut claros natales reſpicere, ſed fidem potius, animiq́ue præſtantiam. Redemptor verò noſter oſtendere volebat, quòd quæ alta ſunt hominum, ſanctis deſpicienda ſint: quæ verò humilia videntur, ſuſpicienda eſſe. Increpata eſt ergo ſuperbia noſtra, quæ ea quæ circumſtant homines, potius penſat quàm Dei honorem, aut virtutem. Nolite igitur in proximis, aut huius mundi bona venerari, aut ſuſpicere, hoc verò ſuſpicite, quòd creati ſunt ad imaginem Dei. Vide Lector Gregorium, vnde petes, quæ hic breuitatis amore prætermittimus.*

QVARTA.

Deſcende, priuſquam moriatur filius meus. *Vnicum rogatur ſaluator Ieſus, & multa præſtat. Quid ita quæſo? quoniam elargiendo thezaurum, non exhaurit. Petitur Reguli filio dare à febribus ſolutionem, & tribuit ſimul animæ ſanitatem. Nec hic ſiſtit diuina liberalitas, verùm & patrem infirmi eodem cohoneſtat beneficio. Nec hoc ſatis etiam, niſi*

& familiam

& familiam omnem (quam arbitror fuiſſe ampliſſimam) fidei eiuſdem luce perfunderet, purificaretque. Huc verbum Pauli: Potens eſt Deus abundantius

Rom. 1. *dare quàm petimus, aut intelligimus. Solomon flagitauit à Domino ſapientiam, & cor docile, ſed ad-*

3. Reg. 3. *didit Dominus & incredibiles, non æſtimandoſque theſauros, ac omniũ rerum exuberantem copiam. Poſtulat dexter latro, vt Dominus aliquãdo eius in regno ſuo meminerit: reſponſum eſt illi: Hodie mecum*

Lucæ. 23. *eris in paradiſo. Poſcit Moyſes fratris ſui Aaronis*

Nume. 17. *virgam florere, & ecce gemmæ, flores præterea, fructúſque amygdalini.*

QVINTA.

Notat Thomas Caietanus, vbi nos legimus, priuſquam moriatur filius me⁹, in Græco haberi, puerulus meus.

DOMINICA VIGESIMA SECVNDA POST TRINITATIS EVANG.

Math. 18.

A*ſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis.* Diuus Apoſtolus Petrus, cùm immenſum peccati pondus, ingeniíque humani malitiam conſideraret, atque rurſus in diuinam maieſtatem ſuffigeret, attolleretque oculos, obſtupefactus rei indignitate, quòd puſillũ illud, ac calamitoſum animalculum, quòd formica diaria in ſublimiſsimam illam auderet committere poteſtatem, ſepteno numero eius conciliationem definiuit. Forſitan illius oculis obuerſabantur illæ ſcripturæ, quæ Dominum

num Deum aliquando ad indulgentiam difficilem eſſe oſtendunt. Nam Amos cap. primo: Super tribus ſceleribus Iſrael,& ſuper quartum non conuertar, ſcribitur. Deinde & apud Ezechielem, tres viri pietate, & ſanctimonia inſignes in medium adducuntur, qui ſibi quidem ſatis erant, Deumque propitium ſunt habituri, cæteris verò nequaquam ſuccurrere poterunt. Concluſit igitur Petrus indulgentiam erga proximum numero ſeptenario, ſed minus contractè, nimis parcè: de miſericordia ô Petre nobis polliceris, cùm etiam ſepties in die cadat iuſtus, & tute ipſe fœdiſsimè vnius horulæ ſpatio ter ſis lapſus. Sed bene habet, quòd diſcipulum corrigat, caſtigetque præceptor, atque etiam ſepties ſeptuagies indulgere delinquentibus vult, numero vſus finito pro infinito: Vt ex Luca apertiſsimè oſtenditur, vt videlicet quoties pœnituerit, ei noxa donetur. Vnde non minimam peccatores ſpem, atque fidutiam concipere poſſent, quibus ad omnem lapſum nunquam non obuia eſt diuina clementia. Quoniam ſi Deus nos in fratres noſtros toties ita clementes, & faciles eſſe docet, vt quotidie, quoties nos offenderint, & ex animo pœnituerint, veniam impetrare velit, quanto id æquius eſt expectare à tanta bonitate. Aperiat igitur, aperiat miſericordiæ gremium mater Eccleſia, benignè de fratrum fragilitate ſentiat & ſtatuat Petrus, nec rigore quemlibet exacto, & ſupremo condemnet. Si enim filius Acolaſtus, & prodigus iam rediens apud patrem vapulet, quis in ſe rediens, poſthac dicet,

Amos. 1.

Ezech. 14.

Luce. 15.

hac dicet: Ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater peccaui in cœlum, & coram te? &c. Hinc igitur in procliui eſt diſcere, nos pronos, & propenſos eſſe debere ad indulgentiam lapſis præſtandam. Vbi igitur Dominus Petrum docuiſſet, aptiſsimam parabolam in medium affert, vt regia illa ſimilitudine in animo Petri altas agat radices. Quid enim? Si rex ignoſcit ſeruulo præuaricanti, quantò magis piſcatorem decet ſimilis clementia? More autem Paleſtinorum parabolam proponit, vt quod per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus non poteſt, ſimilitudine, atque exemplo perſuadeatur. Oportet ſemper ignoſcere reſipiſcenti. Intentio autem Chriſti eſt, hoc exemplo oſtendere, Deum patrem erga peccatores longè eſſe clementiſsimum; ſed qui interim in eoſdem ſeueriſsimus eſt, ſi beneuoli
15. ac benigni eſſe in proximos nolint, conſeruoſque ſuos miſerè contortos carceri committere etiam vilis æris gratia meditentur. Prima autem parabolę huius parte oſtenditur, Deum patrem ab hominibus factorum, geſtorumque rationem exigere: cùm nimirum Dominus ac rex ſit omnium, interea tamen tantæ eum eſſe benignitatis, vt ſi quis debitum peccatorum quamlibet etiam enormium, ac multorum ſibi remitti ſubmiſſè poſtulet, præſertim cùm non ſit ſoluendo, maiorem omnino ſit conſecuturus beneuolentiam, quàm vnquam ſperare potuiſſet. Primo igitur, citatis ſeruis, regi (vt prudentem patremfamilias decet) de datis, atque acceptis ſubducere rationem vi-

nem viſum eſt. Sæpè computata ratio conſeruat amicitiam. Rationis ergo reddendæ memores eſſe debemus, & die, noctéque cogitare, nos tanquam vernulas in conſpectu Domini noſtri eſſe, quicquid vel patimur, vel agimus. Id ſæpiuſculè, imò (credo) quotidie ille Domini famulus S. Iob ſollicita mente agitabat. Quid faciam, cùm venerit ad iudicandum Deus, & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? Sic Ioſeph cùm eſſet oiconomus Putipharis, non diſsimulabat ſe ad ſubducendum rationis calculum hero ſuo obligari. Ecce (inquit) Dominus mihi omnia tradidit in manus, & ignorat quid habeat in domo; neque quicquam eſt, quod non ſit in mea poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: & quomodo ergo poſſem hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? De ratione autem reddenda in nouiſsimo illo die horrent, & ſecum trepidant angeli, & homo erit ſecurus? Nutabunt ea hora cedri Libani, quid igitur faciet virgula deſerti? Ficus ſuaues in acerbitatem vertentur, quid fiet de amara ſalice? Deprecatur Dauid apud Dominum: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Stellæ non ſunt mundæ in eius conſpectu, & in angelis ſuis repperit prauitatem: quo pacto igitur, aut potius qua fronte nos inutiles famuli audemus accedere ad tribunal eius, rationem non de factis ſolùm, ſed & de verbis, & cogitatu reddituri? Plurimi principum, ſatraparum, purpuratorúm-

Iob. 31.

Geneſ. 39.

que, multi iudicum, & prætorum expilant, emungunt, premuntque miſeros, pauperes, ſubditos: nullus Hieremias, nullus Elias eſt, qui audeat ea vti libertate, vt vel amicè moneat, vel reprehendat acriter illorum inſolentiam, non tamen effugient reddendæ rationis tempus. Veniet, veniet aliquando iudex viuorum, & mortuorum, & grauiter de ſublimi contra eos tonabit, fulminabitque. Heus (inquit) ſuperbe Thraſo, heus arrogantiſsime Nabugodonozor, cur ita ferocis, ita furis in ſubditos? Vos purpurati exactores, cur atteritis populum meum, & faciem pauperum commolitis? Vos depaſti eſtis vineam meam, & rapina pauperis eſt in domo veſtra.

Eſaie. 3.

Et cùm cepiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat decem milia talenta. Per hunc deſignatur quilibet peccator, qui vnde ſoluat, non habet. Quid enim? An quiſpiam in hoc prolixiſsimo orbis eſt ſpatio, qui ſeſe à peccato redimere queat, niſi Deus, qui diues eſt in omnes qui inuocant eum, vltro è miſericordiæ ſuæ theſauro illi proſpiciat, ſuggeratque abundè, quo ſatisfaciat? Pauliſper vide quæſo Dei in te beneficia, quæ etiam numerum omnem ſuperant, deinde ſtatue teipſum contra te, ac vide animi tui ingratitudinem pluſquam barbaricam, pluſquam Scyticam, & facile perſpicies, te decem etiam milium eſſe debitorem. Quid ſi & peccata tua omnia, ſiue quæ ore, ſiue quæ opere turpiter deſignaſti, conſpicias, nónne eandem ſummam apud te deprehendes? Attende poſtremo diuina præcepta

toties

toties à te,non dicam neglecta, ſed etiam conculcata, ac conſputa, & diſpeream,niſi totus exhorreſcas. Vidéſne dic amice quæſo, vidéſne te eſſe hunc debitorem? Quid igitur, nunquid impunè feres? Nequaquam. Exigetur equidem à te aliquando ratio eorum quæ accepiſti, imò & eorum quæ commiſiſti. Sed quando hæc ratio exigetur? Hoc iam diximus, in iudicio extremo. Hîc verò incipit rex rationem petere dati, & accepti, cùm mortis terrore,conſcientięque flagello ad cogitandum ſerio, quo pacto ſoluas debita, te impellit. Quid hîc faciet homo? Etiam ſi vxorem, familiamque omnem venditioni exponat, nihil tamen ad ſummam, quòd ingens ſit, attulerit. Quin etiam ſi manibus, pedibuſque contendat, ac opera quantumcumque ardua, animam, corpuſque expendat, necdum tamen ſatisfaceret. Sed age ſtudioſe auditor, & paulò altius noſtra talenta expendamus. Dedit Deus homini talenta naturalia, dedit & ſupernaturalia. Primo naturalia accipe. Dedit ſe Deus homini, vt vbicumque eſſe velit, ibi habeat Deum cooperatorem: ſine Dei enim cooperatione, nihil homo naturalibus ſuis inſtrumentis preſtare poſſet. Dedit homini totum mundum, nempe conſtituens illum ſuper omnia opera ſua, dedit ingenium, præterea linguæ plectrum, alioſque ſenſus: denique corpus affabre factum, deinde dedit valetudinem proſperam, ſalutem, honorem, diuitias,vxorem,liberos,famulos,hortos & domicilia. Quòd ſi vacet quoque ſupernaturalia intueri:

Duo genera talentorum.

Pſal. 8.

Rom. 8.

1.Corint.1. tueri. Primum indulſit homini filium vnigenitum, vt ſit nobis iuſtitia, ſanctificatio, redemptio. Indulſit & angelum miniſtrum, dedit fidei cognitionem, deinde dedit etiam gratias gratis datas, inſpirationes ſacras, virtutemque ſacramentorum, plurimaque chariſmata, quæ referre omnia perquam difficile eſſet. Si igitur hæc talenta expenderit homo ad Dei cultum, & honorem, proximique vtilitatem, iam nihil prorſus debebit, ſiquidem in vſum & laudem eius, qui elargitus eſt, inſumuntur. Sed ſi (quæ noſtra eſt infœlicitas) in diaboli obſequium depromuntur, certiſsimum eſt, nos ea Deo debere. Quid hoc eſt aliud, quàm ſacra Domini chariſmata prophanis vſibus addicere? Porro cùm homo debeat tot talenta, quomodo ſoluet? Quid habet, quod non
1.Corin.4. acceperit? *Cùm autem non haberet, vnde redderet, iuſsit eum Dominus venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Non egit rex iniquè, cùm vrgeret debitorum exſolutionem. Verùm cùm ſciret illum ſoluendo non eſſe, facultates illius, ac ſupellectilem, atque adeo familiam quoque vendere parabat, vt ſi non plenè, ſaltem ex parte aliqua ſibi fieret ſatis. Quod vbi ſeruus conſpexit, mirum quàm expauerit, atque trepidauerit. Vertit ſe in omnem partem, imò & cum Proteo in omnem ſpem, vt elaberetur, neque ſucceſsit tamen. Grauiter premit æs alienum, vſqueadeo vt non raro ſomnum adimat debitori. Quapropter mirùm eſt peccatores tam altum ſtertere, ac in vtramque dormire aurem.

Et ſunt

Et ſunt quidam ita ſecuri, acſi iuſtorum opera habeant. Mirificè arridet vidua illa, lib. 4. Regum, quæ vbi intellexit creditorem meditari facultatulæ ſuæ, necnon cariſsimorum pignorum venditionem, animi anxia, ad opem prophetæ Elyzei reſpexit, atque ad eius clementiam, tanquam ad locupletiſsimum gazophilacium, confugit. Sed quid (inquies) promouit? Mira res, ad ſolutionem debitorum arida vaſa olei precioſiſsimi copiam ſudauerunt. Id & nos facere ſummopere conduxerit, prophetarum principem Ieſum accedere, debitorumque vim immenſam & agnoſcere ingenuè; & apertè profiteri: deinde in nobis nihil eſſe opis, ſed ſolùm ad ſanctiſsima vulnerum eius pleniſsima, oleique ditiſsimi exuberantiſsima dolia nos reſpicere velle, atque inde verecundè, quo ſoluamus, emendicare. Neque repellet ille modeſtos precatores, præſertim cùm in hunc vſum, hoc eſt, in noſtram ſatisfactionem vaſcula ſanguinis ſui lauerit, aperueritque. Operæpretium fecerit cordatus & prudens Eccleſiaſtes, ſi ſollicitum, & animi anxium debitorem auditorio, veluti in ſcæna, conſpiciendum conſtituat, multa gementem, & querentem, ac crines barbamque ſibi ob dolores vellentem: prope verò maritum, mœſtam coniugem, largo lachrymarum imbre genas irrigantem, imò & honeſta præcordia contundentem, poſtremo paruos etiam liberos ab emptore trahi ad indignam ſeruitutem. Huiuſmodi enim fieri veriſimile eſt, vbi in hanc venitur neceſsitatem. Sunt qui vxorem

4. Reg. 4.

interpretentur corpus hoc noſtrum, quæ nimirum coniunx animæ eſt, opera verò quæ per carnem malè, & improbè procreantur ab animo, corporis videlicet miniſterio, filios eſſe dicimus, ſecuti in hoc commentario Theophilactum.

Theoph. in Math.

Iuſſit igitur eum Dominus venundari, & reddi.

Hic bene Chryſoſtomus: Terrere vult Dominus, vt per minas in ſupplicationem ducat. Sic Niniuitis excidium comminatur, vt ad ieiunium & reſipiſcentiam trahat. Quin & timor Domini expellit peccatum, ait Sapiens. Conterriti peccatores aiunt apud Eſaiam: A timore tuo Domine, concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Nihil ſalubrius timore Domini, qui veluti ſal quoddam putrida carnis vitia exedit, & purgat. Conterritus igitur ſeruus, & cenſuram Diuini judicij expaueſcens, regi ad genua accidit, cernuuſque miſericordiam poſcens procumbit. Vna nobis via ſalutis, ſi ſerui huius præclaro eruditi exemplo, ad pedes dominicos prouoluamur. Fœlix qui hæc facit, magnæ enim ſolutionis initium eſt coram Deo procidere, ante quem erecti animi deijciuntur, & contra ſupplices ad altiora eriguntur. Si iura aduerſus creditorem tibi non ſubueniunt, faſſus debita omnia miſericordiam precibus implorato.

Eccleſ. c. 1. Eſaiæ, 26.

Procidens ergo ſeruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam babe in me, & omnia reddam tibi.

Bene, & prudenter. Quid enim faceret benigniſsima Maieſtas, quæ nullius indiga eſt,

eſt. Eſſet omnino contra natales eius, ac ingenitam miſericordiam, ſæuire in ſupplicem debitorem. Sic corpora magnanimo ſatis eſt ſtrauiſſe leoni. Vtinam huiuſmodi benignitatem in miſeros, qui nequaquam ſoluendo ſunt, commonſtrent creditores, præſertim ſi re ſint lauta, & ſumma ſit puſilla. Quid enim auxerint aut iuuerint infinita auri argentique, quæ domi tuæ condita, defoſſaque tenes, talenta, pauci nummi? Non magis equidem iuuerint, quàm clariſsimum ſolis iubar candelæ ſebaceæ flammula. Sed meum eſt (inquies) quod poſtulo, quapropter & bona fide eſt reddendum, nihil præter fas & ęquum exigo. Vnuſquiſque quod ſuum eſt, iuſtè exigere poteſt. Tuum eſt ô ſordidiſsime næoplute, ſed quî auferas ab eo qui nihil habeat? An nudo detrahes veſtimenta? Igitur, ais, ad carcerem illum rapiam, ac rem omnem eius familiarem haſtæ ſubijciam. Quid ais? Idcirco tam es ferox, & inſolens, quia paulu-lum tibi vel induſtria tua ac dexteritate, vel fraude ac dolo malo, vſuráue acceſsit, accreuitque pecuniæ? Sed quis obſecro hac induſtria te donauit, nónne ille rerum opifex, à quo ceu à fonte perpetuo facultates omnes animi, naturæque dotes promanant? Quod ſi in te velis deſcendere, ac tecum ſerio conſiderare, quanta illi debeas, vnde ne creditor tuus Deus tibi viciſsim dicam ſcribat, atque ad ſuum tribunal reum ſtatuat: & deinde, cùm non ſis ſoluendo, ad quæſtionem ponat, donec vltimum exſoluas quadrantem.

Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam. Quapropter (ſi ſapis) modeſtè cum miſeris agendum eſt, ne quãdo par pari vel à Deo ipſo, ſi ceſſent homines, referatur. *Patientiam habe in me, & omnia reddam.* Sic Manaſſes rex: Incuruatus, inquit, ſum multo vinculo ferri, & non eſt reſpiratio mihi. Et nunc flecto genua cordis mei, precans ad te bonitatem Domine. Peccaui Domine, peccaui, &c. iniquitatem meam agnoſco. Peto Domine, remitte mihi, remitte mihi, & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis. &c. Vtinam peccatorum ſuorum debita omnia ita agnoſcant, atque ingenuè fateantur præuaricatores omnes, ac ad aures diuinæ clementiæ opplorent nocte & die. Tutum eſt enim, & conſultum, vbi ſoluendo non ſis, ad preces deſcendere. Vtinam ſpiritus ſanctus lumen ſuum cordibus humanis infundat, vt appareant eis propriæ maculæ, ac ſcelerum, debitorumque grauitas. *Omnia reddam tibi.*

2. Paral. vlt.

Sed vnde tibi ô pauper, decem milia talentorum. Imò ſi tecum omnia tua venum proponas, non poteris hanc ſummam conflare. Quid enim? Nihil es, vermis es, nudus es, vnde igitur tanta ſoluendi fiducia? Sed cùm reconciliatus ex inimico Deum ſibi amicum facere cepit, reddere etiam omnia cepit. Amicus nihil non acceptat in precium ac ſolutionem debitorum. Quin & calicem aquæ frigidæ pro ſolutione habet Deus. Deinde ſi peccator mundo, peccatique illecebris repudium mittit, cordeque doloribus contrito ad

Marci. 9.

virum

virum reuertitur, veluti ſponſa, priorem ac ſe Deo reddit, omnia reddere videtur. Quid enim ab homine aliud petit Deus, quàm vt præbeat ei cor ſuum? Craſsius dicam. Vir ex animo pœnitens, vereque anteactam vitam corrigens, ſtatuit, decernitque ſecum, quicquid edat, bibat, dormiat, vigilet, eat, ſedeat, omnia in Chriſti gloriam facere. imò decernit ſeipſum punire, caſtigare, plectere, membraque omnia in hoſtiam ſanctam rationabili obſequio Deo ſacrificare. An ne eſt hoc omnia reddere? Quin etiam & verè pœnitens omnia merita Chriſti ſponſi ſui, vulnerumque eius theſaurum poſsidet, vnde infinita ſibi talenta depromere, atque haurire poteſt. Huc facit illud Dauidicum: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Feci (inquit Bernardus) peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor, & quod mihi deeſt de meo, fidenter accipiam de eo, qui natus & datus eſt nobis.

Miſertus autem Dominus illius, dimiſit eum, & omne debitum demiſit ei. O miſericordiam ineffabilem. Petit famulus dilationem, Dominus autem omne debitum dimiſit: ſiquidem (vt canit eccleſia) pietatis ſuæ abundantia hominum merita excedit, & vota. Vides quàm facile Dominus ignoſcat? *Miſertus eſt.* Gratia ſaluamur, non ex debito, vel merito. Ecce quàm diues eſt in miſericordia, imò & pater miſericordiarum, ait Paulus: Merito ad Dei miſericordiam nos Dauid inuitat. A cuſtodia, inquit, matutina vſque ad noctem, ſperet

Iſraël

Iſraël in Domino. Induamus Dominum Ieſum Chriſtum cum omnibus meritis eius. O ſplendida humanitatis Ieſu veſtis eſt. Quid enim non habet, qui Chriſtum induit? Hæc eſt illa veſtis Ioſeph, quæ patrem eſt placatura.

Iacob. 2.

Egreſſus ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

Serui huius crudelitatem mirer an ingratitudinem? Quid agis ſceleſte? Pontem miſericordiæ audes rumpere, per quem ad thronum regiæ indulgentiæ adijſti? Hoccine eſt regem imitari, & illius benignitatem ad viuum exprimere? O truculentum, ó tragicum ſpectaculum: cur fratrem frater, ſeruum conſeruus, proximus proximum affligis, & torques? Non te pudet, tã facile ingrata obliuione obliterare gratiam beneficentiæ tibi exhibitæ? *Egreſſus eſt &c.* Singula verba emphaſim habent, imo ſingula verba augent peccatum huius crudelis verberonis. Egreſſus eſt, & alienus factus à Domino: & quid mirũ, ſi ferociam & inhumanitatẽ induat, qui miſericordiam Domini exuit? Quæ beſtia quãlibet effera ſic in ſuam ſpeciem ſeuiret, ſicut hoc mãcipium in naturæ, & conditionis eiuſdem conſortem? Rectè ille.

Sed iam ſerpentum maior concordia, parcit
Cognatis maculis ſimilis fera, quando leoni
Fortior eripuit vitã leo, quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?

Oramus Deum, vt miſericordiam nobis largiatur, & tamen erga proximum viſcera crudelia gerimus, & ob aliquot denarios illum ſuffoca-

ſuffocamus, & vrgemus ad perſolutionem. Sed audiamus verba ſupplicis: *Procidens autem ſeruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abijt, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Atrox, & crudele ingenium ſerui, fortè aſtitit miſellus iſte debitor regi, cùm creditor veniam poſceret tot talentorum, & eadem verborum formula ſua quoque debita deprecanda putauit, nihil dubitans, quin remiſsionem conſequeretur. Sed nihil profecit, quamuis præſcripta orationis formula vteretur. Ita nec portum quidem agnoſcere voluit inhumanus creditor, quo ipſe cum vxore, & liberis ſeruatus eſt: anchoram, inquã, abiecit, qua ex tantorum debitorum naufragio enatauit. Tantum verò abeſt, vt ſupplicantis precibus moueretur, vt etiam veluti moloſſus Anglicus guttur miſelli ſui inuaderet, ac pœnè ſuffocaret. Tanquam tigris aut famelicus vrſus in conſeruulum inſilijt. Quid facis ô homo? Non ſentis aduerſus temetipſum mucronem te adigere, ac ſententiam Domini tui reuocare? *Videntes autẽ conſerui eius, quæ fiebant, contriſtati ſunt valde, & venerunt, & narrauerunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerũt.* Habẽt hoc ſibi peculiare diuini honoris zelatores, vt pro Deo, qui ab impijs impiè agendo, vel negligitur, vel cõtemnitur, magnopere doleant. Sic Dauid: Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquẽtibus legem tuã. Ibidem: Vidi preuaricãtes, & tabeſcebam &c. Argumentũ genuini Chriſtiani eſt flere cũ flentibus, & ridere cum ridentibus. *Pſal.* 118.

Qui

Rom. 12. Qui vnum ſeruum Chriſti lædit, omnes lædit. Quod ſi zelatores huiuſmodi quotidianorum ſcelerum ſpectatores, lachrymis & gemitu, ad tantam improbitatem & inhumanitatem perſecutorum, & crudelium hominum abſtinerent, vel lapides clamaturos, ac ploraturos exiſtimarem: imò & vindictam contra oppreſſores viduarum, & pupillorum poſtulaturus.

Tunc vocauit illum Dominus ſuus, & ait illi: ſerue nequam: Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Nonne ergo oportuit & te commiſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Nequã vocat, & meritò quidem: quę enim maior inhumanitas eſſe poſſet, quã verba illa, quibus decem milia talenta, tanquam ſpongia quadam, abluit, tam vili æſtimare, vt nec centum denariorum diſpendium ferre poſſet, totidem verbis rogatus, præſertim cùm non debitorum remiſsionem, ſed potius dilationem poſtularet conſeruus? Magna Chriſtianorum confuſio, & improperium deſignatur, qui poſt tantam à Domino miſericordiam experti, nullam petentibus ſe exhibere volunt. *Serue nequam.* Eſt aliqua ingrato ſcelus exprobrare voluptas. Porro plurima ſunt, quæ crimen huius inhumani ſerui exaggerant. Primum eſt, quòd ita confeſtim accepti beneficij obliuiſcitur. Secundum, quòd non in alienum, ſed in conſeruũ ita ſęuit. Tertiũ quòd pro vili pecuniola, ſi conferas centum denarios cum ſexagies centum milibus coronatorum, conſeruum exagitat. Quartum, quòd non verbis tantum (quod fortè tolerabile eſſet) ſed verberibus potius ferè ſuffocando

ſocando miſerum, ſolutionem vrgeret. Quintum, quòd nec ea precatione, qua ipſe fuerat vſus, compellatus, commoueretur ad miſericordiam. Sextum, quòd nec dilationem vllam concedit. Septimum, quòd ſupplicem in carcerem conijcit. Vides igitur hîc imaginem expreſsiſsimam crudelis animi? Cùm igitur tam multiplex ſimul, & execrabile huius ſerui ſcelus ſit, non mireris ſtudioſe auditor, quòd mitiſsimus rex in iram prorumpat, ac lictores adhibeat. *Iratus rex tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum.* Si ita ſuccenſet Dominus duris & immitibus, qui proximo ſupplici ignoſcere nolunt, quo fulmine feriet eos, qui veluti oleum camino addentes, principes tyrannos ſuis libellis, aut ſcriptis concitant, ac in miſeram plebeculam extrema omnia meditari, ac moliri docent? Deinde ſi euangelium perſtringit eos, qui ſeuerè monent debitores ſuos; nec rogantibus obnixè morã aliquam, qua differatur ſolutio, ſuſtinere volunt: quid de ijs cenſendum eſt, qui plus quàm ſua exigunt, imó & extorquent, vim etiam allaturi, niſi detur? Nonne hos hyrudines, qui orphanorum, ac viduarum ſanguinem exſugunt, verè appellare poſſes? At iure (inquies) meo vtor. Sed quid ſi Deus etiam iure ſuo viciſsim vti velit, & præmatura morte ex humanis ereptum, æterno dedat carceri? Homo homini ſeruat iram, & à Deo quęrit medelam? *Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Non dicit, pater veſter, quia Eccle. 28.

tales

taleſ immites indigniores ſunt, quàm qui Deum patrem nominent, imò illis non pater eſt, ſed iudex. Ideo autem (teſte Hieronymo, addit de cordibus, vt omnem ſimulationem fictę remiſsionis auerteret. Non ſufficit concordiæ ſignum non oſculum pacis, non verba mulcentia, ſi odium maneat in corde. Non ſanatur vulnus, niſi ferrum tollatur à vulnere. Sunt quidam ita duri, & immites, vt nunquam obliuiſci queant iniuriarum, ſed quaſi ſtilo ferreo, animis eorum tanquam ſaxo rigidiſsimo ita inaratæ manent, vt nullis precibus, nullis exhortationibus obliterari queant. Neſcio qua fronte iſti Deum, qui ad miſerendum, & donandũ propenſiſsimus eſt, toties, quoties libet, appellent patrem, à cuius moribus vt degeneres, quàm longiſsimè diſcedunt? Quid toties clamant: demitte nobis debita noſtra, cùm ſuis viciſsim debitoribus ignoſcere nolint?

Hierony.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Decem milia talenta. *Græcè μυριῶν ταλάντων. Secundum computationem Budæi, Ianſenij, Gagnæi, ac Pauli à Palatio, Decem milia talentorum faciunt ſexagies centum milia coronatorum, quæ ſumma planè eſt incomparabilis ad centum denarios. Ingens hæc ſumma efficit ſex milliones auri, hoc eſt,* hondert en twintich tonnen gouts. *i. centum & viginta vaſa auri.*

SECVNDA.

Centum denarios. Denarius ſufficiens eſt nummus pro ſtipendio laboris diurni. Talis dicitur eſſe in Hi-

in Hiſpaniæ quodam cœnobio D. Hieronymi, quod Guadalupe vocatur.

TERTIA.

Donec redderet vniuerſum debitum. *Cùm Paulus dicat, ſine penitentia eſſe dona Dei, quomodo peccatum redit, quod ſemel eſt remiſſum? Sic igitur eſt accipiendum, quòd non propriè redeat reatus peccatorum præcedentium, ſed quod in virtute contineantur in illa ingratitudine, & crudelitate in fratrem commiſſa, eò quòd peccata illa remiſſa efficiant, vt ingratitudo illa tam graue peccatum reputetur, & pro ea tam ſeuerè quis puniatur, ac ſi priora peccata ei nunquam fuiſſent remiſſa. Videatur Diuus Thomas 3. parte Summæ, quæſt 88. & Magiſter ſentent. lib. 4. diſt. 22.* Rom. 11

DOMINICA VIGESIMA-
TERTIA POST TRIN. EVANG.

Mathæi, cap. 22.

A*Beuntes phariſæi, conſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſermone.* Cùm Phariſęi genus hominum ceruicoſum, & pertinax, Dominũ Ieſum perterrefacere nequirent, neque ſentẽtia dimouere ſua, ſed potius varijs parabolis perſtringerentur, non deſpondent tamẽ animum, ſed ſępius reiecti, nouis nonnunquã inſultibus fortunã ſibi tentandam arbitrantur. Cùm igitur parabolã de veſte nuptiali audiſſent, ac ſe tectè peti, & morderi ſenſiſsẽt, quippe qui charitate nudi eſſent, nec vocati, atq; inuitati aliquando accedere vellent, ſeceſsionẽ à Ieſu meditati, ad noua parãda cõſilia coẽunt, nullũque

non

non mouent lapidem, vt Ieſum proprijs verbis irretiant ita, implicentque, vt ſe facile euoluere nequeat, atque expedire. Vim quidem intentaſſent, ſed ob plebis animos erga illum ſatis æquos, aliam viam meditantur, qua vel præſidi Pilato, vel certè regi Herodi illaqueatus traderetur, ſine quorum authoritate, mortem ei inferre vix poterant. Valde autem quæſtio hæc de cenſu cæſari pendendo phariſæorum animos exercuit, excruciauitque. Clamabant populum Deo dicatum non decere alterum Dominum agnoſcere, aut numeratis nũmis ſubiectionẽ fateri, quod nihil aliud erat, quàm in mediam ſeruitutem ſeſe præcipitare, & Deo immortali hominem præferre mortalem. Deinde non tam ſtupidi erant, quàm facile ſentirent, corbonæ ſuæ per cęſaream penſionem plurimum decedere, quod intolerabile facinus iudicabant. Ex hac igitur quæſtione putabant ſe inueniſſe rationem, qua Dominum obnoxium facerent poteſtati præſidis, aut ſaltem populo minus gratum. Nam ſi diceret filios Abrahę, qui, vt ferè in compitis, & tonſtrinis omnibus iactabant, nemini ſeruierant vnquam, non debere exſoluere tributum, mox illum delaturi erant apud præſidem, tanquam ſeditioſum, & idcirco capitali ſupplicio feriendum, ob quam cauſam perijt olim ſub Augusto cæſare, Phariſæus quidam nomine Iudas, vt ſcripto nobis Ioſephus prodidit. Si verò reſponderet licere tributum dare cæſari, calumniaturi ipſum erant apud populum, tanquam adulantem principibus, & eorum metu

Antiquit. c. 1. & 2.

à verita-

à veritatis prædicatione abſtinentem, nec adeo eſſe religionis patriæ obſeruantem, vt videri volebat. Sed nihil agunt vafri iſti & verſipelles, Diuina ſapientia non capitur laqueis humanis. Id Eſaias clariſsimè indicare videtur. *Eſa. 8.* Cōgregamini (ait) populi, & vincemini, accingite vos, & vincemini, inite conſilium, & non ſtabit: loquimini verbū, & non fiet. Fruſtra tenditur rete coram oculis pennatorum. *Prouer. 1.* In opere eū reprehendere non poterant, in ſermone igitur (vbi facillimus, teſte B. Iacobo, lapſus eſt) *Iacob. 3.* eū circumuenire ſtudent. *Abierunt igitur à Chriſto.* Solū hoc metuiſſe debuerāt, ne ab eo diſiungerentur. O miſeri, quomodo videbitis, ſi lucem fugitis: quomodo non errabitis, ſi viā deſeritis: quomodo non moriemini, ſi vitam faſtiditis? O terque, quaterque inſani, qui Chriſtum vnicum totius ſapientiæ fontem repellitis. *Conſilium inierunt.* Iſtud concilium quod celebrabant, non erat ſyncerum: Vnde & conſilium quod ibi hauriebant, à prauis affectibus proficiſcebatur. Quis fontem petet à cœno, aut quis puram lympham hauriet è luto? Quis in turbida aqua potum deſiderabit? Non licet ferro gemmam coniungi, ſic nec ab improbis petendum conſilium. Quales conſultores, tale & conſilium quod promit. In rectè conſtituenda Repub. Chriſtus eis lucerna erat, ac veluti cenſura quædam elegantiſsima, modò illi auſcultare voluiſſent, ſed corruptis affectibus tranſuerſi acti potius illius dicta factaque omnia in peiorem rapuerunt partem. Sic Anaxagoras prudentiſsimus philoſophus, Pe-

ricli Athenienſium principi à conſilio erat, eaque ferè ſuggerebat, quæ ex re, atque vſu Reipublicę erant. At Pericles hominem inedia ferè perire ſinebat: cùm autem ęgritudine ac męrore animi ferè contabeſceret, acceſsit illum Pericles ſalutandi gratia: cui Anaxagoras: O Pericles, inquit, quibus lucerna opus eſt, oleum ſubinde infundunt. Acutè ſanè, & lepidè. Viri enim prudentes, ac conſilio inſignes, meritò à regibus & principibus honorari, colique debent. Sic omnino niſi deſipuiſſent phariſæi, atque magiſtratus populi Iudaici, Chriſto ob ſapientiam, & præclara merita, vel ſtatuam in foro collocare debuiſſent, vel non negligere virum tam multis nominibus Reipublicæ neceſſarium. Sed obſtitit liuor vnica Reipublicę peſtis, qui eis ita mentis omne lumen ademit, vt clariſsimam hanc lucernam, quam pater cœleſtis craſsis mortalium erroribus, & tenebris deſtinârat, extinctam cuperent, ac dicerent: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Si verò aduerſus lucem Euangelicam conſilium capiunt tenebriones illi, ſi aduerſus filium Dei homines, ſi contra ſponſum improbi calumniatores, indignabitur ſponſa Eccleſia, ſi aduerſus ſeſe in ſuis comitijs & conciliabulis conſpirent, nihilque non moliantur veritatis aduerſarij, & perduelles? Sic aduerſus innocentiſsimum iuuenem Ioſeph conſilium captauerunt impij fratres, &
Gen. 37. aduerſus Dauidem coniurati Abſolonis proce-
2. Reg. 15. res. *Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis.* Diſcipuli iſti erant præceptoribus ſuis Phariſæi

riſæis ætate minores, ſed malitia, & nequitia pares. Nam & ſerpentum pulli ſtatura parentibus ſunt breuiores, veneno æquales. Sic & luporum catuli,&ſi venatum non exercent, ſanguine tamen gaudent, & morſibus ludunt. Herodiani verò fuerunt homines eius nominis ſtudioſi, vel certè ex eius familia, vel ex cohorte prætoria, qui diuerſæ cum Phariſæis erant opinionis,tributumque Cæſari pendendum aſſeuerabant. Sed quid obſecro aiebant ſuaues iſti diſcipuli? *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: non enim reſpicis perſonã hominũ, & non eſt tibi cura de aliquo.* O nullis tutum credere blanditijs.Hęc eſt hypocritarum prima potentia, laudant, & extollunt, quos perdere volunt, vt per laudis voluptatem corda hominum ad apertæ confeſsionis ſimplicitatem ducant,& ita euertant. Veluti ſi quis taurum robuſtum, quem viribus ſubiugare non poteſt, mollibus palmis nodoſam eius fricet ceruicem, & ita ſuperet, vt quem viribus non potuit, obſequio, & blandimentis ſubiuget.Sic iſti altera manu panem, altera lapidem ferunt. Magiſtrum vocant, vt captus vocabuli illecebra, cordis ſui myſterium retegat. Tu quidem magiſter veritatis es, ab omni mendacio alienus, & deinde viam Dei, hoc eſt, Deo gratam in veritate doces ſine errore aliquo, aut fuco. Mahumeth docuit viam Diaboli, Philoſophi docuerunt viam naturę, Chriſtus autem viam Dei. *Non eſt tibi cura de aliquo.* Id eſt,nec ſpe,nec metu à veritatis ſemita ſeduci potes. Imo ſi rex Balach, vel *Nume.24.*

Herodes traderet tibi domũ ſuam plenam argento, nolis aliter loqui, quàm comperta, ac vera. Quòd ſi quis mortem minetur, propterea non deſines vera docere. Non es enim
Math. 11. arundo, quæ à vento modò huc, modò illuc impellitur. Talis erat Epiſcopus Antiochenſis Babylas, de quo Chryſoſtomus lib. contra Gentes, multa præclara ſcripto prodidit: qui aduerſus Numerianum Imperatorem pro veritatis patrocinio cum laude, conſtanter, ac intrepidè depugnauit. Extiterunt Chryſoſtomi ætate, eius compedes, Eccleſiarum præfectos omnes commonefacientes, vt vinciri, iugulari, denique quiduis pati oporteat potius, quàm etiam veritatis minimam partem prodere. Ne ſit igitur nobis in docendo cura de aliquo, ſed apertè & exerta voce veritatis patrocinium, encomiumque celebremus. Memorabile eſt exemplum Azariæ ſacerdotis, qui cùm veritatem ſibi etiam coram regibus propugnandam, tutandamque ſuſcepiſſet, non
2. Par. 26. habuit curam de aliquo, ne regis quidem Oſię metu aut minis perterrefactus. Cùm enim ille templum ingreſſus, more ſacerdotali incenſum adolere conatus eſſet, valde ei reſtitit Azarias, & cum eo octoginta ſacerdotes alij viri fortiſsimi, & (quod eorum munus erat) viam Dei in veritate docuerunt. Dicebát enim, Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſacerdotum hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium. Ita pro veritate concionatores omnes, ac ſacerdotes decertare decet, ſecuri an grauatim,

nec

nec ne, laturi ſint aduerſarij. Veritas enim cùm vnica ſit animorum ſaluberrimaque alimonia, etiam nolentibus, & faſtidientibus vltro ingerenda eſt. Veritas ouium Chriſti pabulum eſt, omnibus proculdubio gratiſsima, quibus impietas non obſtupefecit dentes. Hanc ſeu lilium, ſeu roſam odoratiſsimam non ſolùm carpere, & amplecti, ſed & naribus auditorum noſtrorum admouere debemus, & nobiſmet vtiles, & alijs commodi. Sed reclamant (inquies) complures, ac ſermones noſtros reprehendere, atque inde calumniam nobis texere moliuntur. Reclament illi, & oblaterent, tanquam canes impudentiſsimi, quid refert, modò noſtro probè fungamur offitio? Si roſam, aut margaritam oblatam, vt porci, & canes ſunt, auerſantur, non deerunt, qui venerabundi recipient. Nec ſuffecit blandis, & vafris iſtis plurimum laudis Chriſto tribuiſſe, niſi & hoc addant: *Non enim reſpicis perſonam hominum*. Ingens ſanè laus, ac longè veriſſima, ſed quæ nihil illis encomiaſtis fructus attulit, propterea quòd nequaquam ex candido animo proficiſcebatur. Argumentum id diuinitatis maximum eſt, quoniam apud Deum non eſt acceptio perſonarum (vt ingenuè & apertè B. Petrus profitetur) Sic Elyzeus nihil veretur regis Ioram perſonam. Cur ita quæſo? quia (vt ipſe dicit) in conſpectu Dei ſtabat. Sic Nathan propheta apertè, ſub parabolæ tamen inuolucro, Dauidem regem ouem proximi ſui ſurripuiſſe, magna cum libertate prædicat. Ad eum modum & D. Petrus Phariſæis

Math. 7.

Act. 10.

4. Reg. 3.

2. Reg. 12.

Act. 5. riſæis ait: Obedire magis oportet Deo, quàm hominibus. *Non reſpicis perſonam hominum.* Plurimi ſanè cenſuram tuam facimus, ac incorrupti iudicij calculum adoramus, neque illorſum metus, neque iſtorſum humanus fauor à recti tramite auertere, ac deflectere poteſt: aduerſis non frangeris, proſperis non efferris. Imò neque Tyberius cæſar, neque rex Herodes animi tui inuictum robur, atque conſtantiam à veritate dimouere poſſent. Quapropter cùm huc venerimus, vt te huic nodo ſoluendo vindicem deligeremus, expedi clarè, & dilucidè, an nobis genuino Abrahæ ſemini fas ſit, prophanis principibus, atque adeo Cęſari Romano cenſum dare. *Si licet cenſum dare Cæſari, an non?*

Quæſtio hęc etiamnum hac tempeſtate apud plæroſque agitatur: an ſcilicet ex conſcientiæ vi obſtringamur regibus tributa pendere. Sed ea de re paulò inferius. Porro in orbe rerum potiebatur Tyberius, cuius ſanè mite ſatis, & populare fuit imperium. Nam & eius laudatiſſima vox fuit: boni paſtoris eſt, non deglubere pecus, ſed tondere. Referebat hac in re Alexandri Macedonum regis indolem, qui dum amicorum quidam dicerent, ciuitates ſubiectas maiora poſſe tributa pendere, reſpondit: Olitorem odi, qui radicitus euellit herbas, atque olera. *Cognita ergo Ieſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?* Quid toxicum veſtrum melle tegitis? Noui, perſpicioque animorum veſtrorum penetralia, aliud ore, aliud pectore clauditis. Sed bene habet, agite, exhibete huc numiſma cenſus. *At illi obtulerunt ei dena-*

Suetonius Tranq. in vita Tyb.

ei denarium, & ait eis Ieſus: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Volebat ſibi oſtendi nummi ſpeciem. Vel, vt alij melius, genus aliquod nummi. Obtulerunt verò denarium, vt cùm ille in genere nummum deſideraret, etiam ſpeciem exhibebant. Oblato igitur nummo rurſus ſciſcitatur, cuius imaginem nummus hic præferat, & quis inſcripſerit, tanquam terrena non eſſent illi curæ: hæc quippe, ei qui cœleſtia ſolùm tractaret, veluti ignorata erant. Quo facto erudire nos voluit, eos qui ſe vicarios Chriſti profitentur, non oportere principum negotia vel exactè callere, vel curioſè ſcrutari, atque excutere. Sed vereor ne hac tempeſtate Chriſti plerique ſucceſſores, Apoſtolorũq; diſcipuli pluſſatis numiſmata omnia agnoſcãt. Nõrũt quid valeat nummus, quem præbeat vſum. Quin & pondus, & materiem exactè callent, adeoque ſunt Argi, vt ne Mercurius quidem eis verba dare poſſet. Sed quid obfuerit noſſe, modò non ament? Neque enim decet eos eſſe philargyros. In ſacro quid facit aurum? *Reddite ergo quæ ſunt cæſaris, cæſari:* Denarius veſter, vt dicitis, Cæſaris & nomen, & imaginem præfert. Reddite igitur Cæſari, quod ſuum eſt. Animus verò veſter Dei imaginem præfert: illum igitur Deo debetis, nec alijs ita ſeruire debet, vt ei, qui condidit & corpus, & animam. Princeps pacis Chriſtus eſt, eius igitur munus fuit, omnia ita in ſumma pace continere, vt Cæſari à populo ſuum daretur, & Deo ſuum tranſſcriberetur. Si quando Rex pecunia (quæ a Pindaro belli neruus appellatur) *Pindari dictum*

appellatur) ad propulſandam hoſtis imminentis iniuriam, egeat, liberaliter, quantum res poſtulat, numerandum eſt, præſertim ſi ærarium regis non ſufficiat arcendo bello. Credam verò Iudæos non renuiſſe tributa reddere, quæ Cæſari pro defenſione, ac gubernatione Reipublicæ debebantur, ſed illud quod iugum ſeruitutis deſignabat, à qua ipſi ſe liberos, tanquam filij Abrahæ, arbitrabantur. Nam numiſma cenſus viritim tribuebatur. Nos appellamus een hooftpenninck. Cenſus verò non à maribus ſolùm, ſed à fœminis etiam pendebatur, vt inde ſatis videtur, quòd & Maria ſub tempus natiuitatis Chriſti, Bethlehem properabat, vt cum Ioſepho marito profiteretur, nomẽque daret in ſignum obedientiæ, & ſubiectionis. Huiuſmodi autem cenſus inter Chriſtianos principes vix in vſu eſt, eò quòd ad ſuperbiæ tumorem potius, & ad auaritiæ ſitim pertineat, quàm ad publicorum ſumptuum neceſsitatem. Inde tam acerbas numerati populi pœnas Dauid rex olim dediſſe legitur. Et quoniam cẽſus numiſma Cæſaris habebat effigiem, ſub illius nummi imagine Cæſarem venerari videbantur. Reddite omnibus debitum, ait Paulus, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Et quòd conſcientia nos obliget, habet Paulus ibidem: Neceſsitati (inquit) ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed & propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt. Eſt extrauagans de cenſibus. c. omnis. Adiecit Paulus Dei miniſtros eſſe, vt intelligamus ab eius numine deriuari legem

Domini. à ſoto l.3. de iure & iuſtitia. q.6. ar. 7.

Lucæ. 2.

2. Reg. 6.

Rom. 13.

Hoc extrauagans nititur verbis D. Auguſtini.

legem ſoluendi tributa ad alendos principes. Non debet tamen populus immodicè grauari, ne ſub onere vitam fundat, vel irritatior in regem, meditetur anarchiam, quod quàm malè ceſſerit recens inaugurato regi Roboam, nôrunt, qui Biblia nôrunt. Populus enim nil eſt aliud, quàm puteus quidam profundus: Hic aliquoties exhauriri poteſt, venas autem eius præſcindere, ius naturæ non ſinit. Hauriat igitur princeps, quantum ſat eſt, ſed arcanæ illæ, quæ ſufficiunt aquam, venæ, nequaquam obturandæ ſunt. Videant autem quęſtores publici, ſiue ciuitatum, ſiue regni, ne ſub nomine regiæ neceſsitatis rem ſuam agant. Abſtineant, inquam, à vi, ac dolo malo, neque viduas, pupillosque, vt ſuis ſacculis conſulant, excorient, exenterentque. Præſtitiſſet iſtos Philargyros, cùm nihil præter pecuniam quærant, nihil ſomnient quàm nummos, à Reipub. muneribus remotos fuiſſe. Quod ſi fieret, neque plebs degluberetur, neque ipſi ſeſe ęternis ſupplicijs obnoxios redderent. Quid ſi iſti quæſtores, quibus nihil ſuaue eſt, niſi quod (vt terſum æs) ſplendet, & ſonat, functione ſua exauctorati, argentariæ, vel mercaturæ cùm naturæ genio ad nummos tangendos, & condendos propenſiſsimi ſint, admouerentur, iucundius (credo) viuerent. Non decet profecto, non decet Chriſtianos in gerunda Republica priuatis inſeruire commodis. Pulchrè & eleganter ſcribit P. Coſtalius: Sacras (inquit) illationes fœnerantur, pupillorum opes ad domeſticam rationem, & vſuram conferunt, de-

3. Reg. 12.

Petrus Coſtal.

530

nique ita viuunt, vt nullam vitam ſine lucro eſſe exiſtiment. Quibus muſa Dorica probatur ſolùm, ad cæterorum aut modorum concentum aures omnino illis obſurduerunt: imo ita ardent rei numerariæ cupiditate, vt cum Veſpaſiano Imperatore etiam ex lotio vectigal non recuſent. Clamant perpetuo: *Date quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Sed non tam Cæſari iſti, quàm ſibi canunt, dum nihil æquè ſtudent, atque diteſcere. Quod Cæſar præcipit (ait Auguſtinus) ferendum eſt: quod Imperator indicit, tolerandum eſt, ſed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat. Hoc autem quale eſt, quod ijdem ipſi, qui huiuſmodi neceſsitates procurant, peccatis ſuis peccata cogeminant, hoc eſt, quod fraudes ſuas, ac rapinas commodum vocant, cùm ipſa pręda feratur in commodum. Illud autem addunt ſceleribus ſuis, vt quos indefenſos viderint, ipſos potius perſequantur, & putant ſe neceſsitates decepiſſe publicas, niſi domos deceperint orphanorum: ita quorum pater ante biduum forſitan fuerit amicus, collega, vel frater, interueniente morte, eiuſdem liberi habeantur tanquam ignoti, viles, & miſeri. Vidua autem ſi qua fuerit, aut ſic iniurijs agitatur, vt nubat: aut ſi voluerit in caſtitate permanere, dando munera in facultate vix permanet. Hoccine eſt Cæſari dare, quod Cæſaris eſt? imò id potius tibi eſt dare, quod tuum non eſt. Quanto potius auſcultandum eſſet verbis & doctrinæ Ioannis baptiſtæ, qui cùm conſuleretur ab huiuſmodi publicanis, reſpondit: Nihil amplius exigatis, quàm quod

Aug. ſer. 19. de verbis Domini ſecundū Matthæum putatur eſſe ſermo Maximi.

Luca. 3.

quod conſtitutum eſt vobis. Honeſta planè publicanorum interrogatio, & ſancti prophetæ iuſta reſponſio. Illi enim ſollicitè interrogant, ne aut ignorantes plus exigendo peccatum incidant, aut ceſſantes publicam decipiant functionem. Hic autem moderatè pręcepit, vt & iniquitas locum non habeat, & conſtitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit: Nihil exigatis, ſed nihil amplius exigatis. Vnde intelligimus, quod apud Deum non tā exactio, quā exactio iniqua damnetur. *Date igitur quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Nolite Cæſari iniuriā facere, nolite ei ſua auferre: ne ſi ei ſua auferre velitis, ipſe, qui vobis potentior eſt, auferat vobis & ſua, & veſtra. Quàm bene Lucanus. Arma tenenti omnia dat qui iuſta negat. Sua imago reddatur Cęſari, & ſua imago reddatur Deo. Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Sunt autem Dei ea quæ Deus ab hominibus requirit, Deoque ſunt debita primitiæ ſcilicet, decimæ, honorque ipſius, Reuerentia, & dilectio eius ſuper omnia. Dicitur enim: Et nunc domus Iſraël, quid Deus Iſrael petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuū, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ſeruiaſque ei in toto corde tuo? &c. Cùm autem quicquid vel in animà, vel in corpore, vel in fortunis noſtris habemus, à Deo recepe-rimus, illud omne, tanquam æs alienum, illi vltro, vbi repetierit, reddendum eſt, idque fieri oportet & alacriter, & prōptè. Omnia eius dona illi accepta feramus, eiſque vtamur, dum hic viuitur, ad illius voluntatem, & gloriam.

Euſebius Emiſen.

Geneſ. 2.

Deut. 10.

Moyſen

Moyſen in Deuteronomio audiuimus, nunc
Mich. 6. prophetam Micheam audiamus. Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Deus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitè ambulare cum Deo tuo. *Et audientes, mirati ſunt, & relicto eo, abierunt.* Admirati ſunt ſupra modum, prius quòd eorum deprehendiſſet hypocriſim, & doloſum conatum: Deinde quòd tam prudenter reſpondiſſet, vt vtramque calumniæ partem, in quarum ſaltem alteram neceſſariò eum lapſurum ſperabant, tanta dexteritate euitaſſet, proprijs eos conuincens verbis. Itaque hanc tegnam in ſuum caput ſtruxerant. *Relicto eo abierunt.* Siquidem diuerſi mores vnionem non habent.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. *Ex hac Chriſti reſponſione facilè, & procliuè eſt cuique diſcere, Chriſtianos etiam Ethnicis principibus, præſertim dum eis ſubditi ſunt, nihilque petant, quod ſit contra diuinum honorem, ſubditos eſſe debere. Nam ſi petant Diuinos honores ſibi exhiberi, tum non quod ſuum eſt petunt, ſed quod Dei potius. Peſſimus Imperator erat Iulianus, ſed qui optimos habebat milites. Vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum, qui in cœlo erat. Volebat vt idola colerant, neglecto illo præpoſuerunt Deum, quando ait: producite aciem contra illam gentem, alacres ruebant in prælium. Diſtinguebant Deum æternum à Domino temporali.* Pro *Iuliano pugnabant, pro Deo Iuliani perfidiam execrebantur.*

SECVN-

Reddite quę ſunt Cęſaris Cęſari. *Niſi penitius quis inſpiciat hanc Domini ſentētiam, Videbuntur prima fronte, & veteris & noui teſtamenti ſacerdotes, atque adeo religioſi omnes à vectigalibus non eſſe liberi. Sed diuerſum plane ex S. literis, & canonibus ſtatuendum eſt. Quin & Bonifacius octauus in cap. de Cenſibus lib. 6. Eccleſiaſticos liberos eſſe cenſet à vectigalibus, non humano ſolùm, ſed & iure Diuino. Sacerdotes Ægyptij à vectigalibus liberi fuerunt, vt apertè legis Gen. 47. Deinde & Artaxerxes rex Iudaicos ſacerdotes à vectigalibus liberos eſſe voluit. Vide primum librum Eſdræ cap. 7. Sed verba audiamus: Vobis notum facimus (queſtoribus, & arcæ publicæ cuſtodibus ſcribit) de vniuerſis ſacerdotibus, & Leuitis, cantoribus, ianitoribus, Natinæis, & miniſtris domus Dei, vt vectigal, & tributum, & annonas nō habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. Ex his duobus locis facile argumētū duxero, & Chriſtianum ſacerdotium ab huiuſmodi oneribus publicis exemptum eſſe debere, niſi fortè quiſpiam noſtrum Iudaico, aut gentili ſacerdotio eſſe, vel obſcurius, vel indignius dicat: aut reges Chriſtianos, Ægyptiorum,* Perſarumuè *regibus eſſe irreligioſiores, minuſque pietatis obſeruantes. Notus eſt ille.* PP. *Alexandri canon, quo vetat conſulibus, ciuitatumque rectoribus, onera Eccleſijs imponere. Neque ignoramus, quid de monachis Iuliano ſcripſerit Nazianzenus: Monachi (inquit) ſola corpora, ac ne ea quidem tota poſsident, qui Cæſari nihil, Deo omnia habent. &c. A te (inquit) Iuliane precibus peto, vt ne quid ab ijs, qui in cleri ordinem cooptati ſunt, exigas,*

Geneſ. 47.

1. Eſdræ. 7.

Alexan. 8.

Greg. Nazian. oratio. ad Iulianū tributorum exæquato rem.

gas, verùm tributorum immunitatem ipſis concedas; vt qui præter corpus nihil habent reliqui. Fiſcus principum non ſacerdotum damnis (ait Symmachus) ſed hoſtium ſpolijs augeatur.

Symmach. epiſtola ad Valentinianum & Theodoſ. Auguſtos.

TERTIA.

Nunquid Cæſar liber eſt, ſi ſubditi ſua ei reddunt? Certè oportet regem aliquid ſubditis reddere. Rex coronam habet, ſceptrum habet, gladium habet. Red*dat caput ſuum virtutum omnium corona cinctum, reddat ſe iuſtitiæ gladio omnibus terribilem, reddat ſe poſtremo perfecta pace gratioſum. Habeat rex coronam virtutis, ſceptrum iuſtitiæ, & gladium bellicæ fortitudinis.*

QVARTA.

Oſtendite mihi numiſma. At illi obtulerunt denarium. *Denarius idem eſt nummus, qui Græcis drachma, & Hebræis zuza appellatur, cuius valorem. Rab. Solomon aureum Colonienſem eſſe putat. Sed probabilius eſt, non pluris valuiſſe quàm. ij. ſolidos cum ſemiſſe, quanti à Budæo æſtimatur. Ianſenius putat denarium Romanum valuiſſe iiij. noſtros ſtuferos, dragmam, ij. & ſemiſſem.*

QVINTA.

Date quę ſunt Dei, Deo. *Aug. tract. 40. in Ioannem ait, quod moneta Dei ſumus. Quærit & ipſe nummum ſuum, ſicut Cæſar ſuum. Ideo ait: reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & quæ ſunt Dei, Deo. Cæſari nummos, Deo vos ipſos. Id ſerio monet S. Paulus: Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei*

Rom. 12.

vt ex-

vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Cognoſcere autem operæpretium eſt ex lib. de 10. chordis, hominem non eſſe imaginem Dei, vt Filius eſt. Filius hominis imaginem habet patris ſui, & hoc eſt, quod pater eius, qua homo eſt ſicut pater eius. In ſpeculo autem imago tua non eſt quod tu. Aliter enim eſt imago tua in filio, aliter in ſpeculo. Sed in creatura non hoc eſt imago Dei, quod eſt in filio, qui homini eſt quod pater, id eſt Deus, verbum Dei, per quod facta ſunt omnia. Sicut enim in nummo imago Imperatores aliter eſt, & aliter in filio: nam imago & imago eſt, ſed aliter impreſſa eſt nummo, aliter habetur in filio. Neque hoc prætereundum cenſeo, animam in ſui creatione (ait Vincentius Valent.) recipere Dei imaginem, ſicut nummus, quando cuditur, recipit imaginem Cæſaris. Pater imprimit memoriam præteritorum, Filius intellectum præſentium, S. Spiritus voluntatem infigit futurorum. Et ſicut non eſt niſi vnus Deus, ſic non eſt niſi vna anima, cum illis tribus potentijs. Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. Inſcriptio nummi eſt nomen IESV, habentes nomen Ieſu ſcriptum in frontibus ſuis.

Aug. lib. de 10. chord.

Gen. 9.

Apocal. 14.

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA-QVARTA A TRINIT. EVANG.

Mathæi cap. 9.

L*Oquente Ieſu ad turbas, ecce Princeps vnus acceſſit, & adorauit eum, dicens: Domine, Filia mea modò defuncta eſt.*

Beatus Mathæus breuitatis amantior, breuiter hiſtoriam Iairi, filiæque conditiones nobis enarrat. At Lucas multò ſcribit fuſius, triaque recenſet, quæ patris animum ob filiæ fatum non mediocriter exulcerabant, lancinabantque. Indicat enim vnicam fuiſſe, deinde importuna pręmaturaque mortis violentia periclitari, & tertio in ipſo ætatis tenerę flore parenti importunè præripi. Viridis enim illa, ac paulatim adoleſcens virginis ætas morte impetita & luctuoſior parentibus eſſe ſolet, & propinquos magis torquere, qui veluti in ſemente ſpes omnes, nepotumque deſiderium ſibi extingui grauiter ferunt. Notat id Iuuenalis, licet prophanus vates, ſatyra 15. *Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ virginis occurrit.* Habes autem (vt hoc obiter in huius notem archiſynagogi ſupplicatione) tres cōditiones, peccatoribus omnibus perquàm neceſſarias. Prima erat mentis modeſtia, ſeu humilitas. Adorabat enim, qua re quid aliud ſignificabat, quàm ſe nequaquam poſſe duodenni filiæ ſuccurrere, nihil opis adferre ad incolumitatem, ſed hanc à Chriſto peti, expectarique debere, qui vnus incommodis omnibus mederi

mederi poteſt. Hæc modeſtia ita exornat precantis animum, vt ſine ea preces noſtrę quamlibet prolixæ, nihil conſequantur. Cum phariſęo enim ſua benefacta cōnumerare, ac grandi ſupercilio ſuas plumas extollere, nihil eſt aliud, quàm oleum & operam perdere. At cōtrà, oratio ſeſe humiliantis penetrat cœlos. Cui ſententię conſentanea quoq; Iudithæ illius laudatiſsimæ viduæ: Humilium, & manſuetorum ſemper tibi Domine, placuit deprecatio. Hinc nō ineptè, ſed potius valde cordatè tres pueri in fornacē coniecti clamabant: In animo Domine, contrito, & in ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur. Sic & ipſe Daniel: Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces, ſed in miſerationibus tuis. Secundo in noſtris precibus ardentem oportet eſſe affectum. Quid enim frigida precatio, quamlibet prolixa aliud eſt, quàm vaniloquium, & inutilis verborum confuſanea congeries? Et haud ſcio an oratio dici, aut cenſeri debeat, quæ ſine affectu funditur, & labia ſolùm linguæque plectrum ſoluit, non autem intus cor attingit. Quomodo enim ibi eſt aſſcenſus mentis in Deum? Surgit verò nobis affectus, ſi non oſcitanter expendamus, & periculi (præſertim dum præuaricamur) magnitudinem, & diuinæ bonitatis obuiam promptitudinem, quę nonnunquam etiam tacentibus præſto eſſe ſolet. Hunc affectum S. literę ferè clamorem appellare conſueuerunt. Clamare enim dicitur, qui ardenter quippiam cupit. Inde eſt quòd non ſemel legimus in Dauide: Clamaui in toto corde. Tertium orationis ornamentum eſt

Lucæ. 18. *Eccle. 35.* *Iudith. 9.* *Daniel. 3. & cap. 9.* *Vehemens affectus Moyſis vocatur clamor* *Exodi. 14.*

 fides,

fides, eaque conſtans, ac quàm minimè vacil-
Marci. 11. lans. Vndè Marci. cap. 11. Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis. Qui enim hæſitat, procellæ marinæ ſimilis, non
Iacobi. 1. exiſtimet, quòd aliquid accipiat à Deo. Itaque arbitror & principem hunc egregiam habuiſſe fidem, dum filiam ſolo Ieſu contactu valetudini priori reſtituendam credit. Quæ fides & ſi nequaquam plena ſit, pro tempore tamen illo ſatis magna fuit: quapropter illam non reiecit dominus, ſed arundinem calamumque
Eſaiæ. 24. quaſſatum aſtrinxit potius quàm contriuit, qui imperfectiones noſtras benignè tolerat, donec in eo grandeſcamus, atque ex pueris euadamus in viros perfectos. Quòd autem fides non fuerit in Iairo prorſus perfecta, oratio eius indicat. *Veni (inquit) impone manum ſuper eam, & viuet.* Ecce putat manuum impoſitionem neceſſariam eſſe, vt ſanitas reſtituatur.

Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Marcus ait, quòd tanta turba Dominum
Marc. 5. ſequebatur, vt minimum abfuerit, quin eum homines comprimerent. Neque iſtud mirum eſt, properabant enim, quòd verba eius audierant, etiam miracula coram contueri, eo ſcilicet conſilio, vt in eius doctrina confirmarentur. Hic diſces, quàm benignus, & expoſitus fuerit Dominus his, qui eius opem implorabant. Ecce creator ſequitur creaturam, Deus hominem, paſtor ouiculã perditam. Quapropter lubenter rogauerim Eccleſiæ præfectos, atq; adeo paſtores animarũ, vt ſeſe prębeãt miſeris comes, & affabiles; neq; dicant, ſi quãdo pauper accedit: Quid

mihi

mihi cum illo rei eſt? Pauper eſt, mendicus eſt, infirmus eſt. Fateor. Sed qualis qualis eſt, frater eſt, ſigmentum ſupremi opificis eſt, ex eodem tecum luto in vitæ huius auras productus, conſors naturæ, & ſocius regni cœlorum. Vtinam prælati omnes, quorum intereſt Chriſti gregem verbo, & exemplo paſcere, aliquando ſerio expergiſcantur, & familiam ſuam penè mortuam, atque ob valetudinem aduerſam iam ferè ſupremum ducentem halitum, animarum medico commendarent. Vtinam Iairi eſſent, gemituſque & clamores effunderent, vt Ieſus curare dignetur eccleſiam ſibi commiſſam. Imò procidant, ſeque deijciant totos Iairi iſti ad dominicos pedes, atque inde ſalutem gregis (ſi queant) impetrent. Sic Paulo ſeria incumbebat cura omniũ Eccleſiarum, & D. Polycarpus Ioãnis alumnus Smyrnę olim epiſcopus, quotidie pro eccleſia preces profudit. Sic Iacob noctes ducit inſomnes, ne grex Laban auunculi aliquid capiat detrimenti. Sic Paulus ait, ſe ſapientibus & inſipientibus eſſe debitorem. Monet Paulus, vt infirmum in fide aſſumamus, & veluti enutriamus, donec maiores fecerit progreſſus. Nunc audire operę pretium eſt, quid interea, dũ Ieſus ad domum Iairi concedit, in itinere euenerit. *2. Cori. 11.* *Euſebius in hiſtor. Eccleſi.* *Rom. 1.* *Rom. 14.*

Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſsit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.

Mulieris huius nomẽ, genus, & patria tacetur, latentque hęc in obſcuro, ſed miraculi ſplendor radios ſuos per orbem vniuerſum exporrigit.

540 Porro nequaquam illis aſſentior, qui Martham Lazari Mariæq; ſororem hanc fuiſſe autumant. Sed benigno Dei fit conſilio, quòd in propatulo, atque ſub dio curatur, quo fides Iairi cum primis, atque adeo aliorum corroboraretur, ac ſingulare caperet augmentum. Mirificè verò ad miraculi commendationem facit, quòd Marcus, & Lucas tum morbi magnitudinem, tum incredibilem miſeræ calamitatem nobis depingunt. Primo commonſtrant ægritudinem fuiſſe diuturnam, deinde verò ita contumacem, vt medicorum ars omnis, & diligentia fatigaretur, quanquàm complures adhibiti,& conſulti fuiſſent. Tertiò narrant plurima perpeſſam mulierem, idq́ue facultatum omnium diſpendio. Nihil igitur à medicis adiuta eſt,ſed triplici potius malo feriebatur, nempe morbi moleſtia,paupertate,& morbi ipſius incremento. Quæ omnia clariorem reddunt Chriſti potentiam, & benignitatem, oſtendunt enim ipſum ſolum eſſe, qui curare poſsit, & velit. Meminit huius mulieris Optatus Mileuitanus, lib. 5. Mulier (inquit) illa cùm per annos duodecim laboraret,& omnem ſubſtantiam in medicos erogaſſet, cùm videret à filio Dei tantas celebrari virtutes, proceſsit in turbam, videt medicum, videt & populum, cogebat illam dolor,vt medicinam peteret, pudor impediebat, ne cauſam ſuam coram maſculis indicaret. Inuenit conſilium tacita fides. Manum miſit,& fimbriam tetigit, & ſanitatem adepta eſt. Nemine vidente inter turbas manum miſit, tetigit, ſanata eſt. Tacet tamen, nec eſt

Optatus contra Parmenianum. Lib. 5.

auſa

auſa indicare, quod auſa non fuit petere. Hactenus Optatus. Mirum autem eſt etiam hac noſtra ętate, mortales ferè omnes tantum medicis (neglecto Chriſto) fidere: qui ſi ad Chriſtum potius reſpicerent, illique crebris eleemoſynis gratificarentur, aut rarius in morbos inciderent, aut citius curarentur. Cùm mulier quædam cæca oblata eſſet à fratribus B. Hylarioni, quæ in medicos omnes facultates ſuas ſe profudiſſe fateretur, modeſtè ab eo reprehenſa eſt. Si, inquit, quę in medicis perdidiſti, dediſſes pauperibus, curaſſet te verus medicus Ieſus. Inſigne ſanè, & locupletum mentibus committendũ verbum. Videas enim pleroſque ita pendere à medicis totos, vt Deum neglexiſſe videantur. Quapropter cùm morbo aliquo (vt ipſi putant) periculoſo attentantur, tot ferè adſciſcunt medicos, quot hebdomas habet dies. Ibi hauriuntur thezauri, profunduntur opes, & pro depellendo animæ languore, vix teruncĩũ, vix obulum expendere velis. Ægrum eſt corpuſculum, malè concoquit ſtomachus cibum, circumagitur vertigine caput, nullis parcitur ſumptibus, nulli non adſciſcuntur medici: & de animi incolumitate vix vlla eſt cura. Lutea maſſa mox naturæ lege diſſoluenda curatur, animus immortalis negligitur. Porro quid tot vultures ad vnum cadauer? Imperatorum multitudo perdidit Cariam, & medicorũ multitudo ægrum. Notus eſt ille in medicos, medici cuiuſdam (mea ſententia) præſtantiſsimi verſus. Militibus, medicis, tortori occidere fas eſt. Intel-

Hieron. in vita Hylarionis tom. 1.

lige verſiculum de imperitis, & vulgaribus medicis, chirurgiſque circumforaneis, qui ſimplici popello, aqualiculi, lucellique vilis gratia imponere ſolent. Intereſt magiſtratus diligenter diſpicere, quos medicos vel admittat, vel ciuitate donet, ne vita ſubiectorum ducatur in diſcrimen. Nihil hîc in medicos probos ſcriptum, dictùmue velim, quibus perlubenter, ſi corpuſculum ægreſcat, me committam, ac credam. Scio, ſcio candidiſsime Lector, quot illiberales mulierculæ, dum liberalem hanc artem profitentur, dumque medicinæ ſcientiam impudenter ſibi arrogant, ſcio quot conſecrauerint Orco. Concludunt quidam ex anabaptiſtarum fece, ſed perquàm ineptè, ex hoc loco medicinæ vſum eſſe damnandum, ſibique ſuffragari textum. 2. Paralipom. 16. de rege Aſa, quem idcirco, quòd medicina (vt ſumniant ipſi) fuerit vſus, ſcriptura reprehendit. Verùm toto errant cœlo. Sed ſcripturæ ipſiſsima verba lucifugis iſtis admoueamus, vt veluti adhibita lucerna, à cæcitate reſipiſcant. Ægrotauit Aſa anno triceſimo regni ſui, dolore pedum vehementiſsimo, & nec in infirmitate ſua quęſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt. Vides prudentiſsime Lector, non id vitio verti regi, quòd medicos peritos conſuluerit, ſed quòd Deo poſthabito, magis quàm æquum erat illis hęſerit, ac veluti ſpem omnem, ſalutiſque ſuę veluti proram, & puppim apud illos collocauerit. Vir pius morbo correptus, ſicut agnoſcere ſe à Deo corripi, ne cum hoc mundo damnetur, ita ad

2. Par. 16.

ita ad caſtigationem paternam prius reſpicere debet, ac ſupplici voce veniam precari: deinde verò herbis, ſuccisque, ex peritorum medicorum præcepto, innoxiè vtetur, præcipua tamen fiducia collocata in Deum, à quo, vt dicitur apud Sapientem, eſt omnis medela. Hunc ſanè ordinem docet Decretalis illa, Cùm infirmitas &c. de pœnitētia & remiſsione. Poſtremò non fuit hoc loco Euangeliſtis animus vel medicos, vel artem liberalem ſuggillare, ſed tantum indicare vim morbi. Quid enim? nonne omniū in ore verſatur illa Eccleſiaſt. ſententia: Honora medicum propter neceſsitatem, etenim illum creauit altiſsimus? Et poſtea: Altiſsimus creauitde terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Quid pluribus opus eſt? Profectò ſi nefas eſſet medicorum vti opera, atque ex illorum peritia ſanitatem quærere, non omnium planetarū, plantarum, herbarum, animaliumque cognitionem (quę artis medicæ primaria portio eſt) Solomoni contuliſſet Deus, tanquam inſigni dono illum ſibi deuincens. Iam verò hîc animaduertendum eſt, quòd mulier facultates ſuas omnes in medicos profuderit, nec tamen inde infirmitatis ſenſit mitigationē, ſed potius deterius habuit: nimirum vt ſignificetur, quòd licet omnia fœlicitatem appetant, & in ea conſequenda res ſuas conſumant, deterius tamen ſemper habent donec incidant in medicū verum, qui eſt Dominus Ieſus, qui eſt ad ſummum bonum vnica via, vnicus mediator. Imò nullus propheta, nullus Apoſtolus, nulla lex, nullus amicus,

Eccle. 38. *Eccle. 38.* *1.Timo. 2.*

nullus liber languorem tuum ſanabit, præter Dominum Ieſum. Alia omnia nihil ſunt aliud, quàm inanes creaturæ, Ieſus creator eſt, deſideria omnia & creaturarum omniũ ſinus implens. Sed reuertamur ad noſtram mulierculam.

Dicebat enim intra ſe: Si tetigero ſolùm fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero. Acſi dicat: Audiui Ieſum alios curare complures, ac vel manuum etiam contactu opem ferre, morboſque pellere: ſed ego indignior ſum, quàm ab eo contingar, ſatis, ſuperque mihi fuerit, ſi ipſa inter turbas fimbriam veſtimentorum eius tangam. Non ait mulier, ſi videro fimbriam, ſalua ero: ſed ſi tetigero. Neque enim ſatis eſt

Nota. vidiſſe euchariſtiam, aut diſputaſſe de illa, ſed in tactu vis eſt, & efficacia, ſi videlicet deuotè tangas, & reuerenter. Extrema autem neceſsitas facit ſacramenta etiam non attacta operari: ſi videlicet ex intimis animi venis, ac medullis deſiderentur. Si ex animo petis confiteri, & neceſsitas te excludit, confeſſus es: ſi baptizari, baptizatus es: ſi euchariſtiam ſumere, ſumpſiſti. Pro hac re conſule Concilium Carthaginenſe octauum. Hìc obiter quæſo Lector amice, mihi conſidera, quòd ſi tam ſalutaris fuit; & efficax fimbriæ contactus cum fide, & deuotione, quantum efficatiæ & virtutis nobis pariet Chriſtus, ſi corpus eius in euchariſtia piè tangamus? Sed videamus an de fimbria hac aliquid dicant prophetæ. Excuſsis omnibus ad Zachariam venio. Is ita ſcribit: In

Zach. 8. diebus (inquit) illis, ibunt decem homines de gentibus, & apprehendent fimbriam viri

Iudæi

Iudæi, dicentes: Ibimus vobiſcum,audiuimus enim quod Dominus Deus vobiſcum eſt. Hic per virum Iudæum Chriſtum intelligimus, vt quod ibi per fimbriam dicitur, hîc in nouo teſtamento oſtendatur impletum. Imò cùm plurimi accepiſſent Ieſum fimbria ſua curare, innumeros ægros ad eum afferebant, rogantes, vt ſi nihil aliud, ſaltem vel fimbriam contingere liceret. Quanquam verò de muliere hac ſplendidè prædicemus, nolumus tamen illis aſſentiri, qui eam aſſerunt tam fuiſſe rudem, & in religione cathecumenam, vt exiſtimauerit vim aliquam arcanã,& peculiarem Ieſu fimbriæ ad ſanandum inſediſſe, hoc enim falſiſsimum eſt:ſed Chriſtum tam ſanctum credidit & potentem, vt ſperaret ſe vel ab eo,vel à Deo per ipſum ſanitatem poſſe conſequi: quemadmodum & oſſa Elizei in ſeſe non habuerunt eam virtutem, vt ſolo contactu ſuſcitarent mortuum, ſed ad declarationem ſanctitatis prophetæ, Deus cadauer illud, quod prophetę oſſa tetigit, reſuſcitauit. Ceterùm periucundum eſt hîc conſiderare, qua animi modeſtia mulier hæc ſe ad pedes Ieſu, veluti adorabunda, demiſerit, non aliter ac ſi ſummum ſui coniungere cuperet infimo ſaluatoris. Forſitan oſculata eſt fimbriam, ac reuerenter primoribus digitis contigit. Sic mulier illa peccatrix caput ſuum, quod erat membrum corporis primarium & ſummum,ad extima & infima Ieſu membra,oculis,ore, atque capillis illi obſequium pręſtans declinauit. Quid de filio prodigo dicam? Nonne cùm hæres eſſet, ſe

Hierony. *Math. 14.* *4. Reg. 13.* *Luce. 7.* *Luce. 15.*

minimum

minimum in familia, nempe mercennarium famulum fieri expetijt? Delectatur mirificè hac animorum modeſtia, & demiſsione Deus. Lubenter hîc commonefecero peccatores omnes, vt cum hac muliere veniam poſtulaturi, ad benigni Ieſu benignos ſe pedes deijciant. Omnis anima ad ipſum (inquit Ambroſius) accedat. Nam Ieſus, ſi vulnus tuum curari deſideras, medicus eſt: ſi febribus æſtuas, fons eſt: Si grauaris iniquitate, ſaluator eſt: Si auxilio eges, virtus eſt: Si mortem horres, vita eſt: Si cælum optas, via eſt: Si tenebras fugis, lux eſt. Si cibum quæris, alimentũ eſt: Guſtate igitur, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus: Beatus vir qui ſperat in eo. Iam ſæcularium fluxus voluptatum, more torrentis exundans, verbi ſalutaris colore ſiccabitur, ſi cum fide accedas tamen, ſi pari deuotione diuini ſermonis extremam fimbriam comprehendas, ac tremens procidas ad Ieſu pedes. Sed quid hic medicus noſter, vbi mulieris ſenſit contactum?

Ambroſ. 3. lib. de virginibus.

Pſal. 33.

Quis me tetigit? Reſpondit Petrus: Domine, turbæ comprimunt te, & dicis, quis me tetigit. Dixit Ieſus: tetigit me aliquis, nam ſenſi ego virtutem de me exiſſe. Non localiter, aut corporaliter ab eo virtus exijt, quaſi illum reliquerit, ſed ratione effectus, videlicet, quia virtus ſanandi, quæ erat in illo, exeruit ſe, & extra operabatur in muliere. Erat enim corpus Chriſti veluti vaſculum ſanctiſsimum, à quo mira virtus, cùm ei eſſet collubitum, ad miſeros mortales defluebat: quemadmodum ab igne vehementi, calor prodire conſueuit. Vt verò

natura

natura vacuum non fert, ſic nec natura Chriſti. Bene autem virtus à me exijt, non à carne, aut ab humanitate, quia actiones non ſunt naturæ, ſed ſuppoſiti. Exclamat hîc Ambroſius, erumpitque in laudem Chriſti: O medicis omnibus (inquit) ſalutarior, ſimul vt acceſsit mulier, virtutem ſenſit, medicinam impetrauit: vt ſi oculum lumini admoueas, illuminatur, ante quàm ſentias, & operatio lucis præuenit apparatum. Paſsio inueterata, paſsio immedicabilis, quæ & artis omnem excogitationem, & pecuniarum ſubminiſtrationem exhauſerat, ſolo fimbriæ curatur attactu. Illius fœminæ tibi & in adeundo ſeruanda verecundia, & in fide imitanda deuotio eſt. Sic Ambroſius. Quando verò Dominus rogat: *Quis me tetigit?*
Non de vulgari contactu loquitur, de quo fortè Petrus, & alij intellexerunt, ſed de tactu fidei, quo mulier ſola, cùm vndique turbæ Ieſum comprimerent, Chriſtum contingebat. Fide tangitur Chriſtus, non corporum compreſsione. Cùm verò mulier videret ſe non poſſe latere, ſed vtiliter & piè ſaluatoris voce prodi, ſe mox in medium dedit, atque, vt Marcus ait *Timens ac tremens, procidit ad pedes IESV.*

Peccator primò in ſe tremat, deinde ad pedes IESV ſe deijciat. Quidni paueat mulier immundiſsima, coram mundiſsimis oculis conſiſtens? Vt verò nihil immundius ſanguine menſtruo, ſic nihil impurius eſt peccato. Libera me de ſanguinibus, ait propheta Dauid. *Pſal. 50*

Narrat

Narrat & Marcus, quòd mulier ad pedes ſe ſubmittens, dixerit medico ſuo omnem veritatem. *Et dixit ei omnem veritatem.* Non enim licet mentiri in iudicio. Neque ſatis eſt coram iudice medico, coram ſacerdote Chriſti vicario in genua ſe componere, ſed oportet ream conſcientiam cum veritate declarare. Dicit veritatem coram veritate, qui Chriſtus eſt: oportuit enim à veritate ſanatam veritatem profiteri. Narrauit (opinor) cur clanculum acceſſerit, deinde à tergo conſtiterit, denique non tacuit, quin confeſtim à contactu fimbriꝯ conualuerit: Fortè etiam ſignificauit, quantum in medicos nummorum profuderit, rem enim omnem aperuit. Quomodo enim coram veritate mentiri poſſet? Dominus verò Ieſus cùm vidiſſet mulieris modeſtiam, & rem omnem cum metu ordine pandentem, vt ex animo pœnitentem nonnihil recrearet, allocutus eſt miſeram: *Confide*, ait, *Filia, Fides tua te ſaluam fecit.* Confide, id eſt, bono ſis animo. Fides enim tua, impetrando ſcilicet, & promerendo, ſanitatis tibi cauſa eſt. Sic dicitur fides hominem ſaluum facere, non autem effectiuè. *Confide filia.* Noli poſthac metuere, iam contritione cordis, iam ſpe, & fide mihi es facta filia, ego quoque tibi viciſsim pater ero. Quid igitur metuas à patre? Noli trepidare, quòd impura, & immunda me contra legem tetigeris, non eſt tibi pudori futurum, quòd medicum ægra tetigeris, filia patrem, creatura opificem. O immenſam Domini miſericordiam, qui longa tabe ferè adeſam

ſam fœminam, filiæ dignatur vocabulo, quam ſuperciliosi phariſæi vix altero oculo aſpicere volebant. Illi vrgebant legem, quæ vetat huiuſmodi mulierum contactum, Chriſtus verò miſericordiam meditatur, & ab ægra ſe tangi patitur. Heu mihi, quàm multos vbique terrarum reperias, qui grandi ſupercilio quoſlibet deſpiciunt. Quid agitis infœlices, quid agitis? quos modò pro deſpicatis habetis, fratres veſtri ſunt, eodem luſtrati fonte, eiuſdem conſortes naturæ, eodem luto ficti, ad eandem cooptati hæreditatem. At ille, inquit, pauper, ego locuples: ille infirmus, ego vegeto, & robuſto corpore. At num propterea non eſt frater? Frater iſte tuus quotidiano ſudore, laboreque irrequieto, vili indutus tunica, exercetur modò, ſed à morte apud ſuperos immarceſsibilem tecum geſtabit coronam. Ama igitur illum vt fratrem, iuua vt fratrem, & ſi nulla iam capiti eius corona ſit, venerare vt regem. Eſther Aſſueri coniunx, vt Deo ſupplicaret, regalibus exuta ornamentis, poſitoque diademate, cilicio amicitur: at num ſtatim idcirco deſijt eſſe regina? Huiuſmodi benignitate Chriſtus allocutus eſt impuram mulierculam. *Eſther.14.*

Confide filia. Oportet igitur peccatores omnes Ieſum ſequi præeuntem, & fide, modeſtia, verecundia, pœnitentiaque illum tangere, imò & ſubmiſſè adorare, denique de vitæ noſtræ ſtatu omnem declarare veritatem. Quod ſi fecerimus, ille confeſtim, quæ eſt eius benignitas, ad nos conuerſus, dicet: *Confide fili, fides tua te ſaluum facit.* Porro in vberrimo

euangelij

Euangelij huius campo, & hoc mihi occurrit myſticè explicandum, quòd videlicet Chriſto abeunte, ad gentem Iudaicam ægritudine leuandam, quæ in Iairi familia figuratur, mulierculam in itinere illum piè remorari, quæ multo obnoxia ſanguinis profluuio, gentilem populum vario ſacrificiorum ſanguine, quibus mutis idolis operata eſt, ſignificare. Quo populo curato, tandem etiam & ad Iſraelem gratiæ ſuæ peculiaris beneficio, Chriſtus intrabit:

Ioan. 10. Vt fiat ſcilicet vnum ouile, & vnus paſtor. Sic nimirum, ſic Eſau foras à patre exeunte,

Geneſ. 27. & neſcio quas res agreſtes ſtudioſè venante, ingreſſus Iacob, benedictionem paternam præripuit. Sic filius ille prodigus, interea dum frater foris in agro terram vertit, & inuertit, domi ſtola, annulo, atque adipato, ſaginatoque vitulo donatur. Luce. 15. Sic dum Iudæi ſeſe, in cruce ſuffixo ſaluatore, obdurant, gentilis Centurio, quaſi dicas à fimbria finientis vitæ curſum Ieſu, totus ſanatur. Quin & curato Centurione, Ioſeph & Nicodemus Iudaicam plebem Iudæi figurantes, ſero veniunt, & corpori ſaluatoris obſequium quoque ſuum exhibent. Nunc ad Iairi filiam vertamus ſermonem. *Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Multus in domo hac funeſta gemitus, multus clamor, multus vlulatus, ac lamenta. Solet enim vulgus hominum impotentius & acerbius ferre iuuenum funera, quàm ſenum, cùm ſit multo optabilius

Cupit mori ſub iunipero Elias. 3. reg. 19.

tum

tum emori, cùm dulciſsimum eſt viuere, priuſquam animus plurimis vitæ huius malis eſt contaminatus. Non enim refert quandiu vixeris, ſed quàm piè & bene. Pulchrè Sapiens. Viuens inter peccatores, tranſlatus eſt. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam eius. Pulchrè etiam Hieronymus: Humanæ vitæ breuitas damnatio delictorum eſt. Porro tibicines quos Dominus vult eiectos, erant, qui homines ad luctum excitare ſolebant, & magnò conducebantur, nam flebilibus modis lachrymas & gemitum familiæ, & hæredibus ciebant. Videntur autem Iudæi hunc lugendi modum hauſiſſe à gentibus, quæ ſolent eiulatu & vlulatu lugere, & crines vellere, ac pectora pulſare, vt docet Lucianus in dialogo de luctu. Chriſtianorum eſt, amicos & neceſſarios moderatè lugere. Naturæ vis, & charitatis affectus luctum exigunt, ſed mediocrem. Natura quidem hoc imperat, quia naturæ conſentaneum eſt, amicorum malis indolere: charitas verò, quia non poteſt non eſſe moleſtum illorum deſiderium, quos pietatis habuimus ſocios, & adiutores, quòſue Eccleſiæ Dei cognouimus eſſe vtiles. Sic Paulus ſcribit ad Philippenſes, confitens ſe dolorem ſuper dolorem habiturum fuiſſe, ſi fuiſſet mortuus Epaphroditus. Nam plurimum illum amabat, & Eccleſiæ neceſſarium agnouit. Sic Beatus Ambroſius flere conſueuit, vbi audiuit virum aliquem pium obijſſe.

Sapien. 4.

Phil. 2.

Et cùm

num puellæ, & ſurrexit puella, & exijt fama hæc in vniuerſam terram. Tenens manum puellæ, exclamauit (vt ait Lucas) ſicut cùm Lazarum ſuſcitauit, ſignificans ſe non præſentem vocare
Luc. 8. animam, ſed abſentem: itemque mortis potentiam omnium creaturarum viribus maiorem, ſed verbo & iuſſu ſuo inferiorem. Habet ſe prorſus eo modo quo nos ſolemus, dum quempiam excitare volumus, tum enim manum illius tenemus, & vt vehementi voce expergiſcatur, exclamamus. Equidem Dominus ad eum modum agit, vt oſtendat verum eſſe, quod ait: *Puella dormit*. Dormiebat enim eius potentiæ, ſed cæteris mortua erat. Marcus autem ipſa Domini verba recenſet: Talitâ cumi. Poſterior vox Hebraica eſt, Talita verò Chaldaica, aut Syriaca, & puellam ſignificat. Hinc & ex alijs locis colligitur, Dominum plebæis hominibus ferè locutum fuiſſe purè Hebraicè, ſed Syriacè, quæ lingua Iudæis vernacula fuit. Quòd vero quidam codices Tabitha legunt, vitium eſt. Appoſitè autem in hac hiſtoria Lucas addit, reuerſus eſt ſpiritus eius, ſignificans non aliam illi infuſam animam, ſed eandem illam: quæ corpus reliquerat, diuino iuſſu reuerſa eſt.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Filia mea modò defuncta eſt. *Marcus & Lucas ſcribunt, filiam in extremis fuiſſe, Mathæus verò etiam obijſſe. Verùm ſcrupulus hic facile tollitur, ſi dicamus adeo morti propinquam fuiſſe puellam, vt ageret animam, vt pater inter eundem exiſtimari poſſet,*

poſſet, eam iam extinctam, cùm domo diſcedens, vltimos trahentem ſpiritus reliquiſſe.

SECVNDA.

Si tetigero fimbriam. *Hoc exemplo planè retunditur Vigilantij hæreſis, quo ſi negare poſſet, quòd ad oſſa Elizæi contacta ſurrexerit mortuus, idcirco quòd veteris id teſtamenti ſit, qua fronte negauerit Euangeliſtas noui teſtamenti, qui conſtanter aſſeuerant, ad fimbriæ contactum inſtauratam mulieris ſanitatem? Deſinant igitur nobis de Sanctorum venerandis reliquijs bellum mouere temporis huius hæretici, cùm his ſcripturis ſatis ad ferendam illorum impreſſionem ſimus armati. Quid, quòd Diuus Lucas, & Diui Petri vmbram, & Pauli ſemicintia morbos pepuliſſe commemoret? Quin & beatus Augu. lib.22. de Ciuitate, varia ad martyrum memorias miracula edita nobis prodidit. Narrat Hector Boëtius, hiſtoriæ Scoticæ lib. ſexto, regem Hergiſtum ad Diui Andrææ Apoſtoli ex ciuitate Patris per Græcum monachum allatas reliquias humi procubuiſſe, ac auidè labijs impreſſis eas oſculatum fuiſſe. His addam, quòd Scoti pro victoria adipiſcenda, ſæpè D. Andrææ templum nudipedes acceſſerint olim, vt eius oſſa deoſcularentur. Memoriæ prodidit Procopius rhetor lib. 1. de ædificationibus Iuſtiniani, ægrotaſſe olim grauiter Iuſtinianum, rheuma enim genua prolapſum incredibili cruciatu virum torquebat. Conſulti medici, nihil opis afferebant: cùm verò malum artem omnem humanam ſuperaret, ad diuinum auxilium, tanquam ad ſupremam anchoram ſe vertit, adferri iuſsit è templo quodam Conſtantinopolytano reliquias quatuor martyrum, quas cùm genibus piè adiunxiſſet, confeſtim morbus euanuit. Huc facit, quod ſcribit D. Baſilius in pſal.*

4. Reg. 13.

Act. 5.

Act. 19.

Hector Boetius. lib. 6.

Proco. li. 1.

Baſil. in pſal. 115.

in pſal. 115. ſuper verſu illo, Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Pro legis Iudaicæ ritu, ait, ſi qui olim moriebantur, morticina eorum abominationi, ſi mors verò cuipiam pro Chriſti nomine intentetur, reliquiæ habentur precioſæ. Sacerdotibus & Nazaræis iubebatur, ne ſuper mortuo contaminarentur: nunc contrà martyrum corpora ſi quis tetigerit, ob gratiam inſidentem fit ſanctificationis particeps. Quid, quod Cyrillus Hieroſolimitanus ſcribat, Sanctorum corporibus mirabilem ineſſe virtutem? Meritò igitur Ioann. Damaſcenus membra Sanctorum ſalutares fontes appellauit, vnde plurima nobis bona promanant. Videat Lector Hieronymum, epiſtola ad Riparium. D. Thomam artic. vlt. in Additionibus, & eiuſdem cum. D. Thoma inſtituti, longo cõfirmatæ doctrinæ vſu eruditum patrẽ Ioannem Bunderium, apud Dominicanos Gandenſes Theologiæ prælectorem, in lib. quem Compendiũ appellauit, titulo. 24.

Cyril. catezeſi. 18.

Ioannes Bunderius

TERTIA.

Amb. li. de Solom. 5.

Ambroſius lib. de Solomone cap. 5. opinatur hanc mulierem fuiſſe Martham. Sed qualis fuerit, apertè oſtendit Euſeb. lib. 7. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 14. Docet ciuem fuiſſe ciuitatis Cæſareæ, vbi & domus eius tempore Euſebij adhuc oſtendebatur. Pro foribus autẽ domus eius baſis quædam loco æditiore collocata fuit, in qua mulieris ipſius, quaſi in genua procumbentis, palmaſq́ue ſuppliciter tendentis imago ære expreſſa videtur. Adſtat verò alia ſtatua habitu viri, ſtola comptè circumdati, & dextram mulieri porrigentis. Huius ad pedem ſtatuæ herba naſcitur, è baſi pullulans. Quæ cùm exorta fuerit vſque ad ſtolam illam æreæ virilis imaginis, ſeſe leuare ſolet. Cùm verò fimbriam tetigerit, virtutem inde veluti

exſugens

exſtigens, ad morbos omnes curandos efficax eſt. Quòd ſi decerpatur, priuſquàm fimbriam contigerit, nihil omnino virium habet. Hanc ſtatuam ad ſimilitudinem vultus Ieſu efformatam aiunt. Quæ tandem à Iuliano apoſtata, dum imperaret, ſublata eſt. Vt ſcribit Socrates hiſtoria Tripartita. lib. 6. cap. 41. Neque hoc illi ſatis ſceleris fuit, niſi ſuam ibi ſtatuam ſubſtituiſſet. Quæ violento igne cœlo cadente, circa pectus diuiſa fuit, & caput cum ceruice vna parte deiectum, atque in terra fixum: reliqua verò pars hactenus ſuperfuit, & fulminis indicium reſeruauit.

QVARTA.

Non eſt mortua Puella, ſed dormit. *Et quidem verè mortua erat, ſed ſibi non erat mortua, quòd mox erat veluti à ſomno ſuſcitanda. Frequenter autem in Scriptura mors appellatur ſomnus. Ad eum enim modum loquitur S. Scriptura, vt rem quæ hominibus maximè eſt horrori, efficiat minus formidabilem. Imo & apud ethnicos, ne ſupra modum territentur homines, mors etiam ſomnus dicitur. Sic enim quidam:*

Stulte quid eſt ſomnus, gelidę niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

DOMINICA VLTIMA POST TRINIT. EVANGELIVM.

Math. 24.

CVm videritis abominationem deſolationis (quæ dicta eſt à Daniele Propheta) ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat.

Pręter multa ſigna, quæ hoc capite Mathæus nobis proponit de inſtanti aduentu Ieſu, hanc quoque abominationem in medium adducit. Varia verò eſt hîc ſcriptorum, interpretumque
Ioã. Chryſ. huius loci interpretatio. Chryſoſtomus putat Flauij Veſpaſiani exercitum per hanc abomina-
Hierony. tionem ſignificari. Hieronymus arbitratur imaginem Cæſaris fuiſſe, quam Pilatus, grauatim iſtud ferentibus plæriſque (cùm eſſet reli-
Iren. li. 5. gionis à Iudæis diuerſæ) collocauit. Irenæus lib. 5. dicit Antichriſtum abominationem intelligi, quem dicit in templo Ieroſolymitano ſeſſurum, ſeque pro Chriſto adorandum propoſiturum. Reuera tamen locus hîc intelligitur de Ieroſolymorum excidio, quod per Titum & Veſpaſianum ciuitati clariſsimæ illatum fuit. Quod facillimè ex Lucæ Euangelio probauerò. Nam vbi Mathæus & Marcus habent vocabulum, *abominationem*, ibi Lucas: Vbi videris ab exercitu circumdari ciuitatem. Accedit huc Auguſtinus epiſtola 80. quæ eſt ad Eſichium, qui abominationem hanc ex Luca oſtendit eſſe exercitum Romanum. Videntur autem ſigna victricia, & vexilla Romanorum in templo fixa fuiſſe more militari. Cùm

enim

enim milites arcem aliquam aut oppidum expugnauerint, ſigna ſua, tanquam victoriæ argumenta, captæ munitioni affigunt. Capto igitur templo, potuit Titus ſtatuam Cæſaris, vel imaginem patris Veſpaſiani collocaſſe in loco ſancto, quæ ſanè monimenta Judæos vehementer irritârunt. Sed de ſignis iſtis victricibus aut ſtatuis in capto templo erectis, cùm nihil comperti habeamus, aut explorati, liberè diſcedimus, & prior de Imperatorum exercitu magis nobis arridet, tum propter textum Lucæ, tum etiam quòd opinio hęc non ſit veriſimilis. Quomodo enim incenſa iam vrbe, & ardente templo, otium fuiſſet trepidis mortalibus aut in montes, aut in deſertum ſe recipere? Arctiſsima enim fuit obſidio Veſpaſiani, & Titi, vnde nemo facile exercitum, copiaſque obſidentes vel penetrare, vel perrumpere potuiſſet. Quapropter acutiſsimus S. Theolog. profeſſor, M. Ioannes Heſſelius arbitratur, hic intelligi debere eã obſidionem, quæ ſub Lucio Floro facta eſt: qui cùm partem vrbis exteriorem expugnaſſet, ingentem metum ciuibus iniecit, præſertim cùm & templum in quo ſeditioſi ſeſe receperant, multo milite circumſideret. Id quod Ioſephus apertè oſtendit. Diuino tamen nutu factum exiſtimo, vt Seſtius poſtea obſidionem ſolueret, quo Chriſtiani, cùm certò viderent inſtare tempeſtatem, in tutum diſcedere poſſent, & tranquillè extra teli iactum agerent. Vnde & Ioſephus prodidit, plurimos procerum ac nobilium, quaſi ſemilacera Reipub. naue iam peſſum

Ioſeph. lib. 3. de bello Iudaico.

 itura,

itura, ac ſolenne naufragium factura profugiſſe, prauorum ac ſceleratiſsimorū colluuie omnia pijs, & præcipuè Chriſtianis, infeſta reddente, ac ſeditionē quotidie incredibilem molientē. Quāuis igitur hęc abominatio deſolationis rectè ad Ieroſolymorū vaſtationē referatur, non ineptè tamen, aut abſurdè ad Antichriſtum, vaſtitatemque Eccleſiæ, quam ferè per Hieroſolymam intelligere ſolemus, retuleris. Celebrantur multorum calamo euerſio Troyę, Tyri, Babylonis, Carthaginiſque excidia, in quibus plurimum ſanguinis hauſtum fuſumque fuit, plurimi mortalium Orco demiſsi, ac crudeli cæde extincti fuêre: ſed his omnibus memorabilius fuit excidium Hieroſolymæ. Quid enim calamitoſius vnquam lectum, auditumque fuit? Quis vnquam audiuit, vna obſidione decies centena hominum milia mortua, & nonaginta ſeptem milia in captiuitatem abducta? Verùm infinitis partibus hæc omnia ſuperat calamitoſiſsima, iam ad finem properantis, totius orbis calamitas, atque interitus. Quis recenſere, aut lingua, calamoque perſequi poſſet, quantam vaſtitatem daturus, quantam cædem ſit editurus Antichriſtus? Is in templo Dei ſedens, efferet ſe ſuper omne quod colitur, aut dicitur Deus. Quis verò numerum inire queat ſuſpiriorum, lachrymarum, perſecutionumque filiorum Eccleſiæ, quæ eſt Hieruſalem, mater noſtra? Tanto in eam furore debacchabitur, vbi reuelatus fuerit homo peccati, vt ferè impoſsibile ſit toleratu. Sed

2.Theſſ.2. pergamus ad textum. *Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant*

fugiant ad montes. Non dirigitur hic ſermo ad Apoſtolos, qui obſidionis tempore (quã Ceſtius ſuſcitauit) vel defuncti erãt, vel in alias orbis partes diſperſi: ſed ad eos, qui tũ Iudæam incolebant. Fugiant igitur ad montes, in quos ſe recipere ſolent, qui hoſtium vim atque iniurias metuunt. Fuit verò ingens, arma circumferente Romano, fuga. Quod ſi fuſius diſcere velis, ex Euſebio petes. Tractat rem eandem Epiphanius, aiuntque plurimos Chriſtianos, Iudæoſque, diuino oraculo monitos ad Agrippam regem, qui ſemper Romanorum ſtudioſus fuit, conceſsiſſe, & ſub nominis eius vmbra ſecuros (quod ęui erat) reliquum tranſegiſſe. Ait verò Euſebius populum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, relicta vrbe ad oppidum (cui Pellæ nomen fuit) vltra Iordanem ſitum, commigraſſe. Pella verò ad Agrippam pertinebat. Erat igitur veluti aſilum Chriſtianorum, procerumque Hieroſolymitanorum. Nec abſurdè monitu diuino, iuſsi ſunt Chriſtiani collectis ſarcinis ac vaſis, è Hieroſolymis aliò migrare, nimirum vt locus daretur vltioni cœleſti de impia, & ceruicoſa gente. Quòd ſi ad Antichriſti perſecutionem referamus textum noſtræ literæ, fugient Chriſtiani perſecutores ſuos. De hac calamitoſa fuga Spiritus ſanctus nos præmonet per Ioannem. Datæ ſunt (ait) mulieri alæ duæ, veluti aquilę magnę, vt volaret in deſertum, in locum ſuum, vbi aletur. At quænam hæc mulier eſt, niſi ipſa Eccleſia ſancta, quę fugiet Antichriſti perſecutionem? Nam cùm Eccleſia ſuis exuitur facultatibus,

lib. 3. Eccl. Hiſto. c. 5.

Epiphan. in hæreſi Ebionita.

Apoc. 12.

per beſtiæ ſatellites, cùm eius æraria expilantur, ſacramenta calcantur, doctrina exploditur, exſibilaturque: quando denique miniſtri eius vel pœdore, ſqualoreque carcerum exanimantur, extinguunturque, quando concionatores, tanquam arietes gregis, in crucem aguntur, ad fugam circumſpiciendum eſt. Draco
Apoc. 12. enim iratus eſt in mulierem, & aqua, & igni illi interdicens, abit facere prelium cum reliquijs ſeminis eius: cum his, inquam, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti. Fugiunt & modò nonnulli Chriſtianorum ex oppidis neochriſtianorum, religionis gratia, metuentes ne vel ipſi, vel parui liberi errorum contagio, & periculoſa ſcabie inficiantur. Potius iſti & ſatius ducunt ſolum vertere, atque in exilio gemere, quàm fidei ſentire in gremio neceſſariorum ſuorum iactu-
Geneſ. 12. ram. Abeunt ſanè cum fideli Abrahamo de Hur Chaldæorum. Sed tamen ludus hic eſt merus, In ianuis ſunt longè acerbiora. Arbores adhuc cadent, nunc folia tantum, & frondes è ramis ſuis defluunt. Modò ſtillæ, imbreſque decidunt, incumbet aliquando tempeſtas horrida, turbinum, ventorum, pluuiæque fœcunda. Modò euri, zephirique ſumma montium cacumina radunt, virgultaque tenella quatiunt: Veniet tempus, quo furioſi aquilones (aut ſi quid vſquàm ijs eſt ferocius) etiam cedros Libani radicitus euellent. Videmus iam ſæuire neochriſtianos, ſi quando paululum ſibi poteſtatis quæſierunt. Sed quid futurum cenſes, vbi gladium totum in manibus habuerint, ac

propius

propius Antichriſti indolem referre cœperint? Væ tum miſeris Chriſtianis, qui à lupis vndique deprehendentur. Fugiendum igitur potius, quàm inter lupos fidem perdere, ne dicam prodere. Perſeuerandum eſt in orthodoxia, etiam ſi mille lupi aliud vlulent, nobis cum ouibus perpetuò in veritatis regula balandum eſt. Inſigne eſt verbum D. Hieronymi in epiſtola ad Furiam viduam. Non quæruntur initia in Chriſtianis, ſed finis: Finis certè coronat. Si fugam in montes myſticè interpretemur, iucundiſsima erit metaphora. Nihil profuerit tempore Antichriſti in editiſsimos peruaſiſſe montes, aut in loca ſola, ſyluaſque auias profugiſſe, Draconis aſſeclis omnia rimantibus, ſingula excutientibus, ſed in mæſtiſsima perſecutione ad montes ſpirituales reſpexiſſe, ad Euangeliſtarum, Apoſtolorūque ſublimia ſcripta ſe recepiſſe, non mediocriter conduxerit. Illuminat enim Deus mirabiliter à montibus æternis. Ex iſtis enim montibus incredibilis ſurgit lux, contra caliginem eam, quam tenebriones hæretici Chriſtianis affundent. Cùm enim Antichriſti prodromi & præcurſores, magiſtro ſuo viam falſæ doctrinæ adminiculo ceperint ſternere, tum pij vbique conſolationem quærent in ſacris literis. Tum ſtudioſè quæretur, quid Apoſtolorum vertex Petrus, quid gentium Apoſtolus Paulus cenſeat, quid prophetæ prædixerint. Tum veluti ad amuſsim ad traditam à patribus, hoc eſt, à montibus, doctrinam, diſsidium omne quæſtioneſque religionis componentur. Quapropter Chriſtiane

Hieron. ad Furiam.

Pſal. 75.

frater

frater, nihil æquè in hoc perſecutionis æſtu retulerit, atque (apicularum more) leuibus alis ad Apoſtolorum, prophetarumque montes ſubuolare, ſolidumque ibi refrigerium petere.

Qui autem in tecto eſt, non deſcendat aliquid tollere de domo ſua. Secundum literam: Tam repentinus erit inſultus Romanorum, tam vrgens belli malum, vt ne de tecto quidem deſcendendi otium ſit futurum, ad aliquid ſecum in fuga aſportandum, videlicet pecuniam, aut vaſculum precioſum, ne hoſtis occupet de ſarcinulis anxium. Nemo tam fatuus eſt, qui non potius ferat bonorum ſuorum iacturam, *Apoc. 18.* quàm vitæ. Fugite de Babylone, quia venit memoria eius in cœlum, & ſtatim aderit vindicta Domini. Qui igitur in tecto erunt, hoc eſt, ex fumo peccati, & ex voluptatis ſordidiſsimo luto extricati, meditabuntur iam cum aquila, quamproximè ad ſolem conſcendere, extendentes ſe ad anteriora, & quæ retro *Philip. 3.* ſunt obliuiſcentes. Pulchrè Auguſtinus epi*Aug. epiſtola. 80.* ſtola ad Eſichium. Ille, inquit, deſcendit de tecto, qui de ſpirituali ſublimitate ad carnalem deſcendit voluptatem. *Qui autem fuerit in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam.*

Si quiſpiam in agro fuiſſet, Romano exercitu circumſedente Hieroſolymam, non fuiſſet illi conſultum reuerti, gratia tunicæ, in vrbem. Myſticè autem ille non reuertitur in ciuitatem, qui non vult iterum inuolui curis vrbanis, neque moratur ſalutationes in foro, neque ambit ab hominibus vocari Rabbi, malitque ruſticari, quàm dominari. *Va autem pregnan-*

pregnantibus , & nutrientibus in illis diebus.

Mira ſanè calamitas, & anguſtia geſtantibus vterum, & lactantibus. Vteri enim & lactentium filiorum familiaris neceſsitas magnam remoram inijciunt fugientibus. Quis enim cum ſarcina commodè fugere poterit? At relinquant, inquies, matres liberos ſuos. Reſpondeo: Non poſſunt matres tam facile paruulorum, quàm veſtium obliuiſci. Concinunt hæc cum illis, quę Chriſtus olim prędixit apud Lucam: Venient (inquit) dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt. Quòd ſi grauida belli gratia è patria moliatur fugam, mox à parentibus aut vicinis, vel verbo vno retrahitur: miſera (inquiunt) ac malè conſulta, num ad fugam expedita eſſe poteris? Reſpice pauliſper vterum, ac in vtero tam amati fætus onus, quo quæſo cum illo diſcedere poſſes? Deinde hęret tibi paruulus alter, oberratque roſeis labellis inter vbera, num hunc abijcere quæas? *Lucæ. 22.*

Videte autem, ne fuga veſtra fiat hyeme, vel ſabbato. Quis non intelligat, quot ſint hyemis incômoda, dum focus nos alligat, & lectus tepidus trahat? Deinde difficile eſt, ſæuiente bruma, vel in ſolitudine, vel in mõtibus hęrere, poſtremo hyeme quoque ſolent eſſe cùm pluuiæ, tum nix, tum grando, frequentiora. Myſticè fugiunt hyeme, qui ſunt exuti charitate, de qua re ſuperius ait: Refrigeſcet charitas multorum. D. Auguſtinus lib. quæſtion. Euangelicar. cap. 37. per hyemem intelligit ſpeciem quandam iniquitatis, triſtitiã videlicet huius *Math. 24.*

ſæculi,

ſæculi, mæſtitiam nimirum propter facultatum, fortunatumque iacturam. Hyems enim triſtis ſolet nuncupari, quòd triſtes faciat.
Vel ſabbato. Iuxta legem, non licebat ſabbato ambulare, niſi ad aliqua ſtadia. Sabbato igitur fugere dicimur, cùm fugam celerem remoratur otium. Quapropter aſsiduis precibus, iiſque ardentibus opus eſt, ne dies omniũ poſtremus nos deprehendat, craſſo, ignobilique otio veluti indormientes, & bonis operibus vacuos. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum c. 77. dicit, ſabbatum pertinere ad crapulam. Nam ſabbato lautius & delicatius prandebant Iudæi, hauriendiſque chyatis ac poculis ſolito magis operam dabant. Quod autem hîc Mat-
Luca. 21. thæus tectè, hoc Lucas apertiſsimè ſcripſit. Videte ne corda veſtra grauentur crapula, ac ebrietate. Hac autem in re planè Iudæi ſumus, nam diebus ſolennibus, ac feſtis magis indulgemus genio, aqualiculumque magis curamus, quàm profeſtis. Imo nunquam alacrius indulgentiuſque litamus Cereri, & Bacho, addam & Como, quo Chriſto litandum eſt die, vt ni-
Eſaie. 1. hil mirer, ſi Deus odiat ſabbata noſtra. Non vetat Chriſtus edere, & bibere, ſed crapula grauari. Hanc ſententiam obſeruabat Bernardus, qui ad prandium accedebat, tanquam ad tormentum. *Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vſque modò.* Vide quęſo verborum exaggerationem. Habet enim
Apoc. 12. diabolus magnam iram, ſciens quòd modicum tempus habet. Nunquam atrocior Iudæos oppreſsit calamitas, quàm ea quæ facta eſt tempore

pore excidij vrbis: nunquam verò generaliter maior fuit in mundo perſecutio, ac tribulatio, quàm futura eſt ſequiente Antichriſto. Septimum enim caput beſtiæ, crudelitate longè ſuperabit capita ſex alia. Id verò caput eſt regnum Antichriſti. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. Cùm igitur partus vltimus, & maximus edendus erit, neceſſarium eſt, dolorem etiam futurum maximum. Tantus autem erit dolor parientis, vt omnino mundus ſit tum moriturus. In Geneſi legimus, Rachelem vitam efflaſſe, atque extinctam, dum filium dexteræ pareret, qui ſanè filius ipſa æternitas eſt. Nam in dextera Dei longitudo dierum, ait Solomon. Moritur & Chriſtus, dum partum Eccleſiæ Chriſtianæ editurus eſt. *Et niſi breuiati fuiſſent dies iſti, non fieret ſalua omnis caro.* Conſulto numerum dierum illorum Deus contraxit, breuiauitque, ne temporum mora fides concuteretur credentium. Mala enim, quæ primo impetu fortiter, & excipiuntur, & feruntur, pertinacia ſua fatigant nonnunquam, & frangunt. Si igitur Romana obſidio duraſſet diutius, non remanſiſſet ex Iudæis vel vnus, hoc eſt, non eſſet ſalua omnis caro: non remanſiſſent vel vllæ reliquiæ Iudæorum, ſed radicitus fuiſſent deleti, tam hi qui intra, quàm qui extra vrbem erant, hoc eſt: *Non fieret ſalua omnis caro, Sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Electi iſti, intelliguntur illi, qui erant in Hieruſalem, & ex circumciſione crediderant. Vel loquitur de illis, qui erant credituri, propter quos breuiabantur

Ioan. 16.

Geneſ. 35.

Prouer. 3.

ſa, ſic aduentus Chriſti illuminabit abſcondita tenebrarum, videlicet ſecreta cordium. Fulgur terret, ſic Chriſti aduentus erit terribilis impijs. Fulgur non diu durat, ſic ſtatim expedietur iudicantis aduentus. Ilico enim ſententiam proferet, nihilque obſtabit iudicanti. *2. Cori. 4.* Quòd fulgur dicitur promicare ab oriente, ſignificat, quòd Chriſtus ab oriente veniet ad iudicium. Nam & humanitas eius ſedet ad patris dexteram in oriente. Vt enim (teſte Dauide) Dominus aſcendit ſuper cœlum cœli ad *Pſal. 67.* orientem, ita deſcendet de cœlo cœlorum (ſicut fulgur) ab oriente. Quin Eccleſia quaſi illinc ſponſum ſuum expectans, ad orientem precari conſueuit. Et ſanè antiquiſsima hæc eſt traditio, ad orientem preces fundere. Nec tamen prætereundum, quod dicit Hugo Eterianus, libro de regreſſu animarum cap. 14. *Hugo Eterianus.* Chriſtianus in oratione conſtitutus, ad Orientem faciem dirigit. Quare? vt antiquam patriam, quam perdidit peccando, perorando requirat. Paradiſus enim ad Orientem eſt. Diuus Thomas Aquinas. 22. queſtio. 84. articulo. 3. ad 3. eruditè non minus quàm eleganter cauſam reddit, cur ad Orientem conuerſi preces noſtras fundamus. Secundum quandam decentiam (inquit) hoc fit, vt ad Orientem verſus adoremus. Primò propter diuinæ maieſtatis iudicium: quod manifeſtatur nobis in motu cœli, qui eſt ab Oriente. Secundò propter paradiſum in oriente conſtitutum. Geneſis 2. quaſi quæramus ad *Geneſ. 2.* paradiſum redire. Tertiò propter Chriſtum,

qui

qui eſt lux mundi, & Oriens appellatur.

Vltimò Dominus Ieſus verſus Orientem aſ-
Pſal. 67. ſcendit: vnde Dauid: Aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem. Ab Oriente etiam venturus
Math. 24. eſt ad iudicium. Math. 24. Sicut fulgur exit ab Oriente. &c. Meminit & huius traditio-
Iuſtinus reſpon. 118. nis, ante annos mille trecentos, Iuſtinus martyr in reſponſionibus ad orthodoxos. Quoniam noſtrorum honorabiliſsima queque ad Dei honorem ſeponimus, & hominum opinione ſolis ortus honorabilior eſt, quàm aliæ partes mundi, propterea tempore precum ad Orientem ſpectamus. Imò teſtatur ibidem Iuſtinus, hanc traditionem nos ab Apoſtolis recepiſſe. Porro non temere templa ferè omnia, quæ Chriſtiani ædificant, ad Orientem vergunt: eo enim id fieri videtur conſilio, vt ad Orientem
Damaſcen. li. 4. ca. 13. precabundi nos vertamus. Quid, quod & Damaſcenus iſtis concinat? Sed pauca eius verba ſubtexam. Antiquam patriam requirentes, & veluti ad eam ſuſpirantes, Deum adoramus. Et Moſaicum tabernaculum ad orientem habebat velum & propitiatorium. Et tribus Iuda, vt honorabiliſsima, ad Orientem caſtra ponebat. Quin & in famigerato Solomonis templo, porta Domini ad Orientem ſita erat. Verùm & Chriſtus crucifixus ad occidentem conſpiciebat, & ſic adoramus ad ipſum ſuſpirantes. Poſt verò tanquam ſpecioſum exerens epiphonema, ait: Non ſcripta eſt hæc Apoſtolorum traditio: nam multa ſine ſcripto nobis tradita ſunt. Hactenus Damaſcenus.

Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ.

Vt ne-

Vt nequaquam deſperarent fideles, ſe participes poſſe fieri eius regni, quod Dominus cœleſte futurum aſſeruit: vtque deinde monſtraret, non opus eſſe aliquo inuitante, vt confluant ad regem ſuum Chriſtum iam aduentantem, pulchrè & eleganter admodum addit:

Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Solet enim ita fieri, vt cadauere aliquo ſub dio, ac ſub aperto aëre expoſito, conuolent ad illud corui, milui, & aquilæ, cæteræque aues carniuoræ, quæ olfactu ſunt ſagaci, inde enim paſcuntur. Imò memorię proditur, aquilas etiam longiſsimè mira ſagacitate olfactus odorem percipere cadauerum, præſertim vbi fuerint eis venti ſecundi. Vnde & Lucanus canit, quòd ad campos pharſalicos ingens aquilarum vis, cùm inter Pompeyum, & Cæſarem cruentiſsimo prelio decretum fuiſſet, odore cadauerum aduolauerit, nullo, niſi arcana naturæ vi, eas conuocante, ac eò dirigente. Neque abſurdum eſt, quod de aquilis ſcribit Diuus Auguſtinus: Ait igitur, aquilæ oculum noſtro longè eſſe breuiorem, tam perſpicacem tamen, & lucidum, vt etiam tam ſublime volans, vt à nobis in tanta tamen luce difficile cernatur, latentem ſub frutice lepuſculum, & ſub fluctibus piſcem videre comperta ſit. Fideles igitur, ſicut aquilæ, mox apparente in aëre Chriſto, aduolabunt, tanquam ab illo paſcendi, neque opus habebunt aliquo, qui oſtendat iudicem, & regem, ſed perſpicaciſsimo viſu illum conſpicient.

Auguſtin. lib. de quātitate animæ ca. 14.

cient. Tria igitur habet Chriſtus in hac ſententia. Primum eſt, quòd iuſti ad ipſum celeriter congregandi ſint, non ambulando ſuper terram, ſed veluti pernicibus alis, aërem tranando, ſeu tranſmittendo: Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra. Secundo, non erit opus aliquo, qui nunciet regem eſſe in aëre. Tertiò, ſicut aquilæ auidè gregatim aduolant ad cibum olfactu procognitum, ita etiam ſanctos ſummo cum deſiderio congregandos ad Chriſtum, tanquam ad cibum ſuum, vnde æternum ſint victuri fœliciter. Cadaueri verò ſe aſsimilat, propter mortem futuram, quaſi diceret: Mors mea conſolabitur vos, ſicuti famelicas aquilas repertum cadauer. Non abs re verò aquilis fideles comparauit, quia cùm acutè videant aquilæ, impijs in cæcitate manentibus, ipſi clarè corpus Chriſti videbunt. Quotquot igitur aquilis ſimiles ſunt, ad corpus Regis congregabuntur. De huiuſmodi aquilis dicit pſalmiſta: Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua. Et Eſaias capite quadrageſimo: Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient.

1. Theſſ. 2. · Pſal. 102. · Eſaia 40.

Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ. Non dicit, vbi ego fuero, ſed vbi fuerit corpus. Ideo ſicut humanitas Chriſti fuit inſtrumentum meritorum Chriſti, ita etiam erit inſtrumentum eleuationis corporum beatorum. Et ſicut virtus odoris allicit aues ad locum, vbi earum cibus eſt, ita & virtus odoris ſuauiſsimi à corpore Chriſti prodeuntis, alliciet

ad ſe

ad ſe corpora noſtra. Indicatur etiam nobilitas corporum noſtrorum: ſicut enim aquilæ ſunt reginæ auium, & ſolent vocari aues diuinę; ita corpora beatorum excellentiſsima erunt, imò ferè diuina. Erunt enim (teſte Apoſtolo) corpora ſpiritualia vel cœlis ipſis nobiliora, ſeminata quidem in ignobilitate, ſurgentia autem in gloria. 1.Cor.15.

ANNOTATIVNCVLA PRIMA.

Væ pregnantibus & nutrientibus. *Græcè eſt θηλαζούσαις, id eſt, lactantibus, nimirum quod his effugere, & alio ſe recipere ſit impoſsibile ferè. Illæ enim pondere grauantur embrionum, iſtæ onere lactentium. Quid ſi aborſum curent illæ, & iſtæ ſarcinulam ab vbere abijciant? Sed neque naturæ vinculum, neque lex æquitatis id ſinit.*

SECVNDA.

Ne fuga fiat hyeme, aut ſabbato. *Paulinus epiſtola.3. ad Amandum: Hoc eſt, ne fiat in otio ſpiritualium negotiorum, & bonorum operum ſterilitate. Sabbatum enim otioſum eſt, & hyems nuda naſcentium.* Paulinus.

TERTIA.

Vbi fuerit corpus. *Græcè eſt πτῶμα, Id eſt, cadauer, ita dictum Græcis & latinis, ab eo quod per mortem cadat.*

QVARTA.

Vbi fuerit corpus. *Diuus Hylarius intelligit hac ſententia ſignificatum, in quo loco ſit Dominus habiturus iudicium, nempe in quo loco paſſus eſt, & quo cadauer eius pependit in cruce.*

QVINTA.

Vbi fuerit corpus. *Venerabilis Cardinalis Hoſius capite nonageſimo ſecundo Confeſsion. Polonicæ, intelligit de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia: ſecutus (opinor) Originem homil. vigeſima nona in Matthæum: Dicet (inquit) qui ſeducere voluerit, & defendere contraria veritati: Ecce hic Chriſtus, adferens exempli gratia hunc Mathæi locum. Alterius autem erroris auctor dicet: Ecce hic Chriſtus, demonſtrans locum alterum, qui defendere videtur illius mendacij verbum, quod propoſuit vindicare, & ſic ex lege & prophetis adfert vnuſquiſque, quæ mendacium illud defendere videntur. Porro Albertus Pigius libro 1. Eccleſiaſticæ Hiearchiæ cap. 5. ait, per hanc ſententiam ſignificari, vbi ſit corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia. vbicumque, inquit, fuerint aquilæ, earumque congregatio, ibi omnino etiam reperitur corpus Chriſti. Per aquilas autem intelligit Eccleſiæ doctores, quotquot vnquàm fuerunt, qui in carne præter carnem viuentes, conuerſationem ſuam habuerunt in cœlis: quorum omne ſtudium, omnis meditatio, omniſque voluntas in lege Domini, qui præ alijs acutius cernere, & ſublimius ſubuehi à rebus humanis, terreniſque*

niſque potuerunt. Vbicumque hæ aquilæ congregantur, illic certo credendum eſt, eſſe corpus illud, cui aſſociari & aſſentiri, imò in quo Chriſtum, ac ſalutem quærere debemus. Quæ enim eſt aquilarum concors ſententia, idem & totius corporis ſenſus eſt.

FINIS.

Homiliæ hæ ad publicum Chriſtianæ Reipublicæ vſum vtiliter excudentur.

Ioh. Molanus.

Excudebat Reynerus Velpius Typogr. Iuratus.


PAX·OSCVLATE
ET·
SVNT·PSAL
84

7a 2_ 2_